Digitized by Google

8° Bd. X. ~~110~~ 115.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

IMMANVELIS KANTII

OPERA

AD

PHILOSOPHIAM CRITICAM

LATINE VERTIT

FREDERICVS GOTTLOB BORN.

VOLVMEN QVARTVM.

LIPSIAE
IMPENSIS ENGELHARD BENIAMIN SCHWICKERTI
MDCCLXXXXVIII.

Digitized by Google

ANNO

DA

INCARNAÇÃO

BIBLIOTECA-BODLEIANA

Digitized by Google

CONSPECTUS EORUM,

QUAE

IN QUARTO HOC VOLUMINE

INSUNT:

I. Quaeſtiones philoſophiae.

1. De loco communi: iſtud quidem in theoria etc. pag. 1
2. Ad pacem aeternam. 47
3. Somnia pneumatoptae per ſomnia metaphyſices illuſtrata. 97
4. De conceptu quantitatum negatiuarum in philoſophiam introducendi. 161
5. Idea hiſtoriae vniuerſalis reſpectu cosmopolitico. 209
6. Reſponſio ad quaeſtionem: quidnam eſt mentis colluſtratio? 217
7. Initium probabile hiſtoriae generis humani. 225
8. De vſu principiorum teleologicorum in philoſophia. 242
9. Determinatio conceptus de progenie hominum. 272
10. De vanitate omnium tentaminum philoſophicorum in theodicaea. 289
11. Quid ſignificat Francogallorum illud: S'orienter dans le penſer? 308
12. Obſeruationes de ſenſu pulcritudinis et ſublimitatis. 325
13. Finis omnium rerum. 382

Digitized by Google

14. De ſtono quodam illuſtri ac ſublimi in philoſophia nuper inſtituto. pag. 397

15. Nuntium pactionis propediem conficiendae ad pacem aeternam in philoſophia. 417

16. Argumentum quo, deum eſſe, vno poteſt euinci. 428

II. Metaphyſica morum.

1. Initia metaphyſica doctrinae iuris. 539

2. Initia metaphyſica Ethices. 695

Digitized by Google

QUAESTIONES
PHILOSOPHICAE.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE LOCO COMMUNI:

ISTUD QUIDEM IN THEORIA VERUM FUERIT, ILLIUS AUTEM NULLUS USUS EST IN PRAXI.

Complexus regularum vel ipſarum practicarum tum *theoria* vocatur, cum hae regulae, qua principia, quodam modo vniuerſales cogitantur, praeterea quoque a vi conditionum nosmet continemus, quarum tamen neceſſaria contagio eſt cum earum adplicatione. Nec viciſſim vnaquaeque tractandi ratio, ſed ea modo finis effectio *praxis* adpellatur, quae vt obſeruatio certorum quorumdam viae rationisque principiorum vniuerſe repraeſentatorum cogitatur.

Atque incurrit quidem in oculos, theoriam inter et praxin membrum quoddam et coniunctionis et transitionis ab vna ad alteram intermedium requiri, quamuis theoria, quoad eius fieri poſſit, pleniſſima videatur: namque ad conceptum intellectualem, qui regulam continet, neceſſe eſt, facultatis iudicandi actus accedat, quo vſu peritus et practicus discernat, regulae hic locus ſit nec ne; cumque facultati iudicandi haud viciſſim queant regulae praecipi, quas ſequi ea debeat in adſumendo (ſiquidem iſtud pergeret in infinitum), homines eſſe theoretici poſſunt, qui per totam vitam nequeant practici euadere, quoniam ipſis deeſt facultas iudicandi: velut medici, vel iurisconſulti, cognitione optime inſtructi, qui, ſi conſulantur, neſciant, quid ſibi agendum videatur. — In quibus autem hoc donum naturae ineſt, ii tamen inopia poterunt laborare praemiſſarum; ſcilicet theoria eſſe minus plena poteſt, nec fortaſſe niſi experimentis experientiisque ſupplenda, vnde medicus, oeco-

nomus vel cameraliſta e ſchola egrediens nouas ſibi cogitatione regulas ſeparet atque abstrahat theoriamque plenam et poſſit reddere et debeat. Tum vero non per theoriam factum eſt, quod ea ad praxin minus idonea eſſet, ſed quod parum ſatis theoriae adeſſet, quam vſu peritus debuiſſet addiſcere; et quae vera theoria eſt, etiamſi eam is verbis nequeat exprimere, et, vt doctor, ſententiis vniuerſalibus ſyſtematice proponere, nec proinde titulum medici oeconomiue theoretici ſibi vindicare. — Igitur nemo poteſt ſe practice verſatum in ſcientia quadam venditare, qui theoriam contemſerit, niſi ſeſe hominem prodat ſcientiae, quam profitetur, ignarum: propterea quod, in experimentis experientiisque palpando, nec certis ſibi quibusdam principiis (quibus proprie efficitur, id quod theoriam vocamus), nec toto quodam (quod, ſi ratione quadam ac via res inſtituitur, ſyſtema vocatur) negotii cogitatione informato, vlterius ſe poſſe putat progredi, quam quo per theoriam poſſit perduci.

Interim tamen potius ferri poteſt, ſi homo ignarus theoriam in praxi ſua putatitia inutilem declaret et ſuperuacaneam, quam ſi naſutulus, ea eiusque pretio ſcholae (exercendi fere ingenii cauſa) quidem conceſſa, ſimul contendat: longe ſecus eſſe in praxi; cum ex ſchola nosmet ad homines conferamus, tum nos intelligere, nosmet idealia et ſomnia philoſophica eſſe ſectatos; vno verbo, quorum in theoria quidem bona ſpecies ſit, ea in praxi nullius eſſe valoris. (Id quod ſaepenumero ſic quoque enuntiatur: haec illaue ſententia locum quidem in *theſi* habet, at non in *hypotheſi*). Iam mechanicum empiricum, qui de mechanica vniuerſali, aut pyrotechnicum, qui de iactu tormentorum ita vellet pronuntiare, earum rerum theoriam acute quidem excogitatam eſſe, verum in praxi nullo modo vtilem, quia iis ad vſum transferendis longe alia conſectaria, quam ex theoria, efficiantur, rideres (namque ſi ad mechanicam vni-

verſalem theoria acceſſerit frictionis, et ad pyrotechniam theoria aëris reagentis, proinde omnino plus theoriae acceſſerit, vtraque optime cum experientia conueniret). Verum tamen longe alia ratio theoriae eſt, quae res ſpectat viſioni obnoxias, quam eius, in qua hae tantummodo per conceptus repraeſentantur (rerum matheſi et philoſophiae ſubiectarum): quae poſteriores quidem fortaſſe commode poſſunt et ſine vitio (a parte rationis) *cogitari*, ſed fortaſſe nullo pacto *dari* ac proponi, verum adeo ſolum in ideis inanibus verſentur, quarum in praxi vel omnino nullus, vel adeo illi noxius vſus factum iri videretur. Proinde locus iſte communis in talibus cauſis ſane verus eſſe poſſet.

Sed in theoria, in *conceptu officii* conſtituta, idealitas huius conceptus inanis minime eſt metuenda. Neque enim foret in officio, vt certum quoddam voluntatis noſtrae effectum ſpectaremus, niſi iſtud etiam in experientia (ſiue vt abſoluta cogitetur, ſiue abſolutioni perpetuo adpropinquans) fieri poſſet; et de hoc ſolum theoriae genere hac in tractatione ſermo eſt. De ea enim, philoſophiae offendiculo, haud raro praetenditur, quae in ea vera fuerint, tamen in praxi haud locum inuenire: idque oratione fit ſuperba et proterua, plena arrogantiae, rationem in eo ipſo, in quo ſummam ea laudem ponit, per experientiam inſtaurandi; atque ex opinione ſapientiam adfectante, qua oculis talpinis, ad experientiam adfixis, longius ſe tutiusque diſpicere poſſe, quam oculis, naturae impertitis, cui os ſublime datum eſt, et quae, caelum tueri iuſſa et arrectos tollere ad ſidera vultus.

Ex hac norma hoc tempore noſtro ſententiis fecundo, ſed actionibus ſterili, maxime frequentata, ſi rem quamdam ea moralem (virtutem, iurisue officium) ſpectet, ſummum detrimentum enaſcitur. Hic enim de canone rationis (in rebus practicis) agitur, vbi totum praxeos pretium poſitum eſt in conuenientia eius cum theoria illi ſubiecta, actumque de vni-

verſis eſt, ſi conditiones legis exſequendae empiricae ideoque fortuitae pro conditionibus accipiantur legis ipſius, atque ita praxi, ad euentum computatae ex *hactenus* per experientiam perceptis probabilem poteſtas conceditur theoriae in ſeſe conſiſtentis taxandae.

Quam quidem tractationem pro tribus illis variis ſtationibus, vnde boni viri iſti, de theoriis et ſyſtematibus tam audacter pronuntiantes rem ſolent ſibi propoſitam diiudicare, deſcribam; proinde ratione triplici: 1) vt vir priuatus, ſed tamen *negotioſus*, 2) vt vir *politicus*, 3) vt *vir mundanus* (ſiue coſmopolita in genere). Hae tres perſonae igitur in eo conſpirant, vt *hominum ſcholaſticum* adgrediantur, qui pro iis omnibus atque in vſum eorum theoriam tractat: vt, quum melius rem intelligere opinentur, eum in ſcholam remittant (illa ſe iactet in aula!), velut paedagogum, qui, ad praxin ineptus, ſapientiae ſuae vſu peritae officiat.

Igitur adfectionem theoriae ad praxin tribus locis ſingularibus proponemus: *primo*, in *philoſophia* morali generatim (ſalute cuiusque *hominis* ſpectata) *deinde* in *politica* (ratione ſalutis *ciuitatum*), *tertio* denique reſpectu *coſmopolitico* (ſpectata ſalute *generis humani* in vniuerſum, et quidem quatenus iſtud in progreſſu ad eam in ſerie generationum temporum futurorum omnium occupatum eſt). — Sed tituli locorum propter cauſſas, quae ex ipſa tractatione intelligentur, per adfectionem theoriae ad praxin in *philoſophia morali*, *iure publico*, et *iure gentium* enuntiabuntur.

Digitized by Google

I.

DE ADFECTIONE THEORIAE AD PRAXIN IN PHILOSOPHIA MORALI GENERATIM.

(Reſpondetur nonnullis dubiis celeberrimi *Garuii.* *)

Antequam ad rem veniam proprie ſubiectam controuerſiae de iis, quae in adhibendo vno eodemque conceptu ſolum ad theoriam valeant, aut ad praxin; theoriam meam, ita vti alibi eam propoſui, cum deſcriptione comparare cogor, quam celeberrimus *Garuius* de ea exhibuit, vt ante conſtet, vtrum alter alterius mentem adſecutus fuerit.

A. Philoſophiam moralem, in anteceſſum, tamquam ad inſtitutionem, pro ſcientia declaraueram, quae doceret, non quomodo felices, ſed felicitate digni euadere deberemus **). In quo quidem probe monui, eo minime ab homine poſtulari, vt, ſi de faciendo officio agatur, a fine naturali ſuo, felicitate, ſeſe *abdicet*; id enim is haud poteſt, quemadmodum nulla omnino natura ratioque finita; ſed eum, ſimul atque praeceptum officii in medium prodeat, prorſus oportere ab hoc reſpectu *ſe continere*; eum nullo modo oportere illam in *conditionem* conuertere ſeruandae legis ſibi per rationem praeſcriptae; atque etiam, quantum fieri poſſit, ſibi conſcium eſſe, nullum ſeſe *elaterem* ab illa deriuatum in determinationem officii ſenſim miſcere: id quod eo efficitur, vt officium po-

*) Vide *Verſuche über verſchiedene Gegenſtände aus der Moral und Litteratur, von Ch. Garve.* Erſter Theil. pag. 111-116.

**) Dignitas felicitatis perfruendae cernitur in ea conditione hominis in ipſa ſubiecti voluntate conſtituta, quacum conuenienter ratio legislatoria vniuerſalis (cum naturae tum voluntatis liberae) ad omnes huius hominis fines conſenſura foret. Itaque illa a dexteritate ſibi ipſi fortunam pariendi prorſus diuerſa eſt. Neque enim hac ipſa, donoque ſibi ab natura conceſſo, is dignus eſt, ſi voluntate vtatur, ab ea, quae ſola ad legislationem rationis vniuerſalem idonea eſt, abhorrente, quae haud poſſit ea contineri (hoc eſt quae moralitati aduerſetur).

tius cum detrimentis faciendisque iacturis repraesentetur, quibus eius obseruatio (virtus) comparatur, quam cum commodis et vtilitatibus, quae nobis ea adfert: quo praeceptum officii in dignitate vniuersa sua et absolutam obedientiam postulante, et sibi ipsi sufficiente, nec alius cuiusquam contagionis indigente, cogitetur.

a) Hanc sententiam meam doctissimus *Garuius* sic enuntiat: „memet, ait, adseruisse, obseruationem legis moralis, nullo prorsus habito respectu felicitatis, hominibus *scopum vnum* esse, eamque pro vno fine creatoris esse spectandam." (Secundum theoriam meam, nec hominis moralitas per se, nec per se sola felicitas, sed summum bonum in mundo possibile, quod in vtriusque et coniunctione et conuenientia consistit, vnus finis creatoris est).

B. Iam vero monueram, non esse, cur hic de officio conceptus vllum finem alium peculiarem fundamento ponat, potiusque illum finem quemdam alium voluntati hominis *arcessere*: nimirum vt *summum bonum* in mundo possibile (felicitatem in toto mundano cum moralitate purissima coniunctam, et vniuersalem, illique consentaneam) pro viribus agendo sectemur: quod, cum ab vna, non vero ab vtraque parte coniuncte, in nostra potestate sit, rationi fidem de gubernatore mundi morali et de vita futura *respectu practico* extorquet. Non, quasi non nisi vtraque supposita conceptus officii vniuersalis firmitatem concentumque nanciscatur, hoc est, fundamentum certum, roburque *elateris* necessarium, verum vt quoque in ideali illo rationis purae ei *res obiecta* emergat *). Namque per se officium nihil aliud est, quam

*) Necessitas *summi* ex nostra cooperatione possibilis *boni* in mundo sumendi, vt rerum omnium scopi, non est necessitas ex inopia elaterum moralium enata, sed relationum externarum, in quibus solis, his elateribus conuenienter potest res obiecta quaedam vt finis per se ipse vt *scopus* moralis) produci. Nam fine omni fine nulla potest voluntas esse;

Digitized by Google

circumſcriptio voluntatis ad conditionem legislationis vniuerſalis, per normam adoptatam poſſibilis, res propoſita vel finis qualiscumque ſit, (proinde quoque felicitas); a quo vero, vti ab vnoquoque fine, qui fuerit propoſitus, in eo prorſus nosmet continemus. In quaeſtione igitur de *principio* philoſophiae moralis doctrina de *ſummo bono*, vt fine vltimo voluntatis per eam determinatae illiusque legibus conſentaneae tota poteſt (vt epiſodica) praeteriri atque ſeponi; quemadmodum poſtea videmus, vbi de re proprie controuerſiae ſubiecta agatur, eius minime, ſed ſolum doctrinae moralis vniuerſalis rationem haberi.

quamquam, vbi ſolum de coactione actionum legali agatur, ab eo nobis abstinendum eſt, legeque ſola ratio illius determinandae efficitur. Verum haud quisque finis moralis eſt (velut finis propriae felicitatis) ſed hic ab omni ſtudio propriae vtilitatis alienus ſit, oportebit; et neceſſitas ſcopi per rationem puram propoſiti, totum finium omnium ſub principio quodam complectentis (mundus vt ſummum bonum etiam per noſtram cooperationem poſſibile) neceſſitas eſt voluntatis ab omni ſtudio propriae vtilitatis alienae etiam vltra obſeruationem legum formalium ad producendam rem obiectam (ſummum bonum) ſeſe *dilatantis*. Haec eſt voluntatis determinatio generis peculiaris nempe per ideam totius finium omnium, vbi fundamento ponitur: ſi ad res in mundo quodam modo moraliter adfecti ſimus, vbique nos legibus moralibus parere debere; praetereaque officium accedere, pro viribus elaborare, vt eiusmodi adfectio (mundus ſummis finibus moralibus conueniens) exſtet. In quo quidem homo ſe ſecundum analogiam cum deo cogitat, qui quamuis ſubiectiue, nullius rei externae indiget; nihilominus tamen cogitari non poteſt, eum ſe in ſe ipſo includere, ſed ad ſummum bonum extra ſe producendum, per ipſam conſcientiam αὐταρκείας ſuae, determinatum eſſe: quae quidem neceſſitas (quae in hominibus officium eſt) in ente ſummo non poteſt *a nobis* aliter, quam vt neceſſitas moralis repraeſentari. In homine proinde elater, in idea ſummi boni per cooperationem eius in mundo poſſibilis ſitus, nec propria felicitas eſt in eo ſpectata, verum tantummodo haec idea vt finis per ſe ipſa, proinde eius perſecutio vt officium. Neque ea enim exſpectationem felicitatis ſimpliciter continet, ſed modo proportionis eam inter et ſubiecti dignitatem, quod illud cumque ſit. Determinatio voluntatis autem, ſe ipſam conſiliumque ſuum, ad eiusmodi totum pertinendi, ad hancce conditionem adſtringens, *non ſequitur propriam vtilitatem*.

Digitized by Google

b) Doctiſſimus *Garuius* eas ſententias his verbis comprehendit: „virtutis ſtudioſum rationem illam (felicitatis propriae) nec poſſe ex oculis amittere, nec debere, — quoniam alias transitionem in mundum inuiſibilem, ad ſibi de exſiſtentia dei atque immortalitate perſuadendum, prorſus perderet; quod tamen, iuxta hanc theoriam, prorſus neceſſarium eſt, vt *firmitas ſyſtemati concentusque impertiatur*;“ finemque, vt ſummam ſententiae mihi tributae breuiſſime comprehendam, ſic facit: „ſtudioſus virtutis principiis illis conuenienter perpetuo adlaborat, vt felicitate dignus ſit, verum, *quatenus* vere virtutem amplectitur, *numquam*, vt felix ſit.“ Voce *quatenus* hoc loco ambiguitas emergit, antea tollenda. Poteſt ea idem denotare atque: *in actu* illo, cum qua virtutis amans officio ſe ſubmittit: et tum haec ſententia cum theoria mea maxime conuenit. Vel ea poteſt hanc vim habere: *ſi* omnino tantummodo virtutis amans ſit, ideoque vel tum, cum haud de officio agitur eique haud obſiſtitur, virtutis ſtudioſum nullam tamen debere felicitatis rationem habere; et tum iſtud cum adſertionibus meis prorſus pugnat.

Haec dubia igitur non niſi *errores* ſunt (nam nolim ea in calumniis haberi); quorum poſſibilitas miranda foret, niſi propenſione humana, iter cogitandi ſemel conſuetum etiam in alienis cogitatis diiudicandis ſequendi, atque illud his inferendi, eiusmodi phaenomenon ſatis enodaretur.

Hanc tractationem ſuperioris principii moralis polemicam nunc excipit adſertio dogmatica contrarii. Quippe *Garuius* analytice ſic concludit: „in ordine *conceptuum*, neceſſe eſt, vt perceptio diſtinctioque ſtatuum, quibus vni prae altero *principatus* tribuitur, optionem vnius ex iis, ideoque praedeterminationem certi cuiusdam finis, antecedat. Status autem, quem natura cum conſcientia ſui ipſius ſtatusque ſui ornata tum, cum hic ſtatus praeſens eſt, atque ab ſe percipitur, aliis exſtandi modis *praefert*, eſt ſtatus bonus; ſeriesque talium ſtatuum bonorum conceptus eſt ma-

Digitized by Google

xime vniuerſalis, quem verbum *felicitatis* exprimit.“ — Porro: „lege momenta, momentis autem discrimen ante perceptum ſtatus deterioris a meliori ſupponuntur. Hoc discrimine percepto elementum continetur conceptus felicitatis, et ſic porro.“ Iam: „*ex felicitate*,“ ſenſu verbi maxime vniuerſali, *naſcuntur cuiusque conatus momenta;* proinde quoque ſeruandae legis moralis. Prius omnino ſciam, neceſſe eſt, aliquid bonum eſſe, quam quaerere poſſim, an obſeruatio officiorum moralium ad rationem boni pertineat; homo *elaterem*, oportebit, habeat, quo moueatur, *antequam* illi *metam* queas proponere, ad quam iſte motus debeat dirigi *).“

Quod argumentum non niſi in luſu verſatur ex ambiguitate vocabuli *boni*: cum iſtud vel vt per ſe abſoluteque bonum, cui contrarium eſt malum per ſe, vel, vt ſemper modo hypothetice bonum, cum bono deteriori melioriue comparatur, vbi ſtatus eligendi poſterioris duntaxat ſtatus comparatiue melior, per ſe ipſe autem nihilominus eſſe malus poteſt. — Norma legis liberi arbitrii categorice imperantis (officii), nullo reſpectu habito finium fundamento conſtitutorum, abſolute ſeruandae, a norma, finem ſectandi, vt momentum ab ipſa natura ſubſtratum (qui in vniuerſum vocatur felicitas) eſſentialiter, id eſt *genere*, differt. Illa enim per ſe ipſa bona eſt, altera nullo modo; quippe, ſi in contentionem veniat cum officio, peſſima eſſe poteſt. Contra, ſi certus quidam finis fundamento ponatur, proinde nulla lex abſolute (ſed tantum cum adiunctione huiusce finis) imperet, duae actiones contrariae ac disiunctae poſſunt ambae bonae eſſe, ita tamen, vt vna melior altera ſit; nam-

*) Id illud ipſum eſt, quod vrgeo. Elaterem, quem homo antea poteſt, quam illi meta (finis) propoſita eſt, habere, manifeſtum eſt, nihil eſſe aliud poſſe, quam legem ipſam, per obſeruantiam, quam ea inſtillat. Etenim lex reſpectu formalium arbitrii ſola relinquitur, cum ab arbitrii materia (meta, vti eam Garuius vocat) mentem atque cogitationem abduxero.

que haud *genere* illae differunt, ſed ſolum magnitudine quaſique *gradu*. Atque ita cum omnibus actionibus comparatum eſt, quarum momentum non in lege rationis abſoluta (officio), verum in fine verſatur a nobis pro arbitrio fundamento conſtituto: hic enim ad ſummam pertinet finium omnium, quibus impetratis felicitas efficitur: vnaque plus actio ad felicitatem meam conferre poteſt, altera minus, proinde melior deteriorue eſſe. — In ſtatu autem voluntatis determinandae alii *praeferendo* ſolum actus ſe exſerit libertatis (res merae facultatis, vti Iurisconſulti dicunt); in quo, haec voluntatis determinatio per ſe bona an mala ſit, nullo modo ſpectatur, proinde ad id nihil intereſt.

Status, coniunctus cum certo quodam *fine dato* exſtandi, quem cuique alii *eiusdem generis* praefero, ſtatus eſt comparatiue melior, nimirum in campo felicitatis (quae numquam ſecus niſi ſolum hypothetice, quatenus ea dignus ſis, *ab ratione* pro *bona* agnoſcitur). Sed ille ſtatus, cum, ſi certi quidam fines in contentionem veniant cum lege morali officii, hanc me praeferri mihimet conſcius ſum, non ſolum melior ſtatus eſt, verum etiam ſtatus ſolum per ſe bonus: quod boni genus ex campo longe alio eſt, vbi finium, qui mihi ſeſe obtulerint (proinde eorum ſummae, nimirum felicitatis) nulla prorſus ratio habetur, et vbi haud per arbitrii materiam (rem obiectam illi fundamento ſubſtratam), verum per ſolam formam legalitatis vniuerſalis normae illorum, ratio determinans eorum efficitur. — Ergo nullo pacto dici poteſt, quemque, quam cuique alii exſtandi modo praefero, ſtatum a me ad felicitatem accenſeri. Primo enim eſſe certus debeo, memet haud contra officium agere; poſtea demum mihi licitum eſt, vt felicitatem circumſpiciam, quantum illius poſſim cum illo ſtatu moraliter (haud phyſice) bono meo coniungere. *)

*) Felicitate cuncta (nec quidquam amplius quam) quae nobis natura poteſt comparare, continentur; virtus autem ea

Ac ſane quidem voluntatis ſint *momenta*, oportebit; verum haec non in rebus verſantur certis propoſitis, ad *ſenſum phyſicum* relatis, vt fines, verum non niſi in ipſa *lege* abſoluta, cuius recipiendae ratio in voluntate, vt ei, qua coactioni abſolutae ſubſis, *ſenſus moralis* adpellatur: qui igitur haud in cauſſis eſt, ſed in effectis determinationis voluntatis, cuius ne minimam quidem in nobis perceptionem haberemus, niſi illa in nobis coactio anteceſſiſſet. Inde vetus illud dicterium: hocce ſenſu, proinde voluptate, quam nobis pro fine proponimus, prima determinandae voluntatis cauſſa, proinde felicitate (ad quam illi vt elementa pertineant) tamen fundamentum efficit vniverſae agendi neceſſitatis, proinde omnis obligationis; inter *crepundias* argutantes referendum eſt. Si ſcilicet in adferenda cauſſa certi cuiuspiam effecti nequeas ab interrogando deſiſtere, fit tandem, vt effectum capias pro cauſſa ſui ipſius.

Iam ad locum accedo, in quo proprie hic occupamur: nimirum vt inuitamentum theoriae et praxeos, quod putatur in philoſophia ſecum puguare, exemplis illuſtretur atque examinetur. Documentum eius rei optimum doctiſſimus *Garuius* exhibet in libro ſupra laudato. Primo (de discrimine loquens, quod inter doctrinam video, quae exponit, quomodo *felices* reddamur, et eam, quae, quomodo felicitate *digni* debeamus euadere, tradit), dicit: „Equidem fateor, eam „memet idearum diuiſionem in *ingenio* meo probe

complectitur, quae homini nemo niſi is ipſe ſibi tribuere poteſt vel adimere. Contra ſi dixeris: aberratione a virtute hominem ſibi certe opprobria et vituperium ſui ipſius, proinde displicentiam putam moralem contrahere, ergo reddere ſe infelicem poſſe; iſtud quidem poterit concedi. At vero ad hanc displicentiam moralem puram (non ex conſequentiis actionis perniciosis, verum ex illegalitate illius) non niſi virtutis cultor, vel qui iam incipit ſeſe ad virtutem componere, idoneus eſt. Ergo ea non in cauſa eſt, ſed in effectis animi virtutis ſtudioſi; nec momentum virtutem colendi ab hac calamitate (ſi dolorem ex prauo facinore ſic dixeris) eſſe potuit depromtum.

„comprehendere, eam vero diuiſionem deſideriorum „atque conatuum in *animo* meo haud reperire; adeo„que non poſſe memet comprehendere, quo modo vl„lus quidam homo fieri ſibi conſcius queat, ſe felici„tatis deſiderium ipſum pure ſeparaſſe, ideoque offi„cio, ſine vllo propriae vtilitatis ſtudio ſatis feciſſe."

In his praeſertim ad poſteriora reſpondeo. Scilicet lubenter largior, neminem certo fieri conſcium poſſe, officium ſeſe ab omni vtilitatis ſtudio alienum *feciſſe*: id enim experientiam internam ſpectat, ad eamque conſcientiam ſtatus animi neceſſaria foret repraeſentatio perpetuo clara omnium repraeſentationum ſecundariarum et reſpectuum ad officii conceptum, per phantaſiam, conſuetudinemque atque inclinationem, accedentium, quae in nullo caſu poteſt poſtulari: neque omnino non-eſſe cuiuspiam (nec proinde commodi cuiusdam ab aliquo occulte cogitati) ſubiectum eſſe experientiae poteſt. At hominem *facere* officium debere ſine vllo ſtudio vtilitatis, deſideriumque felicitatis prorſus *oportere* ab officii conceptu ſeparare, vt totum illum purum habeat: eius ſibi quidem cum ſumma claritate conſcius eſt; aut, ſi eſſe ſe conſcium eius haud crederet, vt ſit, poſtulari ab eo poteſt, quantum in ſe ſit; quoniam in hac ipſa puritate verum ineſt pretium moralitatis, ideoque eius eſſe conſcius poſſit, neceſſe erit. Fortaſſe numquam vllus homo agnitum atque ab ſe cultum officium ab omni vtilitatis ſtudio remotus (nullis admixtis elateribus aliis) fecerit; fortaſſe numquam quisquam, vtcumque vires contendat, eo perueniet. Verum, quantum in ſeſe diligenter excutiendo poſſit percipere, vt ſibi conſcius fiat non ſolum nullius eiusmodi momenti cooperantis, ſed potius abnegationis ſui ipſius multarum rerum ideae officii contrariarum, proinde normae ad illam puritatem adſpirandi: id quidem poteſt; idque etiam illi ſatis eſt ad officium faciendum. Contra cum fauor contagionis eiusmodi momenti pro norma capitur, ſub ſpecie, quaſi humana

Digitized by Google

natura talem puritatem haud concedat (quod tamen quoque non poteſt certo adfirmari): interitus eſt moralitatis vniuerſae.

Quod autem confeſſionem Garuii attinet, breui antegreſſam, ſe illam diuiſionem (proprie ſeparationem) minus in *animo* ſuo reperire; nullus dubito, illi in ſe ipſo arguendo recta contradicere, eiusque animum contra ingenium tueri. Ipſe, vir probus et candidus, reapſe eam ſemper reperit in animo ſuo (in determinationibus voluntatis); ea vero modo in gratiam contemplationis ad comprehenſionemque illarum, quae incomprehenſibilia (inenodabilia) ſunt, ſcilicet poſſibilitatis imperatiuorum categoricorum (cuiusmodi poſſibilitas officii eſt) in ingenio eius cum conſuetis enodationum pſychologicarum principiis (quae cuncta mechaniſmum neceſſitatis phyſicae fundamento ponunt) congruerunt. *)

Cum autem *Garuius* poſtremo „eiusmodi, ait, „ſubtilia idearum discrimina iam *obſcurantur meditan-* „*do* de rebus particularibus; ſed *tota pereunt*, cum de „*actione* agitur, ſi ad cupiditates debeant finesque ad- „hiberi. Quo ſimplicior gradus eſt, quoue celerior „atque *ab repraeſentationibus claris denudatior*, quo a „contemplatione momenti transimus ad veram actio- „nem; eo minus fieri poteſt, vt determinatum pon-

*) *Garuius* (in adnotationibus ad *Ciceronis* libros de officiis, p. 69. Edit. 1783.) pro acumine ſuo, ingenue confitetur: „Libertatem ex intima perſuaſione ſua ſemper manſuram „fore inenodabilem, neque vnquam explicatum iri.“ Argumentum pro illius exiſtentia nullo modo poteſt, per experientiam, neque proximam, neque remotam, oſtendi; neque tamen ſine vllo poteſt ea argumento accipi. Cum igitur argumentum illius non poſſit ex rationibus ſolum theoreticis (quippe quae non forent in experientiae conquirendae), proinde ex enuntiationibus rationis ſolum practicis, neque tamen technice practicis (quae quippe viciſſim rationibus empiricis opus haberent), proinde non niſi ex rationibus moraliter practicis inſtitui queat; mirandum eſt, quare *Garuius* haud ad conceptum libertatis confugeret, vt ſaltem poſſibilitas talium imperatiuorum ſeruaretur.

Digitized by Google

„dus, quod a quoque momento acceſſit, ad paſſum ſit „nec aliter ducendum, adcurate certoque cognoſca„mus“ — tum alta voce intentaque vt ei contradicam, oportebit.

Conceptus officii in vniuerſa puritate ſua non ſolum vnice ſimplicior eſt, clariorque et cuique ad vſum practicum comprehenſu facilior naturaeque conuenientior, quam quodque momentum a felicitate depromtum, cum eaue et reſpectu eius habito commixtum (quod ſemper multam et artem poſtulat et deliberationem); verum etiam in iudicio ipſius rationis humanae maxime vulgaris, ſi modo ad eam, et quidem ſeparatus ab hoc, atque etiam huic oppoſitus voluntati hominum admoueatur, multo *fortior* eſt, validiorque atque efficacior, quam omnes mouendi rationes a principio propriae vtilitatis deſumtae. — Fac, vt hoc vtar, quemdam tenere depoſitum, cuius dominus mortuus ſit, eiusque haeredibus eam rem haud innotuiſſe, neque vmquam innoteſcere poſſe. Cauſſam narra vel paruulo cuidam annorum octo vel nouem; adde, poſſeſſorem depoſiti (non per culpam ſuam) eo ipſo tempore prorſus eſſe fortunis euerſum, praeterea familia cingi, vxore et liberis inopia depreſſis, quibus anguſtiis continuo ſeſe liberaturus eſſet, ſi depoſitum iſtud ad ſe transferret; quem ſimul humanum eſſe ac beneficum, iſtos haeredes vero dites et inhumanos, maximeque luxurioſos ac prodigos, ita vt perinde foret, ac ſi haec ad facultates eorum acceſſio in mare proiiceretur. Et nunc, velim, interroges, vtrum his temporibus pro licito poſſit haberi, vt iſtud depoſitum in vſum ſuum conuertat? Sine dubio paruulus reſpondebit: minime! atque inſtar omnium rationum duntaxat poterit dicere: *iniuſtum eſt*, hoc eſt, pugnat cum officio. Quo nihil eſt manifeſtius; nec ſane vero ita, vt ſuam ipſius *felicitatem* depoſito reddendo promoueat. Etenim ab huiusce reſpectu conſilii ſui exſpectaret determinationem, ſic poſſet, vt hoc vtar, cogitare: „Si depoſitum dominis veris ſponte reddis

„et voluntarie, ſine dubio de fide tua te remunera„buntur; aut, ſi id haud euenerit, gloriam tibi inde „ampliſſimam comparabis, quae tibi admodum pote„rit prodeſſe. Verum haec omnia admodum ſunt in„certa. Contra ſane quidem multa quoque oboriun„tur dubia: ſi depoſitum iſtud ſurripere velles, quo „ſubito te ex miſeriis liberares, ſuſpicionem contra „et, ſi celeriter eo vterere, commoueres, quomodo „quibusque viis tam cito rem tuam amplificaueris; ſin „autem tardius ea in re verſarere, miſeria tantopere „ingraueſceret, vt ei nullo pacto queat mederi.“ — Igitur voluntas ex norma felicitatis, titubat incerta in elateribus, quid ſtatuendum ſit; namque euentum reſpicit, idque maxime incertum eſt; bono opus eſt ingenio vt ex turba rationum contrariorumque momentorum ſeſe expediat, neque in ſupputando fallatur. Contra ſi ſe ipſe, quid nunc in officio ſit, percontetur: minime de ſibi ipſi reſpondendo laborat, ſed continuo, quid faciendum ſit, iudicat. Quin adeo, ſi qua vis ei ſit conceptus de officio, perſentiſcit auerſationem, ne rationem habeat commodorum, quae ad ſe poſſent ex officio migrato redundare, quaſi ſibi etiamnum optio foret.

Haec igitur discrimina (quae, vti modo disputavimus, haud tam ſubtilia ſunt, quam Garuio videntur, ſed ſcriptura denſiſſima maximeque diſtincta hominis animo inſculpta ſunt) *prorſus*, vti dicit, *ſi de actione agatur, euaneſcere;* ipſi noſtrae experientiae repugnat. Haud illi quidem, quam *hiſtoria* exhibet normarum ex vno alteroue principio hauſtarum: quippe tum ſane ea probat, eas maximam partem fluere ex principio propriae vtilitatis; verum experientiae illi, quae non niſi intus eſſe poteſt, nulla idea humanum animum magis eleuari atque vsque ad furorem atque enthuſiaſmum animari, quam mente conſilioque morali puro officium omnium maxime colente, cum innumerisque vitae malis atque ipſis illecebris illis fallaciſſimis conflictante, et tamen (quo iu-

re ſumitur, hominem valere) eas ſuperante eo, quod homo ſibi conſcius eſt, ſed iſtud valere, quia debeat, vorago aperitur initiorum diuinorum, quae illi quaſi ſacrum horrorem incutit de magnitudine atque excellentia verae deſtinationis ſuae. Et ſi homo ſaepius intenderetur eo atque adſuefieret, vt virtutem copia prorſus exueret vtilitatum ex faciendo officio exſpectandarum, eamque totam in puritate eius cogitaret; ſi priuatae publicaeque inſtitutionis principium ſtabiliretur perpetuo iis vtendi (quae quidem via inculcandi officii paene ſemper neglecta eſt); breui de hominum moralitate actum foret. Quod experientia hiſtorica huc vsque nondum teſtata eſt bonum ſucceſſum doctrinarum virtutis, eadem ipſa ſine dubio falſa iſta ſuppoſitio in cauſa eſt: elaterem ab idea officii per ſe ipſius deriuatum conceptui vulgari nimium ſubtilem eſſe, contra quem craſſiores a certis quibusdam vtilitatibus tum huius, tum futuri mundi, ex ſeruanda lege ſperandis (nullo illius qua elateris habito reſpectu) deſumtos, fortius animum moturos fore; quodque, vt ſtudio felicitatis prae eo, quod ratio pro conditione ſuprema ſtatuit, ſcilicet dignitate felicitatis perfruendae principatus tribueretur, huc vsque principium educationis inſtitutionisque eccleſiaſticae ſtabilitum videtur. Namque *praeſcriptiones*, quomodo te reddere felicem queas, certe damnum euitare, non ſunt in *praeceptis*. Iis nemo ſimpliciter obligatur; licetque admonito, quae ſibi bona videatur, optet, ſi ſibi placuerit, quae accidunt, perpeti. Mala, quae illi tum ex neglecto conſilio oriri poſſint, non eſt, quod pro poenis habeat: haec enim non niſi ad voluntatem liberam pertinent ſed legi contrariam; verum natura inclinatioque non poſſunt leges ferre libertati. Longe aliter comparatum eſt cum idea officii, cuius transgreſſio, vel nullo reſpectu habito damnorum inde naſcentium, proxime vim exſerit in animo, hominemque coram ſe ipſo abiectum reddit et poenae obnoxium.

In quo igitur manifeſtum argumentum ineſt,

Digitized by Google

omnia, quae in philoſophia morali vera ſunt theoriae, valere quoque ad praxin oportere. — Igitur qua homo, vt natura per ſuam ipſius rationem certis quibusdam officiis obnoxia, quisque eſt *homo negotioſus*; et, cum tamen, qua homo, ex ſchola ſapientiae numquam excedat, non poteſt, vt opinato per experientiam de eo, quid homo ſit, quidque ab eo poſtulari queat, melius edoctus, ſectatorem theoriae ſuperbo contemtu ad ſcholam relegare. Neque enim quidquam eum vniuerſa iſta experientia iuuat, ad ſeſe praeſcripto theoriae ſubtrahendum, verum ad ſummum, vt diſcat, quomodo melius ea et generalius inſtitui poſſit, ſi eam in principiis repoſueris; verum de hac dexteritate pragmatica hoc loco non ſermo eſt, ſed modo de poſteriori.

II.

DE ADFECTIONE THEORIAE AD PRAXIN IN IURE PUBLICO.

(contra *Hobbeſium*).

Omnium pactorum, quibus multitudo hominum ſeſe ad ſocietatem coniungit (pactum ſociale) pactum *vnionis ciuilis* hoc ſibi proprium habet, vt, quamuis reſpectu *exſecutionis* multa ſint cum quouis alio (quod itidem finem ſpectat arbitrarium communiter promouendum) ſibi communia, tamen quoad principium conſtitutionis ciuilis ab omnibus aliis interne differat et diſtinguatur. Coniunctio plurium ad vllum finem quempiam (communem) in omnibus pactis ſocialibus ineſt; verum coniunctio illorum, quae per ſe ipſa finis ſit (qui cuique eſſe *propoſitus debeat*), quae proinde in vnaquaque hominum relatione externa generatim, qui non poſſunt non in contagionem cum ſe invicem incidere, in officio abſoluto eſt primoque: cuiusmodi non niſi ſocietate deprehenditur, quatenus ea in ſtatu ciuili verſatur, id eſt, rempublicam conſtituit. Finis autem, qui in eiusmodi relatione externa

per se ipse in officio est, ipsaque in conditione formali suprema (conditione sine qua non) versatur omnis reliqui officii externi, cernitur in *iure* hominum *sub legibus cogentibus publicis*, quibus suum cuique determinari, eique a cuiusque alius iniuria potest caveri.

Sed conceptus iuris externi in genere prorsus emergit ex conceptu *libertatis* in relatione hominum ad se inuicem externa, nihilque illi quidquam negotii est cum fine vniuersis hominibus per naturam proposito (fine felicitatis), neque cum praescripto de adiumentis, quibus eum adsequamur: ita vt inde quoque hoc posterius nullo pacto debeat legi illi vt ratio determinandae illius, sese immiscere. *Ius* libertate continetur cuiusque ad conditionem adstringenda conspirationis eorum cum libertate cuiusque, quatenus haec esse possit ex lege quadam vniuersali; et *ius publicum* cernitur in complexu *legum externarum*, quibus efficitur, vt fieri possit eiusmodi conspiratio perpetua. Cum autem quae circumscriptio libertatis per arbitrium alterius *coactio* adpelletur, sequitur, vt constitutio ciuilis in relatione hominum versetur *liberorum*, qui (salua libertate sua in vniuersa cum aliis coniunctione) tamen legibus subsint cogentibus: quoniam ratio ipsa sic praecipit, et quidem ratio pura ex anticipatione legislatoria, quae nullum finem spectat empiricum (qui cuncti sunt generali felicitatis nomine comprehensi); cuius quippe respectu, et qua in cumque re quisque eum posuerit, hominum sententiae admodum variantur, ita vt eorum voluntas nullo principio communi queat, nec proinde lege quadam externa, cum cuiusque libertate conueniente, comprehendi.

Itaque status ciuilis, si duntaxat vt status iuridicus consideretur, his principiis est ex anticipatione fundatus:

1) In *libertate* membri cuiusque societatis, qua *hominis*.

2) In *aequalitate* illius cum vnoquoque alio, vt *ſubiecti*.

3) In *ſibiſufficientia* cuiusque membri reipublicae, vt *ciuis*.

Quae principia non tam in legibus verſantur, quas ſtatus fert iam conſtitutus, verum quibus ſolis efficitur vt conſtitutio ciuitatis, principiis rationis puris iuris humani externi omnino conuenienter, fieri poſſit. Ergo:

1) *Libertas* qua hominis, cuius principium in republica conſtituenda hac formula includo: nemo mecum cogere poteſt, vt felicitatem quaeram eius in via *modoque* (vti ſalutem aliorum hominum cogitatione ſibi informat), verum cuique licet, vt felicitatem quaerat in via, qua ſibi placet, modo ne libertati detrahat aliorum, ſimilem finem conſectandi, quae cum libertate poſſit cuiusque ex lege quadam vniuerſali poſſibili conſiſtere, hoc eſt, ne iuri alterius quidpiam deroget). — Imperium, quod in principio beneuolentiae erga populum, velut *patris* erga liberos, conſtitutum foret, id eſt, *imperium paternale*, vbi proinde ſubditii inſtar paruulorum impuberum, qui, quae ſibi reapſe proſint vel obſint, nequeunt discernere, coguntur ſeſe gerere paſſiue, vt, quomodo felices eſſe *debeant*, ſolum ab iudicio exſpectent principis ciuitatis: maximus eſt, qui fingi cogitatione poterit, *deſpotismus* (conſtitutio omnem libertatem ſubditorum, quibus tum nulla omnio iura ſunt, tollens). Imperium, non *paternale*, ſed *patrioticum* illud eſt, quod ſolum poſſit hominibus, iurium capacibus, ſimul reſpectu beneuolentiae imperantis, cogitari. *Patriotica* enim mens eſt, cum quisque in ciuitate (ne principe eius quidem excepto) rempublicam vt gremium maternum, terramue vt ſolum patrium conſiderat, ex qua atque in qua ipſe ortus ſit, quamque etiam vt earum pignus relinquere debet, tantummodo vt iura illius per leges voluntatis communis tueatur, non vero arbitrio abſoluto ſuo vtendam ſubiiciat, ſe-

ſe teneri arbitratur. — Hoc ius libertatis illi, membro reipublicae, competit qua homini, quatenus hic ſcilicet natura eſt, quae generatim iurium capax videtur.

2) *Aequalitatis*, vt ſubditi, formula ſic poteſt efferri: cuique membro reipublicae erga quodque aliud iura competunt cogentia, excepto ſolo principe illius (idcirco quia illius non membrum eſt, ſed conditor et conſeruator); cui ſoli ius cogendi eſt, ita vt haud ipſe ſit legi cogenti obnoxius. Omnes autem, qui legibus *ſubſunt*, in ciuitate ſubditi ſunt, proinde legi cogenti, inſtar aliorum omnium reipublicae membrorum, obnoxii; excepto vno (perſona phyſica vel morali), ciuitatis principe, per quem ſolum poteſt omnis coactio iuridica exerceri. Namque, ſi hic itidem cogi poſſet, haud is quidem princeps ciuitatis foret, ſeriesque ſubordinationis pergeret in infinitum. Quodſi autem duo eſſent (perſonae a coactione liberae); tum nullus eorum legibus cogentibus ſubeſſe, neque alteri iniuriam inferre poſſet; quod fieri non poteſt.

Haec tota vero hominum in ciuitate, vt ſubditorum eius, aequalitas commode cum maxima conſiſtit inaequalitate multitudinis magnitudinisque poſſeſſionum, ſiue corporis muneribus alios vincat, ſiue animi, ſiue bonis fortunae extra ſe, iuribusque in genere (quorum multa eſſe poſſunt) reſpectu aliorum; ita vt ſalus vnius admodum pendeat ex voluntate alterius (pauperis ex diuite) vt alter obſequi debeat (velut parentibus liberi, vxorue marito) et alius ei imperet, vt alius miniſtret (vt mercenarius) alius mercedem praebeat, et ſic porro. Verum *iure* (quod vt pronuntiatum voluntatis vniuerſalis non poteſt niſi vnum eſſe, et quod formam iuris, non vero materiam vel rem, in quam ius habeo, attingit) tamen ſunt, qua ſubditi, vniuerſi ſibi inuicem aequales; ſiquidem nullus vllum quempiam non niſi per legem publicam (eiusque exſecutorem, principem ciuitatis)

cogere poteſt, per hanc autem ei quoque quisque alius itidem reſiſtit, nemo autem hoc iure cogendi (proinde iure contra alios fruendi) priuari poteſt, niſi per ſuum ipſius crimen, neque ab eo ſeſe ſponte abdicare, hoc eſt, pacto, proinde actione iuridica, efficere poteſt, vt ſibi nulla iura ſint, ſed ſolum officia: quoniam eo ſe ipſe iure priuaret paciſcendi, proinde pactum ſe ipſo tolleretur.

Atque ab hac idea aequalitatis hominum in republica nunc formula proficiſcitur: neceſſe eſt, vt vnum quodque membrum illius ad quemque ordinis in ea gradum (qui ſubdito poſſit competere) liceat adſcendere, quo dotes ingenii, ſtudiumque ac fortuna poſſint eum euehere; neque licebit, vt ciues eius per ius aliquod *haereditarium* (qua priuilegiati certi cuiusdam ordinis) illi obſint, vt ipſe eiusque poſteri ſub eo aeternum deprimant.

Cum enim omne ius ſolum in libertate cuiusuis alius cernatur adſtringenda ad conditionem, vt cum mea poſſit ex lege vniuerſali conſiſtere, et ius publicum (in republica) ſolum ſtatu contineatur legislationis verae, huic principio conſentaneae cum poteſtateque coniunctae, qua fit, vt cuncti, quibus populus efficitur, qua ſubditi, omnino ſint in ſtatu iuridico, nempe aequalitatis actionis et reactionis arbitrii vniverſali libertatis legi conuenienter circumſcribentis (qui ſtatus vocatur ciuilis); *ius connatum* cuiusque in hoc ſtatu (id eſt, ante omnem actionem eius iuridicam) perpetuo *aequale* eſt, reſpectu iuris quemque alium cogendi, vt ſemper intra terminos conuenientiae vtendae libertatis cum mea ſeſe teneat. Cum igitur natales non in *actione* verſentur illius, qui naſcitur, proinde iis nulla huic inaequalitas ſtatus iuridici queat neque ſubiectio ſub leges cogentes contrahatur, praeter eam ſolum, quae illi qua ſubdito poteſtatis vnius ſoliusque legislatoriae ſupremae cum aliis eſt omnibus communis; nullum eſſe ius connatum poteſt membri reipublicae, qua ſubditi; neque quisquam

ius poteſt *ordinis*, quem capit in republica, haereditate ad poſteros transferre, nec proinde, quaſi ad ordinem dominorum per natales aptus atque idoneus, hos itidem cogendo detinere, quo minus ad altiores gradus ſubordinationis (ſuperioris et inferioris, ex quibus autem nullus imperans, ſit alter ſubiectus) ex proprio merito perueniat. Cuncta omnia, quae in rebus ſunt (nec perſonas attingunt) aliis haereditate relinquere poteſt, quaeque vt dominium parta ſunt et proinde quoque queunt ab eo alienari, atque ita per ſeriem poſterorum permagnam fortunarum aequalitatem in membris reipublicae (mercenarii et conductoris, proprietarii et ſeruorum agrum colentium et ſic porro) efficere; nec vero impedire, quo minus hi, ſi per munera naturae, ſtudiumque et fortunas fieri queat, ad ſeſe aequaliter euehendos, iure teneantur. Alias enim illi liceret, vt cogeret, neque tamen aliorum reactione viciſſim cogi poſſet, gradumque ſubditi ſocii migraret. — Atque hac aequalitate nemo homo poteſt, qui in ſtatu iuridico reipublicae degit, niſi per ſuum ipſius crimen, numquam vero, nec per pactum, nec per occupationem bellicam excidere; neque enim vlla actione iuridica (nec ſua ipſius, nec alterius aliena) deſinere poteſt, ſuus eſſe, neque in claſſem tranſire pecoris domeſtici, quo ad omnia pro lubitu vtimur, nulloque eius conſenſu in noſtra poteſtate retinemus, quamdiu volumus, quamuis cum adiunctione (quae etiam fere, vti in Indis, nonnumquam per religionem confirmatur) ne mutilemus illud, neue necemus. Is in quouis ſtatu pro felici accipi poteſt, ſi modo ſibi conſcius ſit, ſolum ex ſe ipſo (facultate ſua, vel voluntate ſeria) aut ex temporibus, quae nulli alii verti culpae poſſint, non vero ex voluntate aliorum irreſiſtibili pendere, quod haud ad aequalem cum aliis gradum adſcendat, quibus, vt ſociis ſubditis prae ſe nihil quidquam iuris competit. *)

*) Quodſi cum vocabulo *clemens* cogitationem velis certam definitamque (a benigno, humano, patrocinante et id genus aliis diuerſam) coniungere, non poterit niſi illi tribui, con-

Digitized by Google

3) *Sibisufficientia* membri reipublicae qua *ciuis*, hoc est, socii legislatoris. Quoad legislationem ipsam omnes, sub legibus publicis iam conditis liberi atque aequales, non sunt, respectu iuris eas leges ferendi, pro aequalibus aestimandi. Qui huius iuris haud capaces sunt, nihilominus, qua membra reipublicae, his legibus seruandis obnoxii sunt, eoque tutelae ex iis participes; verum non qua *ciues*, verum qua *socii*. — Nimirum vniuersum ius pendet ex legibus. Sed lex publica, quae omnibus id, quod illis iuridice licitum debeat vel illicitum esse, determinat, cernitur in actu voluntatis publicae, vnde omne ius proficiscitur, et quae proinde nemini, necesse est, queat iniuriam inferre. Quo quidem potest nulla alia voluntas esse, quam voluntas populi vniuersi (cum omnes de omnibus, proinde quisque de se ipso decernit): neque enim, nisi sibi ipse nemo potest iniuriam inferre. Sin autem alius sit, sola voluntas cuiuspiam ab se diversi nihil quidquam potest de eo decernere, quod

tra quam *nulli coactionis iuri* locus videtur. Ergo non nisi princeps *ciuitatis*, qui quodque bonum, quod ex legibus publicis esse potest, et efficit, et impertit, (*summus* enim *imperans*, eas ferens, quasi haud sub adspectum cadit; est lex ipsa personis forma induta, non procurator) salutari *domine clemens* potest, tamquam vnus solusque, contra quem nulli iuri cogenti locus est. Sic in ipsa aristocratia, velut Venetiis, *senatus* vnus dominus clemens est, sed nobiles, quibus is efficitur, cuncti sunt, ne *duce* quidem excepto (non enim nisi *senatus magnus* summus imperans est) subditi, respectuque iuris exercendi aliis omnibus aequales, ita nimirum vt cuique subdito ius competat, vnum quemque illius cogendi. Principes (hoc est, personae, quibus ius hereditarium competit imperiorum) quoque quidem propter eam spem illaque iura (aulicorum consuetudine) salutantur clementes; sed quoad statum possessorium nihilominus subditi. Socii sunt, contra quos vel minimo famulorum per principem ciuitatis ius cogens competat, necesse est. Ergo non nisi vnus potest dominus clemens in ciuitate esse. Sed feminae quidem clementes (proprie principes) possunt illae quidem sic considerari, quasi *ordo* illarum vna cum *sexu* (proinde non nisi erga *virilem*) iis ius tribuat huiusce tituli, et quidem per quamdam polituram morum, atque elegantiam (*galanterie*) qua fit, vt sexus virilis se ipse eo magis colat ac veneretur, quo plura sexum venustum sese declarent superiorem.

non poſſet iniuſtum eſſe; ergo lex eius aliam porro legem poſtularet, qua legislatio illius circumſcriberetur, proinde nulla voluntas ſingularis poteſt eſſe reipublicae legislatoria. (Reapſe conceptibus et libertatis externae, et aequalitatis, et *vnitatis* voluntatis *omnium* coniunctis iſte conceptus efficitur, cuius poſterioris (vnitatis), cum ſuffragatione opus ſit, duobus primis coniunctis, conditio eſt ſibiſufficientia). Haec lex conſtitutiua, quae non poteſt niſi e populi voluntate vniuerſali (coniuncta) oriri, *pactum originarium* vocatur.

Is igitur, cui ius eſt ſuffragandi in ea legislatione, dicitur *ciuis* (*citoyen*), hoc eſt, *ciues ciuitatis*, non *municeps* (*Burgeois*). Requiſitum illius neceſſarium, praeter *naturale* (ne paruulus ſit, ne femina), vnum hoc eſt: vt *ſuus* ſit (ſui iuris), proinde illum quidpiam *proprii* habeat (quo etiam quaeuis ars, opificiumque, vel ars publica aut ſcientia poteſt referri) quo alitur; hoc eſt, vt tum, cum ab aliis ſibi, quo vitam toleret, quaerendum eſt, non niſi *alienandis* iis, quae ſùa ſunt *), quaeſtum faciat, non conceſſione alteri facta viribus ſuis vtendi, vt nemini ſenſu verbi proprio *ſeruiat* niſi reipublicae. In quo igitur artificis et magni (paruiue) proprietarii cuncti ſunt aequales, quippe quisque iure pollet vnius modo ſuf-

*) Is, qui *opus* conficit, iſtud *alienando* poteſt ad alios transferre, quaſi ſuum foret. Verum *operae praeſtatio* nulla alienatio eſt. Famulus, miniſter tabernarius, mercenarius, vel ipſe crinium criſpator non niſi *operarii* ſunt, nulli *artifices* (ſenſu vocabuli latiori) nec membra ciuitatis, neque proinde ad ciuitatem idonei. Quamquam, cui ligna diminuenda conduco, ſartorque, cui pannum trado, ad veſtem conficiendam, ſimillima ad me relatione videntur verſari, tamen ille ab hoc velut criſpator crinium a fabricatore capillamentorum (cui et capillum eam in rem dederim), proinde velut mercenarius ab artifice, qui opus conficit, quo ſuum eſt, quam diu nondum pecuniam accepit, differt. Hic poſterior igitur, vt negotians rem ſuam permutat cum alio (opus), ſuperior autem vſum ſuarum virium, quem alii cuidam concedit (operam). Fateor, non nihil difficultatis in eſſe in requiſito determinando, quo poſſis ordinem hominis, qui ſuus eſt (ſui iuris), tibi vindicare.

Digitized by Google

fragii. Etenim, quod ſpectat hos poſteriores, miſſa quaeſtione: quo tandem iure factum ſit, vt quis plus terrae in poteſtatem ſuam acceperit, quam ſuis ipſe manibus poſſit tractare (namque acquiſitio ex occupatione bellica nulla eſt occupatio prima); et qui factum ſit, vt multi homines, qui alioqui cuncti potuiſſent poſſeſſionem ſibi perpetuam comparare, ea re eo adacti ſint, vt illis ſolum ſeruirent, quo vitam poſſent propagare? iam cum ſuperiori aequalitatis principio pugnaret, ſi lex quaedam eis priuilegium ordinis concederet, vt poſteri vel ſemper magni proprietarii (feudorum) deberent manere, ita vt neque vendi liceret aut haereditate diuiſa ideoque pluribus ex populo prodeſſe, vel, in his ipſis quoque diuiſionibus, nemo quidquam eorum, niſi qui ad certum quemdam hominum ordinem eo arbitrarie deſtinatum pertineant. Scilicet proprietarius magnus tot proprietarios minores cum eorum ſuffragiis tollit, quot capere illius locum poſſent; nec proinde eorum nomine ſuffragium fert, ideoque vno duntaxat ſuffragio pollet. — Cum igitur neceſſario ex facultate, ſtudioque et fortuna cuiusque membri reipublicae pendere debent, vt quisque aliquando partem eius omnesque vniuerſum ſibi comparent, huius vero discriminis in legislatione vniuerſali non poſſit ratio haberi; ſequitur, vt ex capitibus eorum, qui quidpiam poſſident, non vero ex magnitudine poſſeſſionum, numerus debeat eorum, qui iure ſuffragandi gaudent, diiudicari.

Verum quoque neceſſe eſt, vt, quibus ius iſtud ſuffragationis competit, *omnes* ad hanc legem iuſtitiae publicae conſentiant; alioquin enim inter eos, qui ad eam haud conſentiunt, et priores lis foret de iure, quae ipſa etiamnum indigeret prinoipii iuris altioris, vt queat ea dirimi. Sin igitur prius non poteſt a populo vniuerſo exſpectari, proinde ſolum ſuffragiorum pluralitas et quidem non ſuffragantium proxime (in populo magno), ſed modo delegatorum, vt populum repraeſentantium vnum poterit, quod adſequi poſ-

ſis, praeuideri; tamen ipſum principium, in ea pluralitate acquieſcendi, quaſi concentu vniuerſali, proinde per contractum, acceptatum, eſſe pro ratione ſuprema debebit conſtitutionis ciuilis fundandae.

Conſectarium.

Hic igitur *contractus* eſt *originarius*, in quo ſolo conſtitutio ciuilis poteſt, proinde tota iuridica inter homines fundari et res publica conſtitui. — Verum hiece contractus originarius (vel pactum ſociale), qua coalitio voluntatis cuiusque ſingularis et priuatae in populo quodam cum voluntate communi et publica (in gratiam legislationis ſolum iuridicae), nullo pacto opus eſt, vt tamquam *factum* ſupponatur (quid? quod ea qua tale nullo modo fieri poſſit); quaſi primo ſit antea ex hiſtoria probandum, populum, in cuius iura et obligationes nos vt poſteri ſucceſſimus, *aliquando* reapſe eiusmodi actum patraſſe, certumque documentum nobis inſtrumentumue, ore nobis vel ſcriptura, debuiſſe relinquere, vt ad conſtitutionem ciuilem iam conſiſtentem nosmet iudicemus obligatos. Verum ſola *idea* eſt rationis, cuius autem indubitata realitas (practica) eſt: nimirum vt quisque legislator obligetur, ad leges ſuas ita ferendas, vti ex voluntate vniuerſi populi coniuncta *potuerint* oriri, et ad vnumque ſubditum ſic conſiderandum, quatenus vult ciuis eſſe, quaſi in communionem venerit ad eiusmodi voluntatem ſuffragandi. Id enim lapis eſt Lydius probitatis cuiusque legis publicae. Si ſcilicet haec ita comparata ſit, vt fieri *nequeat*, vt populus ad eam conſentiat (velut vt ad certam quamdam claſſem *ſubditorum* haereditate venire *ſtatus dominorum* debeat), haud ea iuſta eſt; quodſi autem *fieri poſſit*, vt populus in eo conueniat, in officio vt lex iuſta reputetur; etiamſi populus in praeſens in eo rerum ſtatu eſſet, aut animorum tenore, vt, ea de re rogatum probabile ſit, ſuffragationem ſuam denegaturum *).

*) Si, vt hoc vtar, vectigal bellicum rationibus ſubditorum aequa atque conueniens imperaretur, hi idcirco, quia one-

Digitized by Google

Verum hanc circumſcriptionem, manifeſtum eſt, ad iudicium legislatoris pertinere, non vero ſubditi. Cum igitur populus ſumma cum probabilitate iudicaret ſe felicitatem ſuam ſub certa quadam legislatione nunc praeſente perditurum eſſe, quid illi tum faciendum erit? num debebit ſeſe opponere? Non poteſt ad haec niſi ſic reſponderi: illi nihil reliquum eſt, niſi vt pareat. Neque enim hoc loco ſermo eſt de felicitate, ex fundatione quadam vel adminiſtratione reipublicae ſubdito exſpectanda; verum primo ſolum de iure, de quo cuique ea re debet caueri: quod principium ſupremum eſt, vnde omnes normae, quae rempublicam attingunt, neceſſe eſt, proficiſcantur, et quod nullo alio quodam circumſcribitur. Reſpectu ſuperioris (felicitatis) nullum omnino poteſt principium vniuerſe valens legum proponi. Namque, cum temporibus tum quoque errore ſecum invicem pugnante, et praeterea ſemper mutabili, in quo quis felicitatem ſuam ponit, (ſed qua in re eam ponere debeat, ab nemine poteſt illi praeſcribi) efficitur, vt cuncta principia firma ac ſtabilia eſſe nequeant, atque ad principium legislatione per ſe ſola haud idonea ſint. Sententia: ſalus publica ſuprema ciuitatis lex eſt, dignitatem ſuam atque auctoritatem obtinet haud deminutam; ſed ſalus publica, quae *primo* ſub contemplationem cadit, in ea ipſa conſtitutione legali verſatur, quae cuique cauet per leges de eius libertate: in quo quidem, illi liberum eſt, vt, in quacumque illi placuerit, via poſſit felicitatem quae-

roſa eſt, non poſſunt illud iniuſtum declarare. quia forte bellum, ex ſententia illorum, inutile ſit; id enim diiudicandi ius illis haud competit; ſed, quoniam ſemper *fieri poteſt*, vt illud haud euitari queat et vectigal neceſſarium ſit, in iudicio ſubditi neceſſe eſt pro legitimo valeat. Cum autem certi quidam proprietarii in eius bello oneribus onerentur, ſed aliis ordinis eiusdem parceretur; tum facile intelligitur, populum vniuerſum non poſſe ad eiusmodi legem ſuffragari, illique ius competit, contra eam ſaltem querelas mouere, quoniam non poteſt hanc iniquam onerum deſcriptionem iuſtam iudicare.

rere, modo ne libertati illi legali vniuerſali, proinde iuri ſubditorum ſociorum quidquam detrahat.

Quodſi poteſtas ſuprema leges ferat, proxime felicitatem (opulentiam ciuium, multitudinem populi et id genus alia) ſpectantes; fit iſtud minime vt finis conſtitutionis ciuilis fundandae, ſed ſolum, vt adiumentum, ad *ſtatum iuridicum* potiſſimum contra hoſtes populi externos, *tutandum*. De quo quidem ciuitatis principi ius, oportebit, competere, ipſe ſolique iudicandi, an eiusmodi ad ſalutem reipublicae pertineat, quae neceſſaria eſt, vt illius robori ac firmitati cum intus, tum contra hoſtes externos proſpiciatur; vt ita vero populum haud quaſi inuitum felicem reddat, ſed tantum modo vt curet, vt res publica exſtet *). Atque in hac diiudicatione, illa regula *prudenter* inſtituta ſit nec ne, poteſt quidem legislator peccare, verum non in ea, cum ſe ipſe quaerit, vtrum lex quoque cum iuris principio conueniat, an minus; tum enim idea illa pacti originarii ſibi pro regula in promptu eſt infallibili, et quidem ex anticipatione (neque illi, vti in principio felicitatis, experientiae ſunt exſpectandae, quibus primum debeat de vtilitate adiumentorum ſuorum edoceri). Etenim, ſi modo haud pugnet, populum vniuerſum ad eiusmodi legem ſuffragari, vt is cumque grauetur; iuri conſentaneum erit. Si qua vero lex publica huic conueniat, proinde reſpectu iuris irreprehenſibilis ſit; et ius cogendi cum ea, atque ex altera parte interdictum voluntati legislatoris actu reſiſtendi coniunctum eſt, hoc eſt, potentia in ciuitate, quae legi effectum impertit, itidem *irreſiſtibilis* eſt, nullaque res publica exſtat iuridice conſiſtens ſine eiusmodi poteſtate, quae omnem

*) Quo certa quaedam pertinent interdicta inportationis, quo adiumenta quaeſtus bono ſubditi incommodum exterorum ad induſtriamque aliorum excitandam promoueantur, quoniam ciuitas, ſine populi opulentia, non ſatis virium haberet, hoſtibus externis reſiſtendi, vel ſeipſam vt publicam rem conſeruandi.

Digitized by Google

reſiſtentiam internam proſternit, quippe quae ſecundum normam fieret, qua, ſi ad vniuerſos permanaret, omnis conſtitutio ciuilis euerteretur ſtatusque, in quo non niſi homines poſſunt iurium poſſeſſione omnino frui, exſtingueretur.

Ex quo ſequitur, omnem vim contra ſupremam poteſtatem legislatoriam, omnem excitationem ſubditorum ad mouendam ſeditionem, rebellionem omnem, ſummum in republica crimen eſſe dignumque, quod grauiſſimo ſupplicio puniatur; propterea quod eius fundamentum euertit. Idque interdictum eſt *abſolutum*, ita, vt, etiamſi poteſtas illa eiusue procurator, ciuitatis princeps, vel pactum originarium laeſerit eoque ſeſe iuris leges ferendi, ex ſubditorum ſententia, priuarit, quod ea regimini copiam facit violenter ac tyrannice agendi, tamen non ſubdito licere vim opponere. In cauſſa eſt, quod in conſtitutione ciuili iam conſiſtente populus nullo amplius iure fruitur iudicandi definiendique, quomodo illa debeat adminiſtrari. Fac enim, eum tali iure gaudere, et quidem contra ſententiam veri ciuitatis principis; quis tum decernat, cuiusnam partis iuſta cauſa ſit? Neutri, vt iudici in cauſſa propria id competit. Ergo principem oporteret principi ciuitatis eſſe ſuperiorem, qui hunc inter et populum iudicaret; id quod pugnat. — Neque hic ius in caſu neceſſitatis quoddam locum habere poteſt, quod praeterea, vt *ius* putatitium, in ſumma neceſſitate (phyſica) *iniuſte* agendi, non-ens eſt *), neque reprimendae poteſtatis populi obicem

*) Nullus eſt neceſſitatis caſus, niſi tum, cum officia, nimirum *abſoluta* cum (magnis fortaſſe quidem, ſed tamen) *hypotheticis* pugnant; velut cum de malo agitur a ciuitate per hominis proditionem amouendo, qui ad alterum, velut pater ad filium, adfectus foret. Haec mali a ciuitate amotio in officio eſt abſoluto, ſed amotio calamitatis hominis proditi in officio eſt tantum modo hypothetico (nempe quatenus haud culpam ſibi contraxerit ex crimine erga rem publicam). Filius, qui patrem de crimine perduellionis ad magiſtratum defert, fortaſſe iſtud maxime inuitus facit, ſed neceſſitate (nempe morali) coactus. — Quodſi autem de

tollere. Siquidem princeps ciuitatis perinde poterit crudilitatem in ſubditos per obſtinatam eorum pertinaciam, quam hi ſeditionem querelis de malis iniquis toleratis contra illum excuſari putare; et quis tandem ea in re ſententiam feret? Is cui cura iuris publica demandata eſt, atque is ipſe princeps videtur qui ſolus iſtud poteſt; ergo nemini in republica eſſe ius poterit, eam curam illi denegandi.

Nihilominus viros ſummos video ius iſtud ſubditi principi ſe opponendi certis temporibus adſerere, in quibus hoc loco *Achenvallium*, in doctrinis iuris naturalis maxime cautum, determinatumque et modeſtum nominabo *). „Qui, ſi periculum, ait, quod reipublicae ex iniuſtitia principis diutius toleranda imminet, maius ſit, quam quod ex armis contra illum capiendis metui poteſt; tum populum illi poſſe obſiſtere, atque in gratiam huius iuris pactum ſubiectionis reſcindere, eumque vt tyrannum de throno deiicere.“ Addit deinceps: „populum hoc modo (relatiue ad principem priſtinum) in ſtatum naturae remigrare.“ —

Lubenter credo, nec *Achenvallium*, nec vllum quempiam virorum bonorum, qui ea de re cum eo conſentientes argutati ſunt, vmquam in vlla quadam cauſſa obuia eiusmodi coepta tam periculoſa ſuaſiſſe vel conſenſu ſuo adprobaſſe; praeterea vix dubitan-

eo, qui alium naufragum, vt ſuam ipſius vitam conſeruet, de tigno deiicit, dicatur: eum ex neceſſitate (phyſica) ius iſtud faciendi accepiſſe; falſum eſt. Vt enim vitam conſervem, officium eſt duntaxat hypotheticum; ne autem alium vita priuem, qui memet haud offendit, quin ne in discrimen quidem *adducit* amittendae vitae, in officio abſoluto videtur. Nihilominus doctores iuris ciuilis vniuerſales in concedendo iure moderaminis inculpatae tutelae ſibi optime conſtant. Neque enim magiſtratus *poenam* poteſt cum interdicto coniungere, quoniam haec poena illi mortem adferret, neceſſe foret. Verum lex abſurda foret, quae illi necem minaretur, qui in discrimine vitae haud voluntarie ſeſe morti obiiceret.

*) Ius naturae. Editio 5ta. Pars poſterior §§. 203-206.

dum eſt, ſi ſeditiones illae, quibus Heluеti, Belgique vniti vel etiam Britanni conſtitutionem ſuam pro tam felici celebratam ſibi pepererunt, male ſucceſſiſſent, lectores hiſtoriae illorum in caedibus auctorum nunc tantopere celebratorum nil niſi poenam promeritam magnorum perduellium conſpecturos fore. Plerumque enim euenti quaedam eſſe ſolet cum diiudicatione noſtra rationum iuris contagio, quamquam illud incertum fuit, hae vero certae ſunt. Sed manifeſtum eſt, reſpectu rationum earum, etſi conceſſeris, eiusmodi ſeditione principi (qui fere *une joyeuſe entrée*, vt pactum verum cum populo fundamento ſubſtratum, laeſiſſet) nullam fieri iniuriam, — tamen populum admodum iniuſte feciſſe, quod tali modo ius ſuum quaereret; quippe quo (pro norma ſtatuto) omnis conſtitutio iuridica redditur incerta, ſtatusque introducitur licentiae (ſtatus naturalis), vbi ius prorſus ceſſat, certe effectu caret. — Verum de propenſione tot ſcriptorum bene ſentientium populo (in propriam ipſius perniciem) excuſandi, hoc tantum monebo: eius rei cauſſam partim conſuetam illuſionem eſſe, ſi de principio iuris ſermo ſit, principium felicitatis iudiciis ſuis ſubiiciendi: partim etiam, vbi nullum inſtrumentum pacti reuera reipublicae propoſiti, et a principe illius acceptati ab vtrisque confirmati deprehenditur, ideam eos pacti originarii, quae in ratione ſemper fundamento eſt, pro eo, quod *reapſe* factum eſſe neceſſe ſit, ſumſiſſe, atque ita populo ſemper poteſtatem ſeruatum iri putaſſe, accepta laeſione graui, ſed ab ſe ipſo ſic iudicata, pro arbitratu deflectendi *).

*) Etiamſi pactum verum populi cum principe maxime violatum ſit: tamen hic tum haud continuo qua *respublica* poterit, ſed tantum modo per globos, reſiſtere. Quae enim hactenus fuit, conſtitutio a populo diſciſſa eſt; ſed organiſatio ad rempublicam nouam debebat demum fieri. Hic igitur ſtatus anarchiae incipit cunctis Hipatae monſtris horrendis, quae eo certe fieri poſſunt; iniuriaque quae hic peragitur, fit tum a quaque parte populi erga aliam: vti ex exemplo patet adlato, vbi ſubditi ſeditioſi ciuitatis illius po-

Ex quo manifeſtum eſt, quantam vim malorum principium felicitatis (quae proprie nullius omnino principii capax eſt) etiam in iure publico pariat, perinde atque in philoſophia morali, quamuis doctor illius optimum conſilium foueret. Summus imperans populum vult ex ſua mente felicem reddere, et fit deſpota; populus non vult ius humanum vniuerſale de felicitate ſua ſibi eripi, et fit rebellis. Si primum, quid iuris ſit (vbi principia ex anticipatione fixa ſunt et ſtabilia, nullusque empiricus poteſt rem ſuam in iis habere); idea pacti ſocialis auctoritatem ſuam indubitatam obtineret: verum haud qua factum (vti *Dantono* placet, qui absque eo iura omnia omneque dominium in conſtitutione ciuili vere exſtante pro vanis declarat et irritis), ſed modo vt principium rationale vniuerſae conſtitutionis iuridicae publicae diiudicandae in genere. Atque planum foret: priusquam voluntas adſit vniuerſalis, populo nullum omnino ius cogens erga imperantem eſſe poſſe, quoniam non poteſt niſi per hunc cogere; ſin autem illa adſit, nullam itidem ab eo erga hanc coactionem exercendam locum habere, quia is tum ipſe ſummus imperans foret; proinde populo contra principem ciuitatis numquam ius cogendi (verbis factisue reſiſtendi) competere.

Quam theoriam quoque in praxi ſatis videmus confirmatam. In conſtitutione Magnae Britanniae, vbi populus de conſtitutione ſua tantopere gloriatur, quaſi ea exemplar ſit vniuerſis populis, tamen videmus, nullam de iure mentionem fieri, quod populo competat, ſi rex pactum de anno 1688 migraturus ſit; proinde contra illum, ſi illud violauerit, quoniam

ſtremo ſi conſtitutionem ſibi inuicem volebant obtrudere, quae multo futura grauior fuiſſet, quam ea, quam reliquerant ſcilicet vt a clericis et ariſtocratibus abſumerentur, cum tamen ſub principe cunctos in poteſtate tenente plus aequalitatis poſſent in deſcribendis oneribus publicis exſpectare.

nulla lex ea de re adeſt, ſecreto ſibi ac tacite rebellionem reſeruare. Namque conſtitutione in hunc euentum legem contineri, quae poteſtatem faciat euertendae conſtitutionis conſiſtentis, vnde omnes leges ſingulares proficiſcuntur (etiamſi pactum laeſum fuerit), aperte pugnat; quoniam tum ea quoque neceſſe foret contineri poteſtatem contrariam *publice conſtitutam* *), proinde et alium quemdam ciuitatis principem eſſe oporteret, qui iura populi erga priorem illum tueretur, ſed tum etiam quemdam tertium, qui inter vtrumque de iure decerneret. — Iam duces illi populi (aut, ſi malueris, tutores) eiusmodi accuſationem veriti, ſi coeptum forte fruſtretur, principi ab ſe terroribus remote potius voluntariam ab imperio abdicationem *adfixerunt*, quam ius ſibi eius dimittendi arrogarunt, quippe quo conſtitutionem in pugnam ſecum apertam poſuerint.

Quodſi igitur in hisce meis adſertionibus profecto haud vitio mihi vertetur, per hanc memet inviolabilitatem nimium principibus adulari; nec incuſabor, opinor, populi in gratiam nimium me adſerere, dum huic itidem iura inexſtincta contra principem ciuitatis eſſe adſeuero, quamquam ea nulla poſſunt iura cogentia eſſe.

Hobbeſius ſententiam contrariam fouet. Ex eius mente (*de Ciue*, *cap.* 7. § 14.) princeps ciuitatis ex pacto non eſt populo ad quidpiam obligatus, ciuique non iniuriam inferre poteſt (quaecumque ille de hoc decreuerit). Quae quidem ſententia ſane vera eſſet; ſi iniuriae verbo eam laeſionem intelligas, qua laeſo erga eum, qui illum laedit, *ius cogendi* tribuitur; verum, tum generatim pronuntiata, horrenda eſt.

*) Nullum ius in ciuitate poteſt reſeruatione ſecreta, quaſi doloſe, reticeri; omnium autem minime ius illud, quod, vt ad conſtitutionem pertinens, populus ſibi vindicat; ſiquidem omnes illius leges tamquam e voluntate quadam publica ortae cogitandae ſunt. Igitur, ſi conſtitutio ſeditionem concederet, neceſſe foret, vt haec quoque ius eam movendi, et quomodo eo vtendum ſit, palam declararet.

Subditus haud obſtinatus poſſit ſumere, oportebit, dominum ſuperiorem *nolle* ſibi iniuriam inferre. Proinde, cum ſua cuique homini iura ſint haud amittenda, a quibus, etiamſi velit, non poſſit ſeſe abdicare, et de quibus ipſi iudicare liceat; iniuria vero, quae ex mente eius ei infertur, ex ſuppoſitione illa non niſi per errorem fiat, vel ignorantia certarum conſequentiarum ex legibus poteſtatis ſupremae: neceſſe eſt, vt ciui reipublicae, et quidem ipſo domino ſuperiori concedente, ius competat, ſententiam ſuam de eo, quod ex decretis illius ſibi iniuſte fieri contra rempublicam videtur, palam aperiendi. Nam ſumto hoc, principem ciuitatis ne errare quidem poſſe, vel rei cuiusdam ignarum, ſequeretur, eum adflatu caeleſti beatum eſſe ſupraqùe conditionem humanam elatum. Ergo *libertas ſcribendi* — cancellis circumſcripta reuerentiae atque amoris erga conſtitutionem, in qua degemus, (iisque ſcriptores ſeſe circumſcribunt ſponte, nec libertatem amittunt), — vnum eſt ſolumque palladium iurium populi. Etenim hanc libertatem quoque illi denegare velle, non ſolum idem eſt, atque ei omnem in ius poteſtatem reſpectu ſummi imperantis (ex mente Hobbeſii) adimere etiam, cuius voluntas eo ſolum, quod vniuerſi populi voluntatem repraeſentat, ſubditis qua ciuibus edicit, omni notitia priuare eorum, quae, ſi noſſet, ipſe mutaret, eumque ſecum ipſum facere pugnantem. Sed principi ciuitatis metum incutere, ne ex ſe ipſo cogitando palamque perturbationes in republica excitentur, idem eſt, atque diffidentiam in eo erga ſuam ipſius potentiam, vel etiam odium erga populum excitare.

Principium autem vniuerſale, ex quo populus iura ſua *negatiue*, id eſt, ſolum diiudicare debet, quid ab legislatione ſumma, cum optima voluntate ſua haud *inſtitutum*, conſiderandum fuerit, hoc pronuntiato continetur· *quod populus non poteſt de ſe ipſe decernere, id nec legislator poteſt de populo decernere.*

Quodſi ergo exempli gratia quaeratur: an lex, quae certam quamdam conſtitutionem eccleſiaſticam

ſemel inſtitutam perpetuo durandam iuberet, queat tamquam ex voluntate legislatoris (conſilio eius) propria profecta ſpectari? primum ex te quaeras: an populo *liceat* ſibi ipſi pro lege iniungere, vt certa quaedam dogmata fidei ac formae religionis externae ſemel recepta manere debeant; proinde num ſibi liceat, in poſteris ſuis ſe ipſum impedire, quo minus in cognitionibus vlterius progrediatur, aut veteres, ſi forte fuerint, errores immutentur? Tum patebit, pactum populi originarii, quod iſtud pro lege imperaret, per ſe irritum fore; quoniam iſtud cum declinatione hominis et finibus pugnat; proinde eiusmodi lex non poſſet pro voluntate propria principis ſpectari, cui ergo rationes poterunt contrariae proponi. — Omnino autem, ſi quid nihilominus tamen a poteſtate ſuprema ſic eſſet decretum, vniuerſe quidem de eo poteſt ac palam iudicari, numquam vero homines nec verbo nec re poſſunt ad ei reagendum excitari.

In vnaquaque republica *obedientia* ſit, neceſſe eſt, ſub mechaniſmo conſtitutionis ex legibus cogenti (totum ſpectantibus), ſed ſimul quoque *ratio libertatis*, vbi quisque de iis, quae officium humanum attingunt vniuerſale, per rationem cupit fieri certus, hanc coactionem iuſtam eſſe ac legitimam, ne ſecum ipſe in pugnam incidat. *Obedientia* poſtulata, haud conceſſa *ratione libertatis*, cauſa fuit *ſocietatum ſecretarum*. Eſt enim proprium humanae naturae, vt, praeſertim in iis, quae hominem attingunt in vniuerſum, mentam ſuam cum aliis communicet; quocirca ſocietates iſtae ceſſarent hac libertate conceſſa. — Et quid eſt, quo alias queant cognitiones ad imperium peruenire, quibus ipſius proprium conſilium internum atque eſſentiale promoueatur, quam vt libertatis rationem cum in ortu, tum effectis tantopere aeſtimabilem vim ſuam exſerere patiatur.

* * *

Digitized by Google

Nuspiam quaepiam praxis vniuerſa rationis principia pura negligens maiori cum arrogantia de theoria pronuntiat, quam cum de requiſitis quaeritur conſtitutionis bonae reipublicae. In cauſſa eſt, quod conſtitutione legali diu conſiſtente populus regulae paullatim adſueſcit, cum felicitatem ſuam tum iura ex ſtatu diiudicandi, qua cunctorum hucusque iter tranquillum fuit: non vero viciſſim iſtum ſtatum ex conceptibus aeſtimandi, qui iis ab vtrisque per rationem ſuppeditantur: potiusque ſtatum iſtum paſſiuum nihilominus ſtatui rerum periculoſo praeferendi, quo ad quaerendum alium cogantur meliorem (hic locum habet, quod medicis cogitandum proponit Hippocrates: iudicium anceps, experimentum periculoſum). Cum autem ex omnibus, quae ſatis diu conſtitere, conſtitutionibus, qualia illarum cumque vitia ſint, atque vtcumque diuerſae, idem conſectarium promanet, quippe vt ea, in qua verſamur, ſimus contenti; proprie, ſi *ſalus populi* ſpectetur, nulla omnino theoria valet, ſed omnia nituntur in praxi experientiae obſequioſa.

Quodſi autem quidpiam in ratione inſit tale, quale verbo notari poſſit *iuris publici*, et ſi hominibus, in antagoniſmo libertatis erga te inuicem conſtitutis vis obligans ſit, proinde realitas obiectiua (practica), nullo reſpectu habito ſalutis vel miſeriae, quae inde poſſit ad eos redundare (cuius notitia ſolum pendet ab experientia) illud principiis nititur ex anticipatione (neque enim, quid ius ſit, poteſt experientia docere); eſtque *theoria* iuris publici, quacum niſi conueniat, nulla praxis valet.

Contra haec nihil quidquam poteſt proferre, niſi dixeris: quamuis ideam iurium ſibi competentium homines mente verſentur, tamen eos, propter peruicacitatem, inhabiles eſſe atque indignos, qui ex iis tractentur, ideoque poteſtate quadam ſuprema Totum ex regulis prudentiae agente eos coërceri et licere et oportere. Hic ſaltus deſperationis (*ſalto mortale*) autem eiusmodi eſt, vt, ſi ſemel haud de iure, ſed

Digitized by Google

modo de poteſtate ſermo ſit, ſuam quoque populus tentare queat, atque omnem conſtitutionem legalem reddere incertam. Niſi quidpiam ſit, quod per rationem proxime aeſtimationem extorqueat (quemadmodum ius hominum), omnes cum arbitrio hominum contagiones imbecilles ſunt, ad libertatem rerum coërcendam domandamque: rerum cum, praeter beniuolentiam, etiam ius clara voce loquitur, tum humana natura haud ita ſeſe oſtendit degeneratam, quin vox eius ab ea venerabunde audiatur.

(Tum pietate grauem meritisque ſi forte virum quem
Conſpexere, ſilent arrectisque auribus adſtant.

Virgil.)

III.

DE ADFECTIONE THEORIAE AD PRAXIN IN IURE GENTIUM

reſpectu vniuerſe philanthropico hoc eſt, coſmopolitico ſpectata *).

(contra *Moſen Mendelii.*)

Eſtne genus humanum, vniuerſe ſumtum, amandum; an illud cum indignatione adſpiciendum, cui quidem (ne in *μισανθρωπίαν* incidas) omnia bona precare, ea tamen numquam in eo exſpectare debeas, proinde oculos ab eo potius auertere? — Reſponſio ad hanc quaeſtionem pendet ex reſponſione, quae ad aliam quaeſtionem proferetur: an in natura humana initia inſunt, e quibus poſſit intelligi, genus ſemper fore ad meliora progreſſurum; malaque et praeſentium temporum et praeteritorum in bonis futurorum euanitura? Namque hoc modo ge-

*) Non ſtatim occurrit in oculos quomodo ſuppoſitio vniverſe *philanthropica* ad conſtitutionem ducat *coſmopoliticam*, haec vero ad fundationem *iuris gentium*, vt ſtatum, in quo ſolo poſſunt initia naturae humanae rite euolui, quibus generi noſtro amor conciliatur; — hoc loco extremo contextus hic ob oculos ponetur.

Digitized by Google

nus certe in continua adpropinquatione ad bonum amare poterimus, alioquin illud aut odio habendum aut despiciendum foret; vt cumque regerat adfectatio ex amore hominum vniuersali (qui tum ad summum amor beneuolentiae, non vero complacentiae foret). Quod enim malum est manetque in primis quod in iuribus hominum sanctissimis de industria mutuoque laesis versatur, idque — vt maxime contentas amore tibi extorquere — tamen non poteris non odisse: non quidem vt iis male facias, attamen, quoad eius fieri possit, parum cum iis negotii haberi.

Hanc posteriorem sententiam tuitus est *Moses Mendelii* (*Ierusalem*, Sect. II. p. 44-47.) oppositam hypothesi familiaris sui *Lessingii* de educatione generis humani diuina. Somnium ei videtur: „totum humanum genus in terris, sequentibus temporibus semper progredi debere ac sese perficere. — Videmus, ait, genus humanum, in toto paullulum oscillare; neque vmquam quosdam gradus porro fecit, nisi brevi post celeritate citata in pristinum statum relaberetur." Id quod vere est saxum Sisyphi; et hoc modo, instar Indorum, terra sumitur pro loco peccatorum pristinorum, quorum nulla amplius mentem cogitatio subeat, luendorum). — „Homo longius progreditur; sed genus humanum perpetuo sursum deorsum in carceribus constitutis titubat atque oscillat; sed in toto spectatum, fere eumdem gradum vsque quaque retinet moralitatis, eumdem modum religionis et irreligionis, virtutis vitiique, felicitatis (?) et miseriae." — Atque has sententias, sic instituit (pag. 46.), vt dicat: „vosne diuinare vultis, quae consilia sint prouidentiae cum genere humano? Nolite cudere hypotheses" (quas antea vocauerat theoriam); id modo, quod vere fit, spectate, et si adspectum vertere ad historiam omnium temporum positis, id, quo vsque quaque factum est. Id quod in rebus est in facto positis; id, necesse est, ad finem pertinuisse, in consilioque sapientiae adprobatum, vel certe receptum fuisse."

Digitized by Google

Equidem aliter ſentio. — Si adſpectus eſt deo dignus, cum virum honeſtum virtutisque ſtudioſum videmus cum aduerſitatibus tentationibusque conflictantem, et tamen contra eas in gradu ſuo conſiſtentem; tum adſpectus eſt maxime indignus, ne dicam deo, verum ipſo homine maxime vulgari ſed bene ſentiente, ſi genus humanum a gradu ad gradum ſurſum ad virtutem progredi videt, breuique poſt tantumdem profunde in vitia ac miſeriam relabi. Aliquamdiu tragoediam ſpectare, fortaſſe iuuabit et proderit; ſed tandem ſiparium cadat, oportebit. Diutius enim in nugas conuertitur; et, quamuis actores, quoniam ſtulti ſunt, haud defatigentur, tamen taedium capit ſpectatorem, cui vnus alterue actus ſatis eſt, cum inde iure poteſt colligere, ſpectaculum numquam finiendum ſemper idem videri. Poena poſtremo ſequente, ſi ſolum ſpectaculum ſit, ingratae ſenſationes poſſunt quidem per exitum compenſari. Verum pati vitia innumera (quamuis interiectis virtutibus) reapſe accumulari, vt aliquando permulta poſſint puniri: ſaltim ex noſtris cogitationibus adeo moralitati auctoris mundi ac gubernatoris aduerſatur.

Igitur ſumam licebit: genus humanum, cum perpetuo verſetur in progreſſu reſpectu culturae, vt finis naturalis ſui, itidem in progreſſu occupari ad meliora quoad finem finis moralis exſiſtentiae ſuae, qui quidem ſubinde *interrumpi*, verum numquam *abrumpi* videatur. Non eſt, quod egomet iſtam ſuppoſitionem probem; aduerſario incumbit probatio. Namque officio meo innato nitor, in vnoquoque membro ſeriei generationum, — in qua (vt homo omnino) ſum et tamen haud cum qualitate morali in me neceſſaria tam bonum, quam eſſe deberem, proinde et poſſem, eam ſemper meliorem fieri, ita in poſteris agendi, vt indies meliores fiant (cuius proinde quoque poſſibilitas ſumenda eſt), atque ita hoc officium ab vno membro generationum ad aliud legitime poſſe haereditate transferri. Quotcumque dubia con-

tra ſpes meas ex hiſtoria depromantur, quãe ſi vim probandi haberent, memet poſſent mouere, vt a labore ſpecie inutili et fruſtaneo deſiſterem; tamen, quamdiu illud nondum reddi prorſus certum poteſt, non poſſum officium (vt liquidum) cum prudentiae regula ad impoſſibile haud adlaborandi (vt illiquidum, quoniam in ſola hypotheſi verſatur) permutare; et quantumuis maxime incertus ſim maneamque, an generi humano meliora ſperanda ſint, hoc tamen non poteſt normae, nec proinde ſuppoſitioni illius reſpectu practico neceſſariae, fieri poſſe, detrahere.

Huiusce ſpei temporum meliorum, ſine qua cupiditas ſeria, quidpiam patrandi vtile ſaluti vniuerſali, numquam humanum animum calefeciſſet, ſemper quoque contagio fuit cum ſtudio bene ſententium; et ipſe Moſes Mendelii, neceſſe fuit, vt rationem illius haberet, cúm de natione ſua colluſtranda felicemque reddenda, tantopere adlaborarit. Vt enim ipſe et per ſe ſolus id efficeret, niſi alii poſt eum eadem veſtigia premerent atque vlterius progrederentur, ſperare non poterat. In triſti adſpectu, non tam malorum, quibus humanum genus e cauſſis phyſicis premitur, quam potius eorum, quae ſibi inuicem ipſi homines inferunt; tamen animus ſpe recreatur, poſſe aliquando melius fieri; et quidem ex beneuolentia a propria vtilitate remota, ſi dudum tumulis tegemur, fructusque, quos ex parte ipſi ferimus, haud colligemus. Nulla hic vis eſt argumentorum empiricorum contra ſucceſſum horum conſiliorum ſpe ſusceptorum. Eo enim, quod id, quod adhuc nondum ſucceſſit, quoque numquam ſucceſſurum ſit, nullo iure potior, mittendi conſilii pragmatici techniciue (veluti itinerum in aëre pilis aeroſtaticis); multo minus mittendi moralis, quod, niſi eius effectio demonſtratiue impoſſibilis ſit, incipit in officio eſſe. Praeterea multa argumenta poſſunt proferre, genus humanum, in toto, reapſe hac noſtra aetate, cum aliis priſtinis comparata, maxime moraliter ad ipſa meliora progreſſum,

(breues impeditiones nihil in contrarium probant); clamoremque de degeneratione illius ſumma vi ingraveſcente ob id ipſum tolli, quoniam, ſi in altiori moralitatis gradu conſtituti ſumus, longius proſpicimus, ſeueriusque de eo quod ſumus, comparate cum eo, quod eſſe deberemus, iudicamus proinde nosmet ipſi eo ſeuerius reprehendimus, quo plures gradus moralitatis vniuerſae curſus mundi, nobis qui innotuit, adſcenderimus.

Quodſi igitur quaeramus: quibuſnam adiumentis hic progreſſus perpetuus ad meliora conſeruari poſſit, vel etiam fere accelerari? facile intelligitur, hunc in infinitum tendentem euentum non tam ex iis penſurum fore, quae *nos* facimus (velut ex educatione, quam iunioribus impertimus), et qua via agere *nos* debemus, vt efficiamus; verum ex iis, quae *natura* humana in et cum nobis faciet, quod nos in orbitam *cogat*, in quam nosmet ſponte haud facile contulerimus. Ab ea enim, vel potius (quoniam ad finem hunc perficiendum ſapientia ſumma opus eſt) a *prouidentia* ſola, ſucceſſum poſſumus exſpectare, qui ad totum tendat et inde ad partes, cum e contrario cum *conſiliis* ſuis tantummodo a partibus proficiſcantur, fereque adeo in iis conſiſtant, et ad totum, qua tale, quod iis nimium magnum eſt, ideas ſuas quidem poſſunt, non vero vim et contagionem extendere; maxime cum, in conſiliis ſibi inuicem aduerſantes, ex proprio propoſito libero difficulter ſeſe forent eum in finem coniuncturi.

Quemadmodum violentia ex omni parte metuenda indeque enaſcens miſeria tandem populum coëgit, vt coactioni ſe, quam ipſis ratio ipſa adiumento praeſcribit, nimirum legum publicarum ſubmitteret, atque in conſtitutionem accederent *publicam ciuilem*; ſic etiam miſeria ex bellis perpetuis, quibus viciſſim ciuitates inuicem ſeſe carpere ſtudent atque ſubiugare, poſtremo eo rem adigat oportebit, vt, vel inuitae, in

conſtitutionem cocant *coſmopoliticam*; aut, ſi eiusmodi ſtatus pacis vniuerſalis (quod etiam fere ſaepius in ciuitatibus ſupra modum magnis euenit) ex alia parte libertati ſit periculoſior, propterea quod ea deſpotismum adducit grauiſſimum, haec miſeria tamen ad ſtatum cogat, neceſſe eſt, qui quidem haud in republica coſmopolitica ſub ſuperiore, ſed tamen in ſtatu iuridico verſatur *foederationis ex iure gentium* communiter deliberato.

Etenim cum cultura ciuitatum progrediente cum propenſione ſimul increſcente, ad ſeſe damno aliorum dolo vel vi augendum, neceſſe ſit, bella multiplicari, copiisque (ſeruata mercede) magis magisque auctis, paratis et ſub diſciplina ſeruatis, indies pluribus inſtrumentis bellicis ornatis ſumtus in dies maiores producantur; interea dum pretia rerum omnium perpetuo creſcant, neque tamen incrementum iis conueniens metallorum ea repraeſentantium ſperari queat; nulla quoque pax tamdiu duret, vt quae durante ea reponuntur impenſas belli proximi aequaret, cui quidem inuentum nominum ciuitatis publicorum remedium eſt ingenioſum quidem, ſed ſe ipſum poſtremo tollens: neceſſe eſt, vt, quod bona voluntas efficere debuiſſet, nec tamen fecit, tandem impotentia efficiat: vt quaeque ciuitas intus ita organiſetur, vt haud ciuitatis principi, cui bellum (quoniam illud alienis ſumtibus, nimirum populi, gerit) proprie nihil conſtat, ſed populo, cui illud conſtat, ſuffragium deciſiuum competat, bellum fieri debeat necne (quem in fine ſane idea pacti originarii neceſſario ſupponenda eſt). Hic enim ſane cauebit, ne per ſolam creſcendi cupiditatem, aut propter offenſiones putatitias, ſolum verbis factas, periculo ſeſe exponat indigentiae perſonalis, quae principem non attingit. Atque ita poſteri quoque (in quos nulla ab iis ſibi haud contracta onera deuoluuntur), quamuis haud vere amor illorum in cauſſa ſit, ſed modo philautia cuiusque aetatis, magis magisque ad meliora, vel ſenſu ipſo mo-

Digitized by Google

rali, poterunt progredi: idcirco, quia vnaquaeque respublica, imbecilla alii per vim ad nocendum, se solum iure continere, et iure sperare potest, fore, vt aliae itidem sic conformatae sibi opem ferant.

Interim haec solum in opinione versantur atque hypothesi: incerta atque ambigua, velut omnia iudicia, qui cuiusque effecti spectati, quod haud totum penes nos est, causſam physicam vnice illi idoneam et consentaneam iudicare volunt; et, vel qua talis, complectitur, in ciuitate iam consistente, non principium subditis, eos cogendi (vti in superioribus ostendimus), verum modo principibus a coactione liberis. Quamquam in natura hominis non solet inesse, vt voluntarie de potestate sua quidquam concedat, nihilominus autem vrgente necessitate fieri potest; oratio poterit desideriis moralibus hominum votisque (imbecillitatis suae sibi conscriorum) haud inconueniens reputari, vt tempora ad eam rem necessaria a *prouidentia* exspectentur, quae fini *generis humani* totius ad destinationem vltimam consequendam, vsu virium libero, quantum suppetant, euentum sit largitura, cui *fines* hominum singulorum recta aduersantur. Ipsa enim eadem reactione inter se inuicem inclinationum, ex quibus mala oriuntur, rationi liber lusus enascitur, eas cunctas subigendi; et loco mali, se ipsum euertentis, bonum, quod, cum semel adest, se ipsum porro sponte tuetur, stabiliendi.

* * *

Natura humana nuspiam conspicitur minus amabilis, quam in relatione vniuersorum ad se inuicem populorum. Nulla ciuitas contra aliam de sibisufficientia, vel dominio, momentum certa videtur. Voluntas inuicem se subiugandi aut detrahendi, semper adest; armaturaque ad defensionem, qua pax saepenumero molestior salutique internae pernicioſior redditur, bello ipso, non debet cessare. Iam huic nul-

lum aliud remedium fieri poteſt, quam ius gentium (ex analogia iuris ciuilis vel publici hominum ſingulorum) legibus publicis potentia ſtipatis, quibus ſeſe quaeque ciuitas deberet ſubiiciere, conſtitutum; — namque pax vniuerſalis durans, per *aequilibrium*, quod vocant, *poteſtatum Europaearum*, inſtar domus *Swiftii*, quae ab architecto tam rite ad omnes aequilibrii leges exſtructa erat, vt, cum paſſer illi inſideret, ſtatim corrueret, ſolum eſt ingenii figmentum. — „At eiusmodi legibus cogentibus, aies, numquam ſe „ciuitates ſubiicient; ſuaſioque ciuitatis populorum „vniuerſalis, cuius ſub poteſtatem ciuitates ſingulae „ſponte debent ſeſe ſubmittere, vt legibus eius pa„reant, in theoria *Sancti Petri* abbatis vel *Rouſſauii* dul„ciſſime ſonauerit, tamen ea nihil quidquam valebit „ad praxin: vti ea quoque a magnis politicis, ſed ma„gis etiam a principibus ciuitatis ſemper eſt, tamquam „idea paedagogica puerilis ex ſchola prognata, ex„ploſa.“

Equidem contra ea nihilominus fretus ſum theoria, a principio iuris progreſſa, quomodo relatio hominum et ciuitatum *eſſe debeat*, et quae diis terreſtribus normam commendat, vt in controuerſiis ſuis ſemper ſic ſeſe componant, vt eiusmodi ciuitas populorum vniuerſalis eo inſtituatur, ideoque vt poſſibilis (in praxi), et quod *eſſe poſſit*, ſumatur; — quamquam vero etiam in ſubſidium ad naturam rerum, quae eo ducit, quo aegre volueris (fata volentem ducunt, nolentem trahunt). In hac poſteriori et naturae humanae ratio habetur: quam, cum in ea etiamnum iuris officiique aeſtimatio viuat, non tam demerſam poſſum in malo iudicare, nec velim, quin ratio moralis practica, poſt multos conatus fruſtratos tandem id vinceret, eumque amabilem exhiberet. Ita etiam reſpectu coſmopolitico ſententia obtinet: quidquid ex argumentis ad theoriam valet rationalibus, valet etiam ad praxin.

AD

PACEM AETERNAM.

DELINEATIO PHILOSOPHICA.

Vtrum haec inſcriptio ſatyrica in ſigno cauponis illius Hollandici, in quo depictum erat cimeterium, ad homines omnino pertineat, an ſingillatim ad principes ciuitatum, qui numquam poſſunt bello ſatiari, an adeo tantummodo ad philoſophos, dulce illud ſomnium ſomniantes, in medio relinquam. Tantum tamen auctor huius libelli cupit ſibi concedi, cum politici practici ea ad theoreticum ratio ſit, vt vehementer ſibi ipſe arridens hunc tamquam hominem de puluere ſcholaſtico deſpiciat, qui ciuitati, cui a principiis empiricis proficiſcendum ſit, cum ideis ſuis rebus vacuis nullum periculum adferat, quemque cuneos vno iactu vndecim deiicere pati poſſis, politico *vſu perito* nihil iſtud quidquam curante, hunc itidem exorta lite cum illo eatenus ſibi conſtare debere, vt ne ſub opinionibus eius forte fortuna conceptis, palamque propoſitis ciuitati periculum ſagiat; — qua quidem *clauſula ſaluatoria* auctor huiusce libelli in forma iuris optima contra omnem interpretationem malignam diſerte cupit munitus videri.

SECTIO PRIOR

ARTICULOS PACIS INTER CIVITATES AETERNAE CONTINENS PRAELIMINARES.

1) „Nullum foedus pacis vt tale valeto, quod „materia futuri belli ſecreto reſeruata factum eſt.“

Tum enim iſtud non niſi induciae, hoſtilitatumque dilatio, non vero *pax* foret, omnium hoſtibilitatum finem indicans, cuique ſi adiectiuum *aeterna* adiungatur, pleonaſmus iam ſuſpectus efficitur. Cauſſae

futuri belli praeſentes, quamuis paciſcentibus ipſis forte iam nondum cognitae cunctae ſunt pace inita ſublatae; vt acutiſſima expiſcandi dexteritate ex documentis archiuariis ſint enucleatae. — Reſeruatio mentalis praetenſionum priſtinarum olim demum excogitandarum, quarum nulla pars in praeſens vult mentionem facere, quoniam vtraque exhauſta eſt, ad bellum continuandum, cum malo conſilio primae cuiusque occaſionis hunc in finem arripiendae, ad caſuiſticam pertinet Ieſuitarum, infraque dignitatem eſt imperantis, vti obſequium in eiusmodi deductionibus cudendis infra dignitatem comitis illius conſiſtoriani, ſi rem, vti in ſe ipſa eſt, iudices. —

Cum autem, ex doctis prudentiae ciuilis conceptibus, in potentia perpetuo augenda, qua illud re cumque fiat, vera ciuitatis gloria ponitur, tum ſane quidem illa ſententia tamquam ſcholaſtica et paedagogia in oculos incurrit.

2) „Nulla ciuitas in ſeſe conſiſtens (parua ma„gnaue, nihil impedit) a ciuitate alia haereditate, vel „permutatione, emtioneue aut donatione eſto acqui„renda."

Quippe ciuitas non (vti fere ſolum, in quo ſedem habet) in patrimonio verſatur. Ea eſt hominum ſocietas, de qua nemo alius, praeter eam ipſam, imperare poteſt, vel quidpiam decernere. Sed eam, cui ipſi qua ſtirpi ſua radix peculiaris eſt, inſtar propaginis alii ciuitati inſerere, idem eſt atque exſiſtentiam eius, vt perſonae moralis, tollere, perſonamque moralem in rem conuertere, quod proinde pugnat cum idea pacti originarii, ſine qua nullum ius poteſt in populum cogitari. *) In quantum periculum haec prae-

*) Regnum haereditarium non in ciuitate conſiſtit quae ad aliam ciuitatem poſſit, ſed cuius ius regnandi ad aliam perſonam phyſicam haereditate transferri. Tum ciuitas imperantem nanciſcitur, non vero imperans qua talis (id eſt, qui iam aliud imperium tenet) ciuitatem.

iudicata opinio de hoc acquirendi modo Europam temporibus his recentiſſimis noſtris adduxerit, neque enim aliae orbis terrarum partes vmquam quidquam ea de re nouerunt, quippe ciuitates poſſe quoque per matrimonium ad alias venire, cuique notum eſt, partim vt nouum induſtriae genus, ad potentiam ſuperiorem vel nullis viribus impendendis, per pacta gentilitia ſibi comparandam, partim vero quoque hoc modo poſſeſſionem terrarum amplificandam. — Quo itidem copiarum ciuitatis cuiusdam alii elocatio aduerſus hoſtem haud communem, pertinet; in eo enim ſubditi inſtar rerum vſurpantur pro arbitrio vtendarum.

3) „Miles perpetuus tempore prorſus deſi„nito.“

Is enim aliis ciuitatibus perpetuo minatur bello, quod ſemper paratus eſt, ad armis inſtructus progrediendum; eas quoque allicit, vt vi armatorum immenſa ſe inuicem vincant, et, dum ſumtibus ad illud impenſis pax tandem moleſtior redditur breui bello, ipſae in cauſſa ſunt bellorum offenſiuorum, quo iſto onere liberentur; huc accedit, quod mercede conduci, vt alios neces, vel ipſe necere, vſus hominem inſtar ſolarum machinarum inſtrumentorumque in manu alterius (ciuitatis) contineri videtur, qui aegre poſſit cum iure humani generis in propria perſona noſtra coniungi. Longe aliter cum voluntario ſubinde inſtituta ciuium exercitio per arma, ad ſe patriamque eo contra impetus externos defendendum. — Eadem foret ratio diuitiarum accumulandarum, ita vt, ab aliis ciuitatibus pro intenſo minis bello ſpectatae, ad impetus cogeret praeuenientes (ſiquidem in tribus illis potentiae generibus, *copiarum*, *ſociorum* et *pecuniarum*, haec poſtrema in certiſſimis inſtrumentis bellicis fuerit; niſi difficultas officeret, magnitudinis illius explorandae).

4) „Nulla ciuitatis nomina reſpectu rerum ciui„tatis externarum contrahuntor.“

In gratiam oeconomiae ciuilis (ſternendarum viarum, coloniarum nouarum, armamentariorum comparandorum in metuendam annonae caritatem et id genus aliorum) vt extra et intra ciuitatem auxilium petatur, in fontibus eſt adiumentorum ab omni ſuſpicione vacuis. Verum, vt machina potentiarum ſibi inuicem reagens, ſyſtema nominum in immenſum accreſcentium, quibus tamen haud in praeſenti exigendis (quoniam ab omnibus creditoribus haud vna poſſent repeti) cautum eſt, — populi negotiantis in hoc ſeculo inuentum ingenioſum — periculoſa pecuniarum potentia, nimirum diuitiae ad gerenda bella omnium aliarum ciuitatum diuitias coniunctarum exſuperantes, et non niſi ceſſatione aeſtimationum aliquando futura (quae tamen vigore commercii, interveniente ad induſtriam quaeſtumque reactione diu adhuc moratur) exhauriri poteſt. Haec belli gerendi facilitas, coniuncta cum inclinatione ad illud potentium, quae humanae naturae ingenerata videtur, proinde magno impedimento eſt paci aeternae, quod vt interdiceretur, eo magis in articulis praeliminaribus eſſe deberet illius, quoniam tandem iactura fidei publicae haud euitanda multas ciuitates alias, neceſſe ſit, vt in communionem adduceret perniciei, id quod laeſio earum publica foret. Quocirca aliis certe ciuitatibus competit, vt aduerſus eiusmodi ciuitatem eiusque attentata ſocietatem ineant.

5) „Nulla ciuitas in conſtitutionem adminiſtra„tionemque alius cuiuspiam ciuitatis vim per ſeſe im„miſceto.“

Ecquid illi enim eius rei facere poteſtatem poterit? Num forte ſcandalum, quod ſubditis alius cuiusdam ciuitatis praebet? Huic potius, per exemplum ſummorum malorum, quae quispiam ſibi populus ex licentia contraxit, eſſe cautioni poteſt; omninoque exemplum prauum, quod perſona libera alteri praebet (vt ſcandalum acceptum) nulla illius laeſio eſt. — Quo quidem haud referendum foret, ſi qua

ciuitas ex diſſenſu interno in partes duas diffinderetur, quarum per ſe quaeque ſingularem ciuitatem repraeſentat, poſtulantem vniuerſum; vbi ſi alteri earum ciuitas quaedam externa opem ferret, illi non poſſet vitio verti, quaſi ſe in alterius conſtitutionem (tum enim anarchia eſt) immiſcuerit. Quam diu autem haec pugna interna nondum finita eſt, haec externarum ciuitatum immixtio in laeſione foret iuriüm populi cum morbo duntaxat interno conflictantis, a nulloque alio pendentis, ipſum proinde in ſcandalo dato, omniumque ciuitatum autonomiam labefactaret.

6) „Nulla ciuitas in bello cum alia eiusmodi ho„ſtilitates exerceto, quibus fiducia mutua in pace fu„tura neceſſario impoſſibilis reddatur: quales ſunt „conductio *percuſſorum* et *veneficorum*, *fractio capitu„lationis*, *perduellionis*, in ciuitate bello laceſſita, et „quae ſunt generis eiusdem."

Quae cuncta in arte ſunt infami. Namque aliqua fiducia de mente hoſtis, neceſſe eſt, in medio bello relinquatur, quoniam alioquin nulla poſſet pax componi hoſtilitasque in bellum erumperet internecinum; cum tamen bellum in triſti verſetur neceſſitate ſtatus naturalis (vbi nullum iudiciale forum eſt; quod valide poſſit ſententiam ferre), per vim ius ſuum obtinendi, vbi neutra pars poſſit pro hoſte iniuſto declarari (quo quippe iam ſententia iudicialis ſupponeretur), ſed *euentus* illius (quaſi coram iudicio, quod vocant, ordale) in cuius parte iuſtitia ſit, decernat; inter ciuitates autem nullum queat bellum punitiuum cogitari (quoniam nulla in iis adfectio eſſe poteſt ſuperioris ad inferiorem). — Ex quibus efficitur, vt bello internecino, in quo vtramque partem euerſio ſimul, cum eaque et ius vniuerſum ſpectare poteſt, paci aeternae non niſi in magno illo humani generis cimeterio locus conceſſum iri videretur. Tale bellum igitur, proinde et vſus adiumentorum, quae eo ducunt, omnino, neceſſe eſt, illicita ſint. — Illa autem, quae diximus, ad-

iumenta neceſſario eo ducere, inde patet: quod artes iſtae infernales, cum per ſe turpes ſint atque humiles, ſi vſus eorum increbuerit, haud diu ſeſe intra terminos belli continent, vti fere vſus exploratorum, vbi animus *aliorum* turpis (qui non poſſunt exſtirpari) adhibetur, verum etiam tranſirent in ſtatum pacis, atque ita conſilium eius finemque prorſus euerterent.

* * *

Quamquam, quas attulimus, leges obiectiue, hoc eſt, ex fine conſilioque poteſtatem tenentium, non ſint niſi *leges prohibitiuae*, tamen nonnullae illarum in legibus *ſtrictis* verſantur, quae *continuo* vrgeant abrogationem (velut No. 1. 5. 6.), aliae vero (velut No. 2. 3. 4.), quae haud quidem vt exceptiones a regula iuris, ſed tamen reſpectu *exercitii*, temporibus, *ſubiectiue* poteſtati latae ſunt, permiſſionesque continent, exſecutionis *differendae*, fine tamen haud quaquam ex adſpectu miſſo, qui eam dilationem exempli gratia libertatis certis quibusdam ciuitatibus ſecundum No. 2. ereptae *reſtituendae*, non, vti Auguſtus dicere ſolebat, ad calendas Graecas differendam, proinde haud retentionem, ſed modo reſtitutionis, ne temere atque ita contra finem fiat, dilationem permittit. Interdictum enim hoc loco *genus* tantummodo *acquirendi*, cui porro non eſſe locus debet, non vero *ſtatum poſſeſſionis* attingit, qui, quamquam haud gaudet titulo iuris neceſſario, ſuo tamen tempore (acquiſitionis putatiuae), ex opinione tum publica, ab omnibus ciuitatibus pro legitimo habebatur. *)

*) An, praeter leges praeceptiuas et prohibitiuas, etiam *leges permiſſiuae* rationis purae eſſe poſſint, huc vsque haud iniuria dubitatum eſt. Nam legibus in genere ratio continetur neceſſitatis practicae obiectiuae, ſed permiſſione cauſſa rationis fortuitae practicae certarum quarumdam actionum; proinde *lex permiſſiua* coactionem in ſe cohiberet ad actionem, ad id ad quod quispiam cogi non poteſt, quod, ſi res legi ſubiecta in vtroque reſpectu eamdem ſignificationem haberet, pugnaret. — Iam hoc loco in lege permiſſiua interdictum

SECTIO POSTERIOR

ARTICULOS CONTINENS AETERNAE INTER CIVITATES PACIS DEFINITIVOS.

Status pacis inter homines, iuxta se inuicem degentes, non est status naturalis, qui potius status belli est, nimirum, quamuis haud semper hostilitatum eruptio, tamen perpetua illarum comminatio. Is igitur *fundetur pacto*, necesse est; namque hostilitatibus omissis nondum satis cauetur, et nisi vicinus vicino ea de re

suppositum non nisi modum acquirendi iuris futurum (velut per haereditatem) spectat, sed liberatio ab hoc interdicto, nimirum permissio, statum attingit possessionis praesentem, qui, in transitu ex statu naturali in ciuilem, vt possessio, quamuis iniusta, *honesta* tamen (possessio putatiua) ex lege naturali permissiua porro potest durare, quamquam putatiua possessio, simul atque pro tali agnita fuerit, in statu naturali, item similis acquirendi modus in statu sequente ciuili (transitu peracto) vetita est, quae potestas possessionis continuantis non locum haberet, si eiusmodi acquisitio putatitia facta esset in statu ciuili; tum enim, vt laesio, statim iniustitia patefacta necessario cessaret.

Quo quidem tantummodo transeundo doctores iuris naturalis monere volui, vt animum aduerterent ad conceptum legis permissiuae, qui rationi systematico partienti sponte se offert; praesertim, cum in lege ciuili (statutaria) saepenumero is adhibeatur, hoc tamen discrimine, vt lex prohibitiua per se sola consistat, sed permissio haud vt conditio adstringens (vti deberet) in legem illam inferatur, sed exceptionibus inferatur. — Tum dicitur: hoc illudue prohibetur: *nisi* Nr. 1. Nr. 2. Nr. 3. et sic porro in infinitum, permissiones duntaxat fortuito, non ex principio quodam, verum palpando in casibus obuiis, ad legem accedant; alioquin conditiones *in formulam legis prohibitiuae* debuissent inseri, quo ea simul facta foret lex permissiua. — Igitur dolendum quaestionem ingeniosam a *comite de Windischgratz*, sapientissimo pariter atque acutissimo, cum praemio propositam, sed etiamnunc nondum solutam, quae hoc ipsum vrgebat, tam mature relictam esse. Nam possibilitas eiusmodi formulae (similis mathematicae) vnus est verus lapis Lydius legislationis sibi constantis, sine qua ius istud, quod vocant, certum semper in piis desideriis relinquetur. — Alioquin meras leges *generales* (quae vim habent *in genere*) habebis, nullas vero vniuersales (quae valeant *vniuerse*), quomodo tamen conceptus legis videtur postulare.

Digitized by Google

cauerit (id quod autem non potest fieri nisi in statu *legali*), hic illum, quem ea de re rogauit, vt hostem poterit tractare. *)

PRIMUS ARTICULUS DEFINITIVUS PACIS AETERNAE.

CONSTITUTIO CIVILIS IN VNAQUAQUE CIVITATE ESTO REIPUBLICAE.

Constitutio primo ex principiis *libertatis* membrorum societatis cuiusdam (vt hominum); deinde ex decretis *dependentiae* omnium ab vna legislatione communi (qua subditorum); et tertio, ex lege *aequalitatis* eorum (vt ciuium) fundata — quae sola est, ex idea

*) Plerumque sumunt, erga neminem licere memet hostiliter gerere, praeterquam, si me iam reapse *laeserit*, idque etiam prorsus verum est cum vterque in statu versatur *legali ciuili*. Eo enim, quod hic in illum transiit, illi (per magistratum, qui in vtrumque potestatem habet) necessariam praestat cautionem. — Homo autem (populusue) in mero statu naturali eam mihi securitatem adimit, et memet iam hoc eo ipso statu laedit, propterea quod iuxta me est, quamquam haud facto quidem, at statu suo iniusto, qui perpetuo mihi comminatur, eumque cogere queo, vt aut mecum in statum sese legalem communem conferat, aut ex vicinitate mea recedat. — Igitur, quod vniuersis, qui sequuntur articulis fundamento subest, postulatum hoc est: omnes homines quorum cum se inuicem mutua contagio esse potest, ad vllam quampiam, necesse est, pertineant constitutionem ciuilem.

Verum omnis constitutio iuridica respectu personarum, in ea degentium, versatur:

1) In *iure ciuitatis* hominum in populo,

2) in *iure gentium* ciuitatum in relatione ad se inuicem,

3) in *iure cosmopolitico*, quatenus homines et ciuitates, in relatione externa cum se inuicem contingente externa constituti, vt ciues ciuitatis humanae vniuersalis spectantur (ius cosmopoliticum). — Haec diuisio haud arbitraria est, sed necessaria respectu habito ad ideam pacis aeternae. Namque si vel vnus modo eorum in relatione contagionis cum altero physicae, et tamen in statu naturali foret, cum eo status belli connectus foret, a quo vt liberentur, hoc loco ipsum spectatur.

pacti originarii profecta, in qua omnis legislatio legalis populi fundata esse debet — constitutio est *reipublicae.* *) Haec ergo, quantum ius attingit, per se

*) Libertas *iuridica* (proinde externa) non, vti fere fieri solet, per potestatem definiri potest, „omnia, quae velis, modo „ne vlli iniuriam inferas, faciendi." Quid enim est *potestas*? Possibilitas actionis, quatenus ea nulli cuidam iniuria infertur. Ergo definitio sic sonaret: „Libertas consistit in possi„bilitate actionum, quibus nemini iniuria infertur," ergo tautologia inanis est. — Potius *libertas* mea externa (iuridica) sic definienda est: ea cernitur in potestate, nullis obediendi legibus externis, nisi ad quas suffragium meum ferre potuerim. — Pariter *aequalitas* externa (iuridica) in ciuitate in ea versatur relatione ciuium, qua nullus potest alterum iuridice ad quidpiam obstringere, nisi se simul legi subiiciat, vt ab hoc mutuo *possit* eodem modo itidem obligari. (Non opus est definitione dependentiae *iuridicae*, cum hoc iam in conceptu insit constitutionis ciuilis in genere). — Valor horum iurium connatorum, ad naturam humanam necessario pertinentium atque haud alienandorum per principium relationum iuridicarum ipsius hominis ad naturas celsiores (cum eas sibi cogitatione informat) confirmatur atque euehitur, propterea quod ex iisdem principiis se quoque vt ciuem mundi suprasensibilis repraesentat. — Namque, quod libertatem attingit meam, vel quoad leges ipsas diuinas, mihi per solam rationem cognoscibiles, nulla teneor obligatione, nisi in quantum potuerim suffragatione mea ipsa adiuuari (nam per legem libertatis rationis meae propriae demum conceptum mihi informo de voluntate diuina). Quod respectu naturae mundanae celsissimae praeter deum, quam mihi fere mente conceperim (magni cuiusdam *aeonis*), principium attinet *aequalitatis*, nulla causa adest, cur, si in loco meo officium faciam, vti ille aeon in suo, mihi solum competere officium debeat parendi, illi vero ius imperandi. — Cur hoc *aequalitatis* principium haud (vti principium libertatis) quoque ad relationem quadret ad deum, in causa est, est, quia haec natura vna est, in qua conceptus officii definit.

Quod autem ius aequalitatis spectat omnium ciuium, qua subditorum, in enodanda de *nobilitatis hereditariae* quaestione solam agitur de eo: „Vtrum *ordo* a ciuitate concessus „(quem vnus prae altero subditus obtinet) ante *promeritam* „*laudem*, an haec illum debeat antecedere." Iam manifestum est: si ordo cum natalibus coniungatur, prorsus dubium esse atque incertum, an etiam laus promerita (dexteritas atque religio in defungendo munere) secutura sit; proinde perinde est, ac si sine omni laude ille isti concedatur (imperandi); id quod voluntas populi vniuersalis in pacto originario (quod tamen omnium est iurium principium) numquam decernet. Neque enim nobilis idcirco est continuo

ipsa versatur in ea, quae omnibus constitutionis ciuilis generibus fundamento subest originarie, et iam quaeritur an ea quoque vna sit, quae ad pacem ducere aeternam queat?

Iam vero constitutioni republicanicae, praeter puritatem originis, ex fonte puro conceptus iuris ortus ducendi, spes quoque est consequentis desiderati, scilicet pacis aeternae; cuius quidem rei haec ratio est. — Si (vti in hac constitutione aliter esse non potest) opus est suffragatione ciuium, vt decernatur, „fieri bellum debeat, nec ne," nihil conuenientius erit, quam vt, cum omnes belli vexationes de se ipsis decernendae forent (velut, vt ipsi pugnent, vt sumtus belli ex re sua familiari promant; vt vastationem, bello relictam, misere emendent; tandem ad cumulum malorum praeterea onus, pacem ipsam exacerbans, aeris alieni (propter bella instantia semper noua) numquam delendum ipsi in se transferant), admodum dubitarent, tam periculosam aleam instituere: cum e contrario in constitutione, in qua subditus haud ciuis est, proinde haud republicanica, res maxime expedita sit, quoniam princeps non socius ciuitatis, sed proprietarius est, ciborum, venationum, villarum, solemnitatumque palatinarum et similium nullam quamdam iacturam bello facit, hoc ergo velut genus quoddam oblectationis de causis minimis decernere, et decori gratia corpori diplomatico ad eiusmodi rem semper parato excusationem istius aequa mente potest permittere.

* * *

Ne constitutio republicanica (quod plerumque fit) cum democratica permutetur, sequentia notanda

vir *praestans*. — Quod autem ad *nobilitatem* attinet *munerum* (vti ordinem magistraturae celsioris dicere posses, et quae per laudes acquirenda est promeritas), in ea quidem ordo non quasi peculium, adhaeret personae, verum loco ac muneri, neque ea aequalitas laeditur; quoniam ille, depositio munere, simul ordinem ponit, atque in populum recedit.

Digitized by Google

erunt. Formae ciuitatis aut pro diuerſitate perſonarum, ſummam poteſtatem tenentium, aut pro *regendi modo* populi per principem, qui ille cumque ſit, poſſunt deſcribi; illa proprie *forma imperii* dicitur; eiusque non niſi tres eſſe poſſunt, cum ſcilicet vel ſolum *vnus*, vel *nonnulli* inter ſe coniuncti, vel *omnes* ſimul, qui ſocietatem ciuilem conſtituunt, poteſtatem tenent imperandi (*autocratia*, *ariſtocratia* et *democratia* poteſtas principum, nobilium et populi). Altera eſt forma regiminis, pertinetque ad modum, fundatum in conſtitutione (actu voluntatis vniuerſalis, quo multitudo fit populus), quomodo ciuitas plenipotentia ſua vti debeat: eaque hoc reſpectu vel *republicanica* eſt, vel *deſpotica*. *Republicaniſmus* verſatur in principio politico poteſtatis exſecutiuae (regiminis) ab legislatoria ſeiungendae; deſpotiſmus in principio conſiſtit ciuitatis ſeuero adminiſtrandae per leges, ab ea ipſa datas, proinde in voluntate publica, quatenus ab regente vt voluntas ſua priuata adminiſtratur. — In hisce tribus formis ciuitatis forma *democratiae* ſenſu verbi proprio neceſſario *deſpotiſmus* eſt, quoniam ea poteſtatem fundat exſecutiuam, cum omnes de vno, et fere quoque contra (qui proinde haud conſentit), proinde omnes, qui tamen haud omnes ſunt, decernunt; id quod pugna eſt voluntatis vniverſalis et ſecum ipſa et cum libertate.

Omnis quippe forma regiminis, quae non *repraeſentatiua* eſt, proprie *non* eſt in *formis*, ſiquidem legislator in vna eademque perſona non poteſt ſimul eſſe voluntatis ſuae exſecutor (perinde, atque vniuerſale in propoſitione ratiocinationis non poteſt ſimul eſſe adſumtio particularis ſub illo vniuerſali in enuntiatione minori, et, quamquam duae reliquae formae ciuitatis eatenus in vitio ſunt, quod eiusmodi regnandi modo locum concedunt, tamen in iis certe fieri poteſt, vt modum regiminis admittant, conſilio ſyſtematis repraeſentatiui conſentaneum, quemadmodum *Fredericus II*, ſaltem ſe non niſi ſupremum, ait, ci-

vitatis miniſtrum eſſe, *) cum contra forma democratica efficiatur, vt id fieri nequeat, quoniam ibi quisque vult dominus eſſe. — Proinde dici poteſt: quo tenuius perſonale ſit poteſtatis ciuitatis (imperantium numerus), quo maior e contrario illius repraeſentatio eſt, eo magis conſtitutio ciuilis ad poſſibilitatem quadrat republicaniſmi eaque ſperare poteſt, paullatim inſtaurando vt tandem eo ſeſe euectura ſit. Quamobrem in ariſtocratia difficilius quam in monarchia, ſed in democratia nullo modo aliter, quam conuertione violenta poterit ad hanc conſtitutionem iuridicam vnice perfectam peruenîri. Sed modus regiminis **) omnium maxime populi magis intereſt, quam illius forma (quamuis ex maiori minoriue huius cum fine illo conuenientia permultum pendeat). Ad illum autem, ſi conceptui iuridico conuenire debeat, pertinet ſyſtema repraeſentatiuum, in quo ſolo modus

*) Splendida illa nomina, quae ſaepenumero imperanti tribuuntur (vncti diuini, adminiſtratoris voluntatis diuinae in terris, eiusque vicarii), tamquam adulationes impudentes ſaepe reprehenſa ſunt; ſed, ex mea quidem ſententia, ſine cauſſa. — Tantum abeſt, vt iis imperans inflari debeat, vt potius eius animus deprimatur, ſi ſapiat (quod tamen ſupponendum eſt), et ſi cogitet, ſe munus in ſe ſuscepiſſe, quod vni homini nimis magnum ſit, nempe ſanctiſſimum, quod deo in terris eſt, *ius hominum* adminiſtret, ſemperque eſſe in metu debeat, ne illas dei delicias vlla in re offenderit.

**) Mallet du Pan oratione ſuperba ſed caua atque inani gloriatur, ſeſe poſt experientiam multorum annorum demum ad firmam de veritate notae illius *Popiamae* ſententiae perſuaſionem peruenîſſe: „De optimo regimine ſtulti decertant; optime adminiſtratum optimum eſt.“ Quod ſi hanc vim habere debeat: regimen optime adminiſtratum eſt optime adminiſtratum, dentibus, vti Swiftius ait, nucem fregit, quae vermem daret; ſin vero denotet: optimam quoque regiminis formam eſſe, hoc eſt, conſtitutionem ciuilem, egregie falſum eſt; nam exemplis bonorum regiminum nihil quidquam efficitur in gratiam formae regiminis. — Equis enim melius regnauit *Tito* et *Marco Aurelio*, et tamen alter *Domitianum* reliquit, alter *Commodum* ſucceſſorem; id quod in forma ciuitatis bona fieri neutiquam potuiſſet, cum inutilitas illorum ad hanc dignitatem ſatis mature innotuiſſet, potentiaque imperantis ſatis idonea eſſet, ad eos ſecludendos.

Digitized by Google

regnandi republicanus fieri poteſt, ſine quo (quaecumque conſtitutio ſit) deſpoticus eſt ac violentus. — Nulla rerum publicarum veterum ſic dictarum hoc nouit, nec euitari poterit quin tandem in deſpotiſmum diſſoluantur, qui ſub poteſtate ſuprema cuiuspiam vnius omnium maxime tolerabilis videtur.

ARTICULUS DEFINITIVUS SECUNDUS PACIS AETERNAE.

IUS GENTIUM IN FOEDERALISMO CIVITATUM LIBERARUM FUNDATUM ESTO.

Populi, qua ciuitates, inſtar hominum ſingulorum poſſunt diiudicari, qui in ſtatu naturali (id eſt, libertate ab legibus externis) ſeſe inuicem eo iam, quod iuxta ſe viuunt, laedunt, et quorum quisque, ob ſecuritatem ſuam, ab altero et poteſt poſtulare et debet, vt ſecum in conſtitutionem coëat, ciuili ſimilem, in qua de ſuo cuique iure poſſit caueri. Id quod *foedus populorum* foret, quod vero nihilominus nullam eſſe ciuitatem populorum oporteret. In eo autem pugna foret: ſiquidem quaeque ciuitas adfectionem in ſe continet *ſuperioris* (leges ferentis) ad *inferiorem* (parentem, nempe populum), multis autem in ciuitate populis non niſi vnus populus efficeretur, id quod (cum hoc loco ius *populorum* erga ſe inuicem nobis conſiderandum ſit, quatenus totidem ciuitates conſtituunt diuerſas, nec in vnam debent ciuitatem conflare) ſuppoſitioni repugnat.

Quemadmodum igitur in hominibus feris atque incultis amorem libertatis legibus ſolutae, potius perpetuo ſecum inuicem conflictandi, quam coactioni ſeſe legali, ab ſe ipſis conſtituendae, ſubmittendi, proinde libertatis ſtultae ſapienti praeferendae, ſummo contemtu deſpicimus, atque vt ruditatem, ruſticitatemque ac belluinam naturae humanae dedignationem ſpectamus, ſic videri poſſet, populos moratos (quem-

que per ſe ad ciuitatem vnitos) oportere pròperare; vt ex ſtatu tam abiecto, quantum fieri poſſit, maturius exirent: contra ea vero quaeque *ciuitas* maieſtatem ſuam (maieſtas enim populi dictio abſurda eſt) in eo ipſo ponit, vt nulli omnino coactioni legali externae ſubiecta atque obnoxia ſit, ſplendorque ſui principis cernitur in eo, quod ei, qui ſe ipſe haud debeat periculo exponere, multa millia pareant, atque pro cauſſa, quae nihil quidquam eos attinet, ſeſe deuoueri patiantur, *) discrimenque hominum ferorum Europaeorum ab Americanis potiſſimum conſiſtit in eo, quod, cum multae ſtirpes Americanorum ab hoſtibus ſuis prorſus comeſae fuerint, Europaeis victis ſuis melius vti ſciunt, quam vt iis veſcantur, potiusque numerum ſubditorum, proinde quoque copiam inſtrumentorum ad bella ampliora augere norint.

In prauitate naturae humanae, quae libera populorum ratione aperte ſe exſerit (cum in ſtatu ciuiliter legali per coactionem regiminis admodum ſeſe obvoluat) tamen mirandum eſt, vocabulum *iuris* nondum potuiſſe vt paedagogicum ex politica militari relegari, neque quamdam ciuitatem auſam eſſe, partes poſteriorıs ſententiae palam profiteri; namque etiamnunc *Hugo Grotius*, *Puſendorfius*, *Vatellius* aliique (cùncti conſultores miſeri) bona fide ſolent ad *excuſandum* belli impetum citari, quamuis illorum codicis, philoſophice vel diplomatice conſcripti, ne minima quidem vis *legalis* ſit, vel modo eſſe queat (ſiquidem ciuitates qua tales haud coactioni externae communi ſubſunt), neque tamen vllum exemplum exſtet, vllam vmquam ciuitatem argumentis teſtimonio tam grauium virorum inſtructis commotam fuiſſe, vt a propoſito deſiſteret. — Hic honor, quem quaeque ciuitas conceptui iuris (certe quoad verba) tribuit, tamen probat, in homine

*) Sic princeps quidam Bulgariae imperatori Graeco, qui per bonitatem animi litem cum eo vellet per certamen ſingulare efficere, reſpondet: „Faber ferrarius, forcipibus inſtructus, „ferrum candens manibus haud e carbonibus extrahet."

Digitized by Google

initia moralia ineſſe maiora, quamquam adhuc dormientia, principii mali in ſe (quod haud poteſt negare) tandem aliquando vincendi, idque de aliis quoque ſperandi; alioquin enim vocabulum *iuris* ciuitatibus, ſe inuicem infeſtaturis, numquam in buccam veniret, niſi ſolum, vt illud ludibrio haberet, vti princeps ille Gallicus quondam declarauit: „Eſt hoc praecipuum „ſuperiori ab natura tributum, vt ei parere inferior „debeat."

Cum modus, quo ciuitates ius ſuum proſequuntur, numquam, velut in foro iudiciali externo, actio periculumque litis, ſed ſolum bellum eſſe poſſit, ſed hoc eiusque euentu proſpero, *victoria*, ius haud dirimatur, *pacisque foedere* bellum quidem praeſens, non vero ſtatus bellicus (ſemper praetextum nouum reperiendi) finiatur (quem etiam haud directe poſſumus declarare pro iniuſto, quoniam in hoc ſtatu ſuae quisque cauſſae iudex eſt), nihilominus autem de ciuitatibus ex iure gentium, haud fere idem valere poteſt, quod valet de hominibus in ſtatu a legibus vacuo ex iure naturali, „vt debeant ex hoc ſtatu exire" (quia, qua ciuitates, iam interne conſtitutionem habent iuridicam, ideoque coactioni aliorum exemtae, a quibus poſſent ex conceptibus eorum iuris, conſtitutioni ſubiici legali dilatatae), cum tamen a ſolio poteſtatis legislatoriae ſummae ratio bellum vt viam iuris ſimpliciter damnet atque reprobet, contra ſtatum pacis pro officio proximo declaret, qui tamen, nullo populorum foedere inito, nec fundari poteſt, neque ei caueri: — *foedus* exſtet, oportebit, peculiaris generis, quod *foedus* poteſt *pacificum* adpellari, quod a *pacto pacis* in eo diuerſum foret, quod hoc ſolum *vnum* bellum componendum ſpectaret, illud autem *vniuerſa* bella finienda. Hoc foedus ad nullam vmquam potentiam ciuitatis acquirendam pertinet, verum tantummodo ad *libertatem* ciuitatis et conſeruandam et tuendam, et pro ſe ipſis et aliis ſimul ciuitatibus foederatis, quae tamen idcirco (vti homines in ſtatu naturali) legibus publi-

cis, coactionique ſub iis, ſeſe debent ſubmittere. — Realitas obiectiua huiusce ideae de *foederalitate*, quae paullatim debet ad omnes ciuitates pertinere, atque ita ad pacem aeternam ducit, poteſt exhiberi. Si enim ſors ita tulerit, vt populus potens et colluſtratus ſeſe queat formare ad rempublicam (quam per naturam ſuam, neceſſe eſt, ad pacem aeternam propenſam eſſe), haec pro centro eſt coniunctionis foederatiuae ciuitatibus aliis, vt ad illam ſe adiungant, atque ita ſtatui libertatis ciuitatum, ideae iuris gentium conuenienter proſpiciatur, et pluribus eiusmodi confoederationibus ſenſim latius ſeſe extendant.

Cum populus quidam dicit: „Nullum inter nos „bellum eſto, formemus nosmet ad ciuitatem, hoc eſt, „nobis ipſi poteſtatem ſummam legislatoriam et re„gentem et iudicantem conſtituamus, quae controuer„ſias noſtras amice componat“ — id facile intelligitur. — Verum cum ea ciuitas dicit: „Nullum eſto „bellum me inter et alias ciuitates, quamquam nullam „poteſtatem legislatoriam agnoſco ſupremam, quae „meum mihi, et cui ego illius ius tuear,“ tum nullo modo intelligitur, in quo tum fiduciam iuris mei fundare velim, niſi ſurrogatum ſit foederis ſocialis ciuilis, nimirum liber foederaliſmus, quem ratio neceſſario debet cum conceptu iuris gentium coniungere, ſi omnino quidpiam ſenſus reliquum fieri debeat.

In conceptu iuris gentium, tamquam iuris ad bellum, nihil reapſe quidquam cogitari poteſt (ſiquidem ius eſſe debet, non ex legibus externis vniuerſalibus, cuiusque libertatem ſinguli coërcentibus, verum ex normis priuatis per vim, quid iuris ſit, determinandi), niſi eo forte intelligeretur: cum hominibus, ita ſentientibus, recte agi, ſi ſe inuicem conſumant, atque ita pacem aeternam in tumulo lato inveniant, quo vniuerſa violentiae monſtra vna cum auctoribus conteguntur. — Ciuitatibus, in relatione ad ſe inuicem, ſecundum rationem nulla poteſt alia via eſſe, e ſtatu legibus vacuo, qui non niſi bellum in

ſe continet, egrediendi, quam vt, perinde atque homines ſinguli, ab libertate fera ſua ſeſe abdicent, ſe ad leges cogentes publicas accommodent, atque ita (ſane quidem ſemper creſcentem) *gentium ciuitatem*, quae tandem vniuerſos orbis terrarum populos complecteretur, informent. Quod vero cum ſecundum ideam ſuam de iure gentium nullo modo velint, proinde, quod in theſi verum eſt, in hypotheſi pro falſo repudient, loco ideae *reipublicae coſmopoliticae* (niſi omnia perdi debeant) non niſi ſurrogatum *negatiuum foederis* bellum arcentis, et conſiſtentis, et in dies creſcentis, ad torrentem inclinationum hoſtilium, ius verentium reprimendum, ſed tamen cum periculo perpetuo, ne erumpant. *)

— — Furor impius intus
— — fremit horridus ore cruento.

Virgil.

*) Finito bello, in pace facienda, fere populo haud inconueniens fuerit, vt poſt gratulationem obſecratio imperaretur, quo, ciuitatis nomine, caelum imploretur de venia concedenda ingentis peccati, ex qua etiamnunc humanum genus culpam ſibi contrahit, quod ad nullam vult conſtitutionem legalem, reſpectu aliorum populorum, ſeſe componere, verum de independentia ſua ſuperbiens mauult vti barbara ratione belli (quo tamen id, quod quaeritur, nimirum ius cuiusque ciuitatis haud decernitur). — Gratulationes de victoria durante bello, et hymni, qui (ex more genuino Iſraelitico) *domino exercituum* decantantur, cum idea patris hominum morali egregie pugnant; quoniam iis, praeterquam quod modum non curant populi, quo mutuum ius ſuum quaerunt (qui ſatis triſtis eſt), et gaudium infertur, de hominibus admodum multis, eorumue felicitate, euerſis.

ARTICULUS DEFINITIVUS TERTIUS PACIS AETERNAE.

IUS CIVITATIS COSMOPOLITICUM ADSTRICTUM ESTO AD CONDITIONES HOSPITALITATIS VNIVERSALIS.

In hoc articulo, vti in ſuperioribus, ſermo non eſt de humanitate ſeu philanthropia, verum de *iure*, et tum *hoſpitalitate* denotatur ius peregrini, de ſe, propter aduentum in territorium alterius, ab hoc non hoſtiliter excipiendo. Huic licet illum mittere, ſi ſine eius interitu fieri queat; non eum vero hoſtiliter accipere, quamdiu ſeſe tranquille gerit. Ea non in *iure hoſpitii* verſatur, quod is non poteſt poſtulare (quippe quo ſingulare pactum benignum requireretur de eo ad certum tempus quoddam inter domeſticos referendo), ſed in *iure conueniendi*, quod cunctis patet hominibus, vt ſeſe offerant ſocios, ex iure poſſeſſionis communis ſuperficiei terrae, in qua, vt ſuperficie rotunda, in infinitum poſſunt diſſipari, ſed tandem iuxta ſe inuicem tolerare eos oportet, originarie autem nemini ius maius competit in loco terrae quodam degendi, quam alii. — Partes huius ſuperficiei inhabitabiles, mare et deſerta arenarum, iis communio diuellitur, ita tamen, vt *naui*, vel *camelo* (qui *nauis* eſt deſertorum) efficiatur, quo poſſint per regiones iſtas vacuas ſibi inuicem adpropinquare, et iure ſuperficiei, quod generi humano communiter competit ita vti, vt fieri commercium queat. Igitur inhoſpitalitas orarum maritimarum (veluti Barbareſcarum), naues in mari finitimo praedandi, aut naufragos in ſeruitutem redigendi, vel inhoſpitalitas deſertorum arenoſorum (Beduinorum Arabicorum) adpropinquatione ad tribus nomadas pro iure vtendi, ad eos ſpoliandos, contra ius naturale eſt; ſed hoc ius hoſpitalitatis, id eſt, poteſtas aduenarum peregrinorum, non latius patet, quam ad conditiones poſſibilitatis, com-

Digitized by Google

mercii cum incolis veteribus *tentandi.*— Hoc modo mundi partes remotae inter ſe inuicem poſſunt tranquille rationem inire, quae poſtremo publice legales fiant, et quibus tandem genus humanum fieri poſſit, vt ad conſtitutionem ciuilem propius accedat.

Quocum ſi rationem *inhoſpitalem* comparaueris ciuitatum moratarum, inprimis negotiantium noſtrae mundi partis, earum iniuſtitiam videbis, quam in *frequentandis* regionibus populisque peregrinis (quod iis idem eſt ac ſi eas *occuparint*) exercerent, eo vsque procedere, vt terrore adficiare. America, regiones Nigrorum, Inſulae aromatum, Caput bonae ſpei aliaeque iis repertae terrae videbantur vacuae; neque enim incolarum illam rationem habuere. In Hinduſtaniam, ſub praetextu mercium ibi reponendarum, peregrinas copias militares inuexerunt, cum iisque oppreſſionem indigenarum, variasque ciuitates illius excitarunt bella longe diffuſa, ex quo fames, ſeditio, perfidia, caeteraque, quibus humanum genus vexatur, mala promanarunt.

China *) et Iapan (Nipon), quae periculum fecerant eiusmodi hoſpitum proinde ſapienter illa quidem aditum, non vero intractum, haec etiam aditum

*) Vt magnum regnum iſtud nomine ſcribam ſuo, quo ſe ipſum adpellat (nimirum *Chiua*, non vero Sina, alioue huius ſimili ſono) tantum modo *Georgii Alphab. Tibet.* pag. 650–654, inprimis *notamb.* infra, euoluas. — Proprie nullo nomine certo ac definito, quo ſe ipſum nuncupet, vtitur, vti *Iſchereui* monet Petropolitanorum profeſſor; vſitatiſſimum nomen eſt *Kin*, nempe aurum (quod Tibetani exprimunt verbo *Ser*), idcirco Imperator rex *auri* (omnium regionum praeſtantiſſimae) vocatur, quod verbum ſine dubio in regno ipſo vti *Chin* ſonauerit, verum a miſſionariis Italicis (ob literam gutturalem) fere vti *Kin* pronuntiatum fuerit. — Ex quo intelligitur, terram ab Romanis dictam *Serum* fuiſſe Chinam, ſed ſericum trans *Tibetum maius* (per *Tibetum minus*, opinor, et Buchariam trans Perſiam, vlterius) in Europam transportatum eſt, id quod multam copiam facit meditationum de vetuſtate huiusce ciuitatis ingentis, cum Hinduſtania comparatae, in coniunctione cum Tibeto, et, per hoc, cum Iapania; cum e contrario nomen Sina ſeu Tſchina, quo finitimi eam deſignare dicuntur, ad nullum quidpiam du-

non niſi vno populo Europaeo, Hollandis, conceſſit; quos tamen nihilominus, inſtar captiuorum a communione cum indigenis arcent. Quod peſſimum ea in re (aut, ex perſona iudicis moralis conſideratum, optimum) eſt, iſta violentia ne vllam illis quidem vtilitatem adfert, omnesque iſtae ſocietates mercatoriae in discrimine verſantur propinqui interitus, et ex inſulis ſacchari, quae ſedes ſunt ſeruitutis omnium crudeliſſimae et excogitatiſſimae, nihil reapſe quidquam redit, ſed modo cum interuentu, et quidem in finem haud ita laudabilem, nempe ad remiges claſſibus firmandos, ideoque rurſus ad bella in Europa gerenda, idque poteſtatibus, quae multum de pietate gloriantur, et in ſumma iniuſtitia volunt per orthodoxiam pro electis reputari.

cat. — — Fortaſſe vetuſtiſſima illa, quamquam ea numquam ſatis innotuit, Europae cum Tibeto communio ex iis, quae Heſychius ea de re ſeruauit, nimirum ex acclamatione hierophantae in myſteriis Eleuſiniis κονξ ομπαξ explicari poteſt (vid. Iter Anacharſis iunioris, Pars quinta, p. 477 ſqnt.). — Namque ſecundum Georgii Alph. Tibet. vocabulum *konciog* notat *deum*, quod miram habet ſimilitudinem cum voce κονξ. *Pah-cio.* (ibid. pag. 520) quod facile a Graecis potuit vt *pax* pronuntiari, *promulgator legis*, deus per naturam vniuerſam distributus (etiam *Centeſi* dictus pag. 177.) — *om* vero, quod *Lacrozius* vertit per *beneditus*, poteſt, ad deum trauslatum, haud fere quidquam aliud deſignare, quam *pro beato celebratum*, p. 507. Cum igitur P. *Franciſco Horatio* ab *Lhuris* Tibetanis, quos ſaepius, quam vim vocabulo dei (concion) ſubiicerent, interrogaſſet, ſemper reſponſum ſit: „*conciliorum eſt omnium ſanctorum*“ (id eſt, beatorum per generationem Lamaicam, peractis multis per varia corpora migrationibus, tandem ad deum reuertant, in *Burchanos*, id eſt, naturas adoratione dignas, mutatas animas pag. 223), illa myſterioſa vox κονξ ομπαξ, ſine dubio ens ſummum vniuerſum mundum permeans *ſanctum* (κονξ) *beatum* (om) et *ſapiens* (pax) (naturam perſona indutam) ſignificare debebit, in *myſteriisque* Graecis adhibita fere *monotheiſmum epoptis*, in contrarium *polytheiſmi* populi denotauerit; quamquam P. *Horatius* (locis aliis) *atheiſmum* ſagiebat. — Quomodo autem factum ſit verbum myſterioſum illud trans Tibetum ad Graecos perueniret, ſuperiori ratione illa poteſt enodari, et vice verſa eo quoque probabile reddi, mature iam commercium cum China trans Tibetum (fortaſſe prius quam cum Hinduſtanis) Europae interceſſiſſe.

Digitized by Google

Cum igitur communionis in terrarum populis, *quae* ſemel perpetuo inualuit (anguſtioris latiorisue) ea tandem ratio ſit, vt iuris laeſio in *vno* terrarum loco ſentiatur in *cunctis*: idea iuris coſmopolitici haud in iuris cogitandi modis phantaſticis eſt et nimiis, verum in neceſſaria ſuppletione codicis haud ſcripti, cum publici iuris tum gentium ad ius hominum publicum in genere, atque ita ad pacem aeternam, ad quam non niſi cum hac adiunctione continuo accedere poſſumus.

COROLLARIUM PRIUS

DE GUARANDIA PACIS AETERNAE.

Id, quod hanc *euictionem* (guarandiam) praeſtat, ipſa natura eſt daedala rerum, e cuius curſu mechanico, manifeſtum eſt, formam finalem emicare, vt ex hominum discordia vel ipſis maxime inuitis concordia emergat, atque idcirco, quaſi coactio cauſſae quoad leges efficiendi nobis ignotae, *fatum*, ſed perpenſa forma illius finali in curſu mundi, vt ſapientia profunda cauſſae altioris, ſcopum ſpectantis obiectivum generis humani, eumque mundi curſum praedeterminandis *prouidentia* *) vocatur, quam nos quidem

*) In mechaniſmo naturae, ad quam homo (qua natura ſenſitiua) pertinet, forma adparet exiſtentiae eius iam fundamento conſtituta, quam nobis non poſſumus enodare, niſi dum *ei* finem ſubſternimus auctoris mundi eam praedeterminantis, cuius praedeterminationem *prouidentiam* (diuinam) generatim, et, quatenus in *initio* mundi ponitur *conditricem* (prouidentia conditrix; ſemel iuſſit, ſemper parent, *Auguſtin.*), in *curſu* naturae autem ex legibus vniuerſalibus formae finalis conſeruando, *prouidentiam gubernatricem*, porro ad fines ſingulares ſed ab hominibus haud praeuidendos, verum modo ex euentu exſpectatos, *directricem*, tandem adeo reſpectu euentorum ſingularium, vt finium diuinorum, haud amplius prouidentiam, ſed *directionem extraordinariam* vocamus, quam vero (cum reapſe miracula ſpectet, quamquam *euenta* haud ita dicuntur) qua talem ſi cognoſcere *cuperes*, ſtulta foret temeritas; propterea quod abſurde fit maximeque arroganter, ſi ex euento ſingulari ad princi-

proprie haud in hisce inſtitutis naturae technicis *cognoſcere*, vel etiam tantummodo inde ad eam *con-*

pium ſingulare cauſſae efficientis (iſtud euentum finem eſſe, non ſolum conſequens ſecundarium naturale mechanicum ex alio fine nobis ignoto) concludatur, vt maxime pia ea de re modeſtaque oratio ſonauerit. — Pariter quoque diuiſio prouidentiae (*materialiter* ſpectata), vti *res* in mundo ſpectat obiectas, in *generalem* et *ſpecialem* falſa eſt et ſecum pugnat (eam, exempli gratia in cura verſari generum rerum creaturam conſeruandorum, ſed indiuidua caſui permittere); nam eo ipſo reſpectu generalis dicitur, ne vlla res tamquam inde excepta cogitetur. — Sine dubio diuiſio prouidentiae hoc loco (*formaliter* ſpectatae) ex modo finis exſequenti intellecta eſt: nimirum in *ordinariam* veluti mors naturae annua et reuiuiſcentia pro viciſſitudine temporum anni) et *extraordinariam* (velut lignorum aduectio ad ora glacialia, quae ibi non creſcere poſſunt, per vndas marinas incolis iſtius terrae, qui alias non poſſent vitam tolerare), vbi, etſi cauſſam phyſico-mechanicam horum phaenomenonorum bene nobis poſſumus enodare (veluti per ripas lignis conſitas fluminum in terris temperatis, in quae illae arbores incidunt, et forte fluxu ſinuum longius feruntur), tamen nos nec teleologicam negligere debere, quae prouidentiam ſpectat ſapientiae naturam imperantis. — Ac conceptus quidem *concurſus* diuini in ſcholis vſitatus, ad effectum in mundo ſenſibili ceſſet, oportebit. Namque gryphes iungere equis, eumque, qui ipſe cauſſa plena perfectaque mutationum mundanarum eſt, facere ſuam ipſius prouidentiam praedeterminantem durante mundi curſu *ſupplentem* (quae proinde manca imperfectaque fuerit, neceſſe foret), velut dicere, *praeter deum* per medicum eſſe aegrotum reſtitutum, ergo vt adiutorem adſuiſſe, *primum* per ſe pugnat. Namque cauſſa ſolitaria non iuuat. Deus auctor eſt medici omniumque illius remediorum, atque ita illi, ſi ad rationem primam ſummam, nobis theoretice incomprehenſibilem adſcendere velis, effectum *totum* eſt tribuendum. Vel poteſt illud medico *totum* attribui, quatenus iſtud euentum vt ex ordine naturae enodabile in catena cauſſarum mundanarum proſequimur. *Deinde* eiusmodi cogitandi modus omnibus principiis certis priuat ac determinatis effectii diiudicandi. Verum reſpectu *morali praeſtito* (qui igitur totus ſupraſenſibile ſpectat), velut in fide, fore, vt deus defectum iuſtitiae noſtrae propriae, ſi modo animi ſententia ſincera foret ac genuina, rebus quoque nobis incomprehenſis ſuppleat, nos proinde in niſu ad bonum nihil quidquam debere remittere, conceptus diuini concurſus admodum conſentaneus eſt adeoque neceſſarius; in quo quidem per ſe intelligitur, neminem debere actionem bonam (vt euentum in mundo) inde *explicare* tentare, quippe quae cognitio theoretica ſupraſenſibilium putatitia eſt, proinde abſurda.

Digitized by Google

cludere, ſed (vti in formae rerum ad fines in genere relatione) *cogitando* ſolum *addere* et poſſumus et debemus, quo nobis cogitationem informemus de poſſibilitate eius, ſecundum analogiam actionum technicarum humanarum, quarum relatio concentusque cum fine, nobis ab ratione proxime praeſcripto (morali) repraeſentari, idea eſt, reſpectu quidem *theoretico* transſcendens, ſed practico (velut ratione conceptus officii *de pace aeterna* vt mechaniſmum naturae eo adhibeamus) dogmatice et quoad realitatem bene fundata. — Vſus vocabuli *naturae* itidem, ſi, vti hoc loco, ſolum de theoria (haud de religione) agatur, carceribus rationis humanae (quippe quae reſpectu relationis effectorum ad cauſſas, intra terminos experientiae poſſibilis ſeſe continere debet) conuenientior eſt, et *modeſtior*, verbo *prouidentiae* nobis cognoſcibilis, quo nobis per temeritatem alas Icarias adplicamus, vt ad myſterium finis illius imperſcrutabilis propius accedamus.

Ante autem, quam hanc euictionem adcuratius definiamus, neceſſe erit, vt ſtatum inquiramus, quem natura perſonis in magno illo theatro ſuo agentibus parauit, quo cautio de pace neceſſaria tandem redditur; — tum vero demum modum quo eam praeſtet, inueſtigemus.

Praeparatio illius prouiſoria conſiſtit in eo, quod 1) hominibus in omnibus terrae regionibus proſpexit, vt ibi poſſent viuere: — 2) eos *bello* quoquouerſum, vel in regiones maxime inhoſpitabiles, pepulit, quo eas incolis replerent. 3) — eodem eos quoque coëgit, vt rationes inirent plus minusue legales. — Iam admiratione dignum eſt, in frigidis deſertis ad mare glaciale muſcum creſcere, quem quaedam animalia e niue eruunt, vt ipſa alimento poſſint vel iugo eſſe Oſtiaci vel Samoiedae; aut deſertis arenoſis *camelum*, qui ad ea peragranda quaſi conditus videtur, quo iis vti queamus. Sed multo manifeſtius finis elucet,

ſi animaduertas, praeter animalia hirſuta in oris maris glacialis, etiam cetas carnibus ſuis alimenta et adipe ignes incolis iſtarum regionum praebere. Maximam vero admirationem iniicit naturae cura lignis natantibus, quae (vnde veniant, neſcias) his terris herbis vacuis aduehuntur, ſine quibus nec rates et arma, nec tuguria ad habitationem poſſent parare; vbi tum ſatis in bello contra feras occupantur, quo inuicem viuere tranquille queant. — — Quod eos vero *eo coëgerit*, ſine dubio nihil aliud niſi bellum fuit. Sed omnium animalium, quae homo domare et manſuefacere didicerat, primum *inſtrumentum bellicum* eſt *equus* (etenim elephantus pertinet ad ſerius tempus; quippe luxus ciuitatum iam fundatarum), quemadmodum ars, certa quaedam graminis genera, nobis nunc, ſecundum qualitatem originariam, non amplius cognoſcenda, quae *frumenta* dicuntur, colendi, itemque multiplicationem perfectionemque *pomorum* transplantando atque inoculando (fortaſſe in Europa ſolum duorum generum malorum pirorumque ferorum, non poterat niſi in ſtatu ciuitatum iam formatarum, vbi locus erat poſſeſſioni tutae, oriri, — poſteaquam homines antea in libertate legibus vacua a *venatu* *), piſcatuque et re pecuaria vsque ad *agriculturam* erant progreſſi, iamque *ſal ferrumque* inueniebatur, quae fortaſſe in primis exſtitere rebus commercio diuerſorum populorum ſubiectis, quo primum *rationem tranquillam* ad ſe inuicem ingreſſi, atque ita cum

*) In omnibus vitae generibus ſine dubio *venatus* conſtitutioni moratae plurimum obeſt; quoniam familiae, cum eos oporteat diſſipari, ab ſe inuicem *alienantur* ideoque in ſyluis amplis diſſipantur, breui quoque *infenſae* redduntur, cum vnaquaeque ad quaerenda alimenta veſtesque multo ſpatio opus habet. — Interdictum *Noachicum* de *ſanguine* Geneſ. IX. 4-6 (quod, ſaepius repetitum, poſtea adeo Chriſtianis nouis ex paganis, quamuis alio reſpectu, a Chriſtianis Iudaicis factum legi eſt, Actor. XV, 20. XXI, 25. —) primum nihil videtur aliud fuiſſe quam interdictum de *vita venatoria*; quoniam tum ſaepenumero neceſſe erit, vt crudis carnibus veſcare, cum his ſimul illa interdicitur.

remotioribus ad concordiam, communionemque et ſtatum pacificum inter ſe inuicem adducti ſunt.

Dum natura curauit, vt vbicumque terrarum homines viuere *poſſent*, ſimul quoque voluit imperioſe, vt vbique viuere *deberent*, etſi inuiti, nec tamen vt ex officio deberent, atque eo, per legem quamdam moralem obligati tenerentur, — ſed, quo iſtum finem adſequeretur, bellum ea elegit. — Nimirum videmus populos, qui vnitate linguae ſtirpis vnitatem produnt, velut *Samoiedas* ad mare glaciale, populumque ſimilis linguae, ducentis inde milliaribus remotum, in montibus *Altanis*, quos inter ſeſe alius populus, quippe Mongolius, equis vehens ideoque bellicoſus, intruſit, atque ita illam ſtirpis partem, longe ab hoc in regiones glaciales maxime inhoſpitabiles, diſperſit, vbi profecto haud motu proprio venturi fuiſſent; pariter *Finnos* in regionibus Europae maxime ſeptemtrionalibus, quos *Lappos* vocamus, ab *Hungaris*, nunc itidem remotis, ſed quoad linguam adfinibus, populis Gothicis et Sarmaticis inter eos inſertis diſiunctis; et quid aliud in cauſſa eſſe poteſt, cur *Esquini* (fortaſſe vetuſtiſſimi circumuagatores Europaei, genus ab omnibus Americanis longe diuerſum) in ſeptemtrione, *Peſcheraei*, verſus meridiem in Africa vsque ad terram ignitam propulſi ſint, quam bellum, quo natura vtitur adiumento, vt terra vbique incolis repleatur? Bellum ipſum autem nullius indiget ſingularis momenti, verum in natura humana videtur implantatum, adeoque vt quidpiam praeclarum, quo homo per ambitionem, nullis ductus elateribus ex ſtudio ſui profectis, animatur, valere: ita, vt *animus bellicus* (cum a feris Americanis, tum Europaeis, ex equitum ſeculis) non ſolum *cum* bellum eſt, (quod decet), verum etiam, *vt* bellum ſit, proxime permagni pretii faciendum iudicatur, ſaepiuque illud, animi oſtendendi cauſſa, inſtituitur, proinde in bello per ſe ipſo certa quaedam *dignitas* interna ponitur,

adeo, vt quoque philoſophi illud laudarent pro certa quadam excellentia humanae naturae, immemores ſententiae Graeci illius: „bellum idcirco malum eſt, quod plures homines malos reddit, quam tollit.“ Sed ſatis de iis, quibus natura *ſuo ipſius fini* proſpicit, reſpectu generis hominum vt claſſis animalium.

Iam ſequitur quaeſtio, potiora ſpectans reſpectu pacis aeternae: „ſcilicet quid natura hoc reſpectu, relatiue ad finem, quem homini ſua ipſius ratio officio iniungit, proinde ad conſequendum eius *finem moralem* conferat, et quomodo euictionem praeſtet, vt ea quae ab homine fieri ex legibus libertatis *deberent*, non vero fiunt, hac libertate ſalua, etiam per coactionem naturae, ab eo *factum iri*, caueatur, et quidem ex cunctis tribus relationibus illis iuris publici, et *ciuilis* et *gentium*, et *coſmopolitici*.“ — Si naturam *velle* dicam, vt hoc illudue fiat, mens non eſt, eam nobis officium iniungere, vt id faciamus (id enim non niſi ratio practica a coactione libera efficere poteſt) verum eam illud *ipſam*, velimus nolimus, facere (fata volentem ducunt, nolentem trahunt).

1. Etiamſi populus interna discordia cogeretur, vt coactioni ſe ſubiiceret legum publicarum, tamen iſtud bellum efficeret extrinſecus, propterea quod, pro inſtituto naturae ſupra deſcripto, quisque populus alium, a quo vrgetur, videt vicinum, contra quem interne ſeſe vt in *ciuitatem* formet, cogitur, quo vt *potentia*, contra eum armatus ſit. Iam conſtitutio *republicanica* vna eſt, quae iuri hominum rite convenit, verumtamen difficulter fundatur, multoque difficilius conſeruatur, ita vt multi ſint, qui contendant, ciuitatem eſſe *angelorum* oportere, ſiquidem homines per cupiditates ſuas prauas haud capaces ſint conſtitutionis formae tam ſublimis. Sed iam natura voluntatem vniuerſalem adiuuat cultam, verum ad agendum infirmam, in ratione fundatam, et quidem per illas ipſas cupiditates, ita, vt ſolum ex bona ciuitatis organiſatione pendeat (quae ſane quidem pe-

nes homines eſt), vt illarum vires ita ad ſe inuicem dirigantur, vt altera alteram in effectione vaſtante impediat, vel hanc tollat: ita vt euentus ita rationi cadat, quaſi vtraque non eſſet, itaque homo, quamuis haud homo moraliter bonus eſſe cogatur. Problema ciuitatis conſtituendae, vt maxime duriter ſonet, populo ipſo diabolis conſtante, (ſi modo mente praediti ſint) enodabile eſt, et ſic ſe habet: „vim naturarum rationalium, quae cunctae leges vniverſales cupiunt conſeruationi ſuae, quarum vero quaeque ſecreto prona fertur ad ſeſe excludendum, ita ordinare, earumque conſtitutionem ſic facere, vt quamquam conſilia earum priuata inuicem pugnant, tamen ea mutuo ſe inuicem retineant, vt in vita publica euentum idem ſit, ac ſi nulla iis eiusmodi prava conſilia forent.“ Eiusmodi problema, neceſſe eſt, *enodari poſſe*. Neque enim emendatio hominum moralis eſt, ſed modo mechaniſmus naturae, qui quomodo in homine vſurpari queat, problema doceri poſtulat, vt pugna cupiditatum diſſidentium in populo quodam ita regatur, vt ſe ipſi inuicem cogant legibus ſeſe cogentibus ſubiicere, atque ita ſtatum pacis, in quo legum vis eſt, adducere. Quod etiam in ciuitatibus adhuc imperfecte organiſatis poteſt intelligi, easque in ratione externa, iis, quae idea iuris praeſcribit, admodum ſeſe adpropinquare, quamquam inteſtina moralitatis ratio profecto haud in cauſſa ſit (quemadmodum haud ab hac bona conſtitutio ciuilis, ſed potius vice verſa a conſtitutione ciuili bona informatio moralis populi exſpectanda eſt), proinde mechaniſmo naturae per prauas cupiditates, quae natura ſua et extrinſecus inuicem ſibi aduerſantur et reagunt, ratio vti pro adiumento poteſt, quo huius fini proprio, praecepto iuridico, via muniatur, eoque, quantum in ipſa ciuitate ſit, pax cum interna tum externa promoueatur eique caueatur. — Igitur natura *vult* neceſſario, vt ius poſtremo vincat. Quod proinde hic negligitur, id tandem ipſum ſponte efficitur, quamquam non ſine multa moleſtia. — „Ius, ſi ni-

mium flectatur, frangitur, et, qui nimium vult, nihil vult." *Bouterweck.*

2. Idea iuris gentium *separationem* supponit multarum ciuitatum vicinarum ab se inuicem haud pendentium, et, quamuis eiusmodi status iam per sese status belli sit (nisi coniunctione foederatiua eruptioni hostilitatum praeueniatur); tamen hic ipse, secundum ideam rationalem, melior est, illarum conflatione, per potentiam alteram excrescentem, in monarchiamque vniuersalem transeuntem; quoniam leges amplificato regiminis ambitu magis magisque viribus priuantur, et despotismus inanimus, furculis boni exstirpatis, tandem tamen incidit in anarchiam. Interim vnaquaeque ciuitas (vel quisque princeps illius) hoc modo cupit in statum pacis constantem sese transferri, vt, si fieri possit, vniuersum terrarum orbem imperet. Verum *natura* secus *vult*. — Duobus ea adiumentis vtitur, quibus populi, ne se misceant, impediuntur, ac seiunguntur, diuersitate nimirum et *linguarum* et *religionum* *), cui quidem propensio inest ad odium mutuum praetextusque belli, sed tamen crescente cultura, hominibusque paullatim magis accedentibus ad maiorem concentum principiorum, ad conspirationem ducit ad pacem, quae non, vti ille despotismus (in libertatis cimeterio), debilitatis viribus omnibus, verum aequilibrio, in aemulatione eorum viuidissima, producitur eique cauetur.

3. Quemadmodum natura sapienter populos separat, quos cuiusque ciuitatis voluntas, et quidem

*) *Diuersitas religionum*: mira oratio! quasi vero quoque de diversis *morum doctrinis* loqueremur. Possunt quidem diuersi esse *iuris genera* adiumentorum historicorum, non religionum, sed historiam eorum ad eam promouendam vsurpatorum, campum eruditionis spectantium itidemque diuersi *libri religiosi* (Zendauesta, Vedam, Koran et similes), sed non nisi vna *religio* ad omnes homines omnibusque temporibus valens. Illis igitur nihil aliud contineri potest, quam vehiculum religionis, quod fortuitum est, et pro diuersitate temporum ac locorum esse diuersum potest.

er ipſis iuris gentium rationibus mallet ſub ſe dolo *vel* vi coniungere; ita ea contra coniungit populos per mutuum propriae vtilitatis ſtudium, quibus conceptus iuris coſmopolitici contra vim bellaque haud ſaluos praeſtiturus fuiſſet. *Studium negotiandi* eſt, quod non poteſt cum bello conſiſtere, quodque citius ſeriusue vnoquoque populo potitur. Quia ſcilicet in omnibus opibus (adiumentis), potentia ciuili ſubiectis, *potentia pecuniae* facile certiſſima fuerit, ciuitates ſeſe (ſane haud ſere elateribus moralitatis) ſentiunt coactos, vt pacem almam promoueant, et, vbicumque bellum immineat, illud intercedendo arceant, quaſi eius cauſſa perpetuo foedere iuncti tenerentur; magnae enim ad bellum faciendum ſocietates, per naturam rei, admodum raro accidere poſſunt, rariusque e voto ſuccedere. — — Hoc modo natura paci aeternae cauet, per mechaniſmum ipſarum inclinationum humanarum; ſane quidem haud prorſus (theoretice) idonee ad *diuinanda* futura illius, ſed tamen reſpectu practico, pro officioque iniungit, vt ad hunc finem non ſolum ſomniatum) adnitamur.

COROLLARIUM POSTERIUS.

ARTICULUS SECRETUS PACIS AETERNAE.

Articulus ſecretus in transactionibus iuris publici obiectiue, hoc eſt, quoad materiam, ſpectatus, pugnat; ſed ſubiectiue, quoad perſonam illum dictantem diiudicatus, vtique in ea ſecretum quiddam locum habet, cum ſcilicet dignitati ſuae periculoſum videt, palam ſeſe pro cauſſa illius profiteri.

Vnus huiusce generis articulus hoc pronuntiato continetur: *normae philoſophorum de conditionibus poſſibilitatis pacis publicae a ciuitatibus ad bellum armatis conſuli debent.*

Sed auctoritati legislatoriae ciuitatis, cui per rei naturam ſumma ſapientia tribuenda eſt, ignominioſum

videtur, de principiis rationis suae erga ciuitates alias a *subditis* (philosophis) consilium petere; nihilominus tamen, vt eos consulat, saluberrimum. Ergo ciuitas hos *tacite* (proinde occultando) *prouocabit*, quod idem est, atque: ingenue illos et palam de vniversalibus belli gerendi pacisque faciendae normis *loqui patietur* (quippe quod iam sponte facient, modo ne prohibeantur) nec conuenientia ciuitatum cum se inuicem ea in re vllius pactionis inter se peculiaris hunc in finem indiget, verum iam inest in obligatione per rationem humanam vniuersalem (moralem legislatoriam). — Nec vero haec ita dicuntur, vt ciuitas philosophi principiis principatum debeat prae decretis iurisconsulti (vicarii potentiae publicae) concedere, verum duntaxat, vt *audiatur*. Iurisconsultus, qui *libram* iuris simulque *gladium* symbolo sibi constituit, plerumque hoc posteriori vtitur, non vt fere solum omnes vires alienas a superiori arceat, verum si lanx vna haud nutabit, ensem simul imponat: (vae victis!) quo quidem iurisconsultis, non idem (secundum quoque moralitatem) philosophus, maxime sollicitatur, quoniam eius duntaxat et, leges praesentes adhibere, non vero, annae hae ipsae emendationis indigeant, inquirere, atque hunc locum ordinis sui reapse inferiorem, propterea quod potestate ornatus est, (id quod etiam in duobus reliquis euenit) ponit in superioribus. — In hac potestate coniuncta gradum infimum tenet philosophica. Sic vt hoc vtar, philosophiam dicunt theologiae *ancillam* (et sic quoque duarum caeterarum). — Sed parum intelligitur, vtrum dominae suae facem praeferat, an syrma gestet."

Nec vero reges philosophentur, aut philosophi reges fiant vel sperandum, vel etiam optandum videtur; quoniam possessione potestatis iudicium rationis liberum necessario corrumpitur. Verum vt leges aut populi regi (se ipsos ex legibus aequalitatis imperantes) philosophorum ordinem haud exstingui aut obmutescere, sed palam loqui patiantur, vtrisque ad

Digitized by Google

examinandum negotium ſuum neceſſarium eſt, et quia *hic* ordo per naturam rei ad factionem conuenticulorumque foederationem haud idoneus eſt, de rumore *propagandae* cuiusdam haud cadit ſub ſuſpicionem.

ADPENDIX.

I.

DE DISCREPANTIA INTER PHILOSOPHIAM MORALEM ET POLITICAM, RESPECTU PACIS AETERNAE.

Philoſophia moralis iam per ſe ipſa quaedam praxis eſt ſignificatione obiectiua, qua complexus legum abſolute imperantium, ex quibus nosmet agere *debemus*, et manifeſto abſurdum eſt, ſi, auctoritate huic officii conceptui conceſſa, dicere velis, te tamen non *poſſe*. Tum enim hic conceptus ex philoſophia morali ſponte exſulat (vltra poſſe nemo obligatur); proinde nulla poteſt pugna intercedere politicae, vt iurisprudentiae practicae cum philoſophia morali, qua tali, verum ſane quidem theoretica (proinde nulla pugna praxeos cum theoria): niſi forte theoriam dicere *doctrinam prudentiae* vniuerſalem, hoc eſt, theoriam normarum, ad conſilia ex vtilitate computata adiumenta conuenientiſſima eligendi, nimirum, ſi negaueris, nullam omnino philoſophiam moralem eſſe.

Politica praecipit: „*eſtote prudentes, inſtar ſerpentum;*“ philoſophia moralis addit: „*et ſine dolo, velut columbae.*“ Niſi vtrumque in vno queat praecepto ſimul conſiſtere, reapſe pugna eſt politicae cum philoſophia morali; quodſi autem omnino vtrumque eſſe coniunctum debeat, conceptus contrarii abſurdus eſt, quaeſtioque, quomodo iſta pugna componi debeat, ne quidem vt problema poteſt proponi. Quamquam enuntiatio: *fides ſincera optima politica eſt*, theoriam

in ſeſe continet, cui praxis, malum! ſaepenumero repugnat: tamen haec itidem theoretica enuntiatio: *fides ſincera melior eſt omni politica*, nullum dubium patitur, quia fides conditio neceſſaria politices videatur. Terminus philoſophiae moralis non recedit a Ioue (termino potentiae); hic enim adhuc fato obnoxius eſt, hoc eſt, ratio non ſatis colluſtrata eſt, ad ſeriem cauſſarum praedeterminantium perſpiciendam, quibus bonus malusue euentus ex iis, quae agunt homines mittuntque, ſecundum mechaniſmum naturae, certo poſſit praenuntiari (quamquam deſiderio conuenienter ſperari). Quid vero nobis agendum ſit, vt nosmet in orbita officii (ex regulis ſapientiae) contineamus, ad id eoque ad ſcopum nobis ea vbique facem praefert.

Iam practicus (cui philoſophia moralis in ſola theoria verſatur) triſtem ſpei noſtrae denegationem (ipſis iſtis et *debere* et *poſſe* conceſſis) proprie in eo ponit, quod ex natura hominis ſeſe perhibet praeuidere, ſe numquam *volituram fore*, quod poſtulatur, vt finis ille ad pacem aeternam ducens obtineatur. — Sane quidem velle *omnium ſingulorum* hominum, in conſtitutione legali ex principiis libertatis vt viuatur, (vnitas voluntatis *omnium diſtributiua*, ad iſtum finem haud ſufficit, verum quod *omnes coniunctim* hunc ſtatum volunt (vnitas voluntatis coniunctae *collectiua*); haec enodatio problematis difficilis praeterea poſtulatur, vt totum corpus ſocietatis ciuilis efficiatur, et, cum proinde ad hanc diuerſitatem volitionis particularis omnium, quoque cauſſa accedat illius coniungens, neceſſe ſit, vt voluntas communis efficiatur, quod nemo omnium valet; in *exſequenda* idea illa (in praxi) nullius initii alius poteſt ratio ſtatus iuridici haberi, quam quod per *vim* fit, in cuius coactione deinde ius publicum conſtituitur; vnde tum ſane magnae aberrationes poſſunt ab illa idea (theoriae) in experientia vera iam in anteceſſum exſpectari (cum praeterea conſilium morale legislatoris in eo parum ſpectari

poſſit, fore, vt, facta coniunctione hominum ſolitariorum in vno populo, his permittat, vt conſtitutionem iuridicam per voluntatem ſuam communem perficiant).

Tum fiet, vt, qui ſemel poteſtatem manibus tenet, haud ſibi a populo leges praeſcribi patiatur. Status, qui ſemel conſueuit nullis legibus externis obnoxius eſſe, ratione modi, quo contra ciuitates alias ius ſuum proſequi debeat, non concedet, ſeſe ab earum iudicio pendere, ipſaque pars orbis terrarum, ſi ſe ſentiat altera, ſibi caeteroquin haud officiente, ſuperiorem, adiumentum augendae potentiae ſuae, ſpolianda illa adeoue imperanda adhibebit; atque ita cuncta theoriae conſilia in vſum iuris ciuilis, gentiumque et coſmopolitici, in idealia inania dilabuntur, quae nequeunt effecta dari, contra praxis, in principiis naturae humanae fundata, quae haud infra ſe ducit, ex modo hominum agendi normis ſuis conſilia petere, ſola ſperare poteſt fundamentum certum firmumque ſeſe reperturam fore, in quo aedificium politices exſtruat.

Ac ſane quidem, ſi nulla libertas ſit, nullaque lex moralis in ea conſtituta, ſed cuncta, quae fiunt vel fieri poſſunt, non niſi in mechaniſmo naturae verſentur, politica (vt ars hac ad homines gubernandos vtendi) vniuerſa ſapientia practica eſt, conceptusque iuris cogitatio inanis, cui res ſubiecta nulla videtur. Quodſi autem nihilominus videatur ſumme neceſſarium, vt iſte conceptus cum politica coniungatur, quin adeo pro conditione ſtatuatur huius circumſcribendae, concedendum erit, ambo poſſe coniungi. Iam *politicum moralem* quidem, hoc eſt, eum, qui principiis politices ſic vtitur, vt ſimul poſſint cum philoſophia morali conſiſtere, facile queo cogitatione informare, non vero *philoſophum moralem politicum*, qui doctrinam morum ita ſibi cudat, vti e re ſit hominis politici.

Politicus moralis hoc decretum ſequetur: ſi ſemel vitia deprehendantur in conſtitutione ciuili vel ciuitatum ratione, in officio eſſe, in primis principum ciuitatis, vt cogitent, quomodo, quoad eius fieri poſſit, celerius corrigantur, iurique naturali, vti iſtud in idea rationis nobis exemplo ob oculos verſatur, aptari poſſint: quamuis aliqua iactura ſit ſtudio ſui ipſius facienda. Cum igitur cum politica, philoſophiae morum conſentanea, haud conueniat vt coniunctionisvinculum ciuilis vel coſmopoliticae rumpatur, antequam loco illius melior queat conſtitutio ſtabiliri, abſurdum quidem foret, poſtulare, vt vitium iſtud continuo ac per vim impetumque mutetur; verum hoc poſtulari poteſt, vt ſaltem norma neceſſitatis eiusmodi mutationis intus inſit in iis, qui poteſtatem tenent, quo ab adpropinquatione ad finem perpetua (conſtitutionis ex legibus iuris optimae) haud recedant. Ciuitatem iam ſe ipſam quoque inſtar reipublicae *gubernare*, quamuis adhuc, ex conſtitutione praeſente *potentiam imperandi* deſpoticam teneat: vsque dum populus paullatim capax redditur contagionis cum ſola idea de auctoritate legis (quaſi poteſtatem phyſicam teneret), atque ita ad legislationem propriam (originarie in iure fundatam) aptus reperitur. Etiamſi per importunitatem *conuerſionis* e mala conſtitutione enata iniuſte legibus conuenientior parta eſſet, tamen tum quoque haud amplius licebit, populum ad priſtinam iſtam reuocari, quamuis durante ea quisque, qui per vim dolumue quidquam eo contulerit, iure ſeditionis poenis obnoxius foret. Quod autem rationem ciuitatum externam attinet, a ciuitate poſtulari non poteſt, vt conſtitutionem ſuam, quamuis deſpoticam, (ſed fortiorem tamen reſpectu hoſtium externorum) abrogare debeat, quamdiu metuendum fuerit, ne ab aliis ciuitatis continuo abſumatur; proinde neceſſe eſt, vt in propoſito illo tamen quoque liceat, eam mutationem ad tempus opportunius differri *).

*) Quae leges permiſſiuae ſunt rationis, vt patiare ſtatum iuris publici iniuſtitia oneratum adhuc conſtare, donec ad

Esto igitur, vt philosophi morales despotismo patrocinantes (in praxi peccantes) contra politicam (modis temere institutis et commendatis) multifariam impingant; tamen experientia eos in hac contra naturam offensione paullatim, oportebit, in meliorem viam adducat; cum e contrario politici morales, excusandis principiis iniustis, sub praetextu naturae humanae boni, ex idea, qualis ab ratione praescribitur, haud *capacis*, quantum in se est, *efficiant*, vt ea melior fieri *nequeat*, laesionumque iuris reddant aeternam.

Isti viri politici pro praxi, quam crepant, versantur in *artibus*, propterea quod id solum cogitant, vt eo, quod gratiam captant potestatis ne vtilitate sua priuata frustrentur, populum, et, si fieri possit, vniversum mundum perdant; pro more iureconsultorum genuinorum (ex professione, non vero *legislatione*), cum ad politicam se transferunt. Etenim cum munus eorum non sit, vt de legislatione ipsa argutentur, sed leges praesentes iuris prouincialis exsequantur, quamque praesentem constitutionem legalem, eaque a superioribus immutata, quae nunc sequitur, esse optimam, oportebit, vbi tunc omnia debito ordine mechanico fiunt. Cum autem haec dexteritas errorem iis instillat, quasi possint etiam de principiis *constitutione ciuitatis* in genere ex conceptibus iuris (proinde ex anticipatione, haud empirice) iudicare; si nosse se *homines* gloriantur (quod sane exspectari potest, quoniam cum multis negotia habent), neque ta-

conuersionem totam cuncta sint, aut sponte maturata, aut adiumentis lenibus propius ad maturitatem adducta; siquidem constitutio vlla quaepiam *iuridica*, quam ex parte tantum tenui iusta, melior est, quam nulla, quae nulla omnino (anarchia) foret, si mutatio *festinata* videretur. — Igitur politica in statu rerum praesenti vt mutationes ideali iuris publici consentaneas instituat, sibi officio ducet: sed conuersionibus, quae ab ipsa natura adferuntur, non ad excusandam oppressionem eo maiorem vtetur, verum vt voce naturae, ad constitutionem legalem in principiis libertatis fundatam, tamquam vnam durabilem, mutatione rite instituta, perficiendam.

men *hominem* norit, nec quid ex eo fieri queat (quo quidem excelsius contemplationis anthropologicae genus requiritur), sed hisce conceptibus instructi, ad ius ciuitatum, gentiumque, quomodo a ratione illud praescribitur, accedunt: tum: tum eo se transferre non queunt, nisi per artes dolosque, idcirco quia consuetam rationem suam (mechanismi ex legibus cogentibus despotice latis) tum quoque sequuntur, vbi conceptus rationis tantummodo cautionem concedunt ex principiis libertatis legalem, qua demum fieri potest constitutio ciuitatis legitima, quam quidem quaestionem practicus putatitius, praetermissa illa idea, empirice, per experientiam, vti constitutiones ciuitatum, quae adhuc exstitere, sed maximam partem iniustae, comparatae fuerunt, se posse putat enodare. — Normae, quibus ad eam rem vtitur (quamuis eas haud palam prodat), ad has fere normas redeunt argutantes.

1. *Fac et excusa.* Cape occasionem opportunam occupandi (vel iuris ciuitatis in populum suum, vel in alium vicinum; excusatio multo facilius atque elegantius *post factum* proferetur et vis praetextu iuuari (praesertim in causa superiori, vbi potestas suprema in intestino simul est magistratus legislator, cui parendum est, nec ea de re argutandum); quam antea de rationibus fidem adsensumque extorquentibus cogitare velis, rationesque de re contrarias exspectare. Haec ipsa audacia certam quamdam speciem largitur persuasionis internae de iustitia facti, deusque ille bonus euentus posthac optimus est iuris vicarius.

2. *Si fecisti, nega.* Quod ipse commerueris, velut vt populus tuus ad desperationem, atque ita ad seditionem adducatur, id nega ex *tua* culpa esse; verum contende, per culpam fieri mentis obstinatae subditorum, vel etiam, in populo occupando finitimo, culpam esse naturae hominis, qui, nisi vi aliis praeuenerit, esse certus queat, se ab hoc praeuersum iri atque occupatum.

3. *Diuide et impera.* Nimirum: ſi certi quidam principes priuilegiati ſint in populo tuo, qui tantummodo primum tete inter pares elegerunt, discordiam in iis inuicem excita, eosque a populo alienato: iam populo opem fer, oſtenſa ſpe libertatis maioris, tum omnia ex voluntate tua pendebunt abſoluta. Aut ſi ciuitates externae ſint, certum reperies adiumentum, ſub ſpecie iuuandi debiliorem, ſingulas tibi ſubiicien-di, in discordia inter eas mouenda.

His igitur normis politicis nemo decipitur; nam cuncta iam omnibus innotuere; nec eſt, quod te earum pudeat, quaſi iniuſtitia manifeſto in oculos incurrat. Quoniam enim magna imperia numquam iudicium verentur multitudinis, ſed alterum alter, decreta illa quidem haud, ſi in vulgus innotoſcant, verum ſi *fruſtrentur*, iis pudorem incutere poſſunt (nam ratione moralitatis normarum cunctis inter ſe conuenit) ſemper illis *honor politicus* relinquitur, quem certo exſpectare poſſunt, nimirum honor *auctae potentiae*, vtcumque ea quidem parta fuerit. *)

*) Quamuis certa quaedam naturae humanae prauitas radicibus infixa de *hominibus*, in ciuitate inuicem degentibus in dubium vocari poſſet, eiusque loco inopia culturae non ſatis longe progreſſae (ruditas) cum ſpecie quadam vt cauſſa adferri phaenomenorum illegalium ingenii eorum, tamen ea, in ratione *ciuitatum* ad ſe inuicem externa ſole clarius manifeſta eſt. In inteſtino cuiusque ciuitatis per coactionem legum ciuilium ea obuelata eſt, quoniam inclinationi ad vim ciuium mutuam vis maior quaedam, nimirum regiminis, fortiter reagit, atque ita non ſolum toti colorem moralem (cauſſae non cauſſae) inducit, ſed eo quoque, quod inclinationibus prauis, ne erumpant, obex obiicitur, reapſe efficitur, vel initia moralia poſſint ad aeſtimationem iuris proximam facilius euolui. — Nam quisque nunc ſe putat conceptum iuris ſane veneraturum adcurateque ſecuturum fore, ſi modo idem poſſet ab vnoquoque exſpectare; de quo poſteriori quidem regimen ex parte illi cauet: quo quippe magnus *ad* moralitatem progreſſus (etſi nondum progreſſus moralis) fit, vt hunc officii conceptum etiam propter ſe ipſum, nullo reſpectu habito remunerationis, ſequatur. — Cum autem quisque, quamuis de ſe ipſo bene ſentiat, malum tamen animum in cunctis aliis ſupponat, de ſe inuicem

* * *

Ex his omnibus conatibus tortuoſis politices moralitati aduerſantis, ſtatum pacis inter homines, ex ſtatu naturali bellicoſo extorquendi, tantum ſaltem patet: homines non poſſe perinde in rationibus ſuis priuatis ac publicis iuris conceptum effugere, neque audere, vt politicam palam ſolum in artibus prudentiae conſtituant, proinde conceptui iuris publici omne obſequium denegent (quod maxime mirum in conceptu iuris gentium videtur), verum illi omnem, qui par ſit, honorem tribuere, etiamſi ſexcentas excuſationes titulosque excogitent, vt ei in praxi ſe ſubtrahant, potentiaeque aſtutae auctoritatem adfingant, originis vinculique iuris vniuerſi. — Vt argutias iſtas (quamuis haud iniuſtitiae iis quaſi colore inductae) tollamus, falſosque potentium terrae *vicarios* cogamus, vt confiteantur, ſeſe haud iuri ſententia ſua fauere, ſed poteſtati, cuius, quaſi ipſi in eo quidquam ſtatuere poſſint, orationem imitantur, e re erit, quo praeſtigiae aperiantur, quibus et ſeſe et alios decipiunt, principium ſummum, vnde conſilium, quod pacem aeternam ſpectat, proficiſcitur, anquiramus doceamusque: vniuerſa, quae illi officiunt, mala inde promanare, quod philoſophus moralis politicus ibi initium capit, vbi politicus moralis, vti par eſt, finem facit, et, cum hoc modo principi fini ſubiicit (id eſt, equos pone currum iungit), ſuo ſe ipſe fine priuat, politicam cum philoſophia faciendi conſpirantem.

Vt philoſophia practica ſibi ipſi conſentanea reddatur, neceſſe eſt, vt primo dirimatur quaeſtio: in

mutuo ſententiam ferunt: ſeſe omnes, quod *factum* attineat, parum frugi eſſe (qui fiat, cum tamen *naturae* hominis, vt naturae liberae, vitio verti nequeat, in medio relinquatur). Cum vero tamen etiam aeſtimatio erga conceptum iuris, a qua homo nullo modo poteſt ſe liberare, theoriam facultatis, ad eum ſeſe componendi, ſanctiſſime confirmet, quisque intelligit, ſe pro parte ſua illi agere conuenienter oportere, vtcumque alii ſtatuant.

Digitized by Google

quaeſtionibus ab ratione practica propoſitis vtrum a *principio materiali* illius, a fine (vt re arbitrio obnoxia) ordiendum ſit, a *formali*, id eſt, ea (non niſi libertatem ſpectante in relatione externa), quod iubet: ſic age, vt velle queas, normam tuam fieri legem vniuerſalem debere (qualis ille cumque finis ſit).

Sine dubio principium iſtud poſterius, oportebit, antecedere; illi enim, vt principio iuris, neceſſitas eſt abſoluta, cum illud ſuperius non niſi ſuppoſitis conditionibus empiricis finis propoſiti, quippe eius exſequendi, cogens eſt, qui finis (veluti pax aeterna) etiamſi in officio eſſet, tamen neceſſe foret, vt hoc ipſum fuerit ex principio formali normarum extrinſecus agendi deriuatum. — Atqui principium prius, quod *philoſophus moralis politicus* ſequitur (problema iuris ciuitatis, gentiumque et coſmopolitici), merum *problema technicum* eſt, ſed alterum e contrario, *politici moralis*, cui iſtud *problema morale* eſt, quod rationem modumque procedendi ab illo ſuperiori, quantum caelum a terra, diſtat, vt pax aeterna, quam non ſolum vt bonum phyſicum cupimus, verum etiam vt ſtatum ex agnoſcendo officio proficiſcentem.

Ad enodandum ſuperius, quippe problema politices, multa opus eſt naturae cognitione, vt huius mechaniſmo queas ad iſtum finem vti, et tamen haec vniuerſa ratione conſectarii incerta eſt, quod ſpectat pacem aeternam; ſiue vnam ſiue alteram trium illarum partium iuris publici ſumſeris. Vtrum populus obſequio ſimulque vigore ſeueritate potius ac rigore, an illecebris vanitatis, vtrum poteſtate ſuprema vnius, aut plurium principum coniunctorum, fortaſſe quoque ſola nobilitate, an poteſtate populi, idque ad diuturnum tempus teneri poſſit, incertum eſt. In vniuerſis formis regiminis (ſi ſolum diſceſſeris ab republicanica, quae vero nemini niſi politico morali venire in mentem poteſt) exempla contrarii continet hiſtoria.— Longe incertius eſt *ius gentium* in ſtatutis, putatitie

fundatum ex consiliis ministerialibus, quod reapse non est nisi vox inanis, re destituta, in pactisque nititur, quae in eodem actu contractus simul reseruationem continent transgressionis. — Contra enodatio alterius, nimirum *problematis politici*, vt ita dicam, sponte sese obtrudit, et cuique euidens est, omnemque argutationem prosternit, et praeterea recta ducit ad finem; hac tamen adiecta cautione vt ne temere per vim is attrahatur, sed vt nos illi, pro re nata, perpetuo propius admoueamus.

Tum dici potest: „Primo regnum anquiratis rationis practicae purae eiusque *iustitiam*, et finis vobis propositus (munus pacis aeternae) sponte tamquam cumulus accedet." Hoc enim proprium est philosophiae moralis, et quidem respectu principiorum iuris publici (proinde ratione politices ex anticipatione cognoscibilis) vt, quo minus actionem facit ex fine proposito, vtilitate spectata, siue physica siue morali, pendentem, eo magis tamen cum hoc generatim conueniat; in caussa est, quod ea ipsa voluntas vniuersalis est ex anticipatione data (in populo quodam, vel in adfectione diuersorum populorum ad se inuicem), quae sola, quid inter homines iuris sit, definit; haec vero voluntatis omnium coniunctio, si modo in praxi nobismet constiterimus, etiam ex mechanismo naturae simul esse in caussa potest, effectum spectatum edendi, conceptuique iuris efficacitatem impertiendi. — Sic, vt hoc vtar, principium est politices moralis: vt populus debeat sese ad ciuitatem coniungere ex vnis solisque iuris conceptibus libertatis et aequalitatis, idque principium haud in prudentia fundatum est, sed in officio. Iam philosophi morales politici in contrarium, quantum velint, de mechanismo physico multitudinis hominum in societatem coëuntium, quo illa principia infirmentur, finisque eorum irritus fore videatur, argutentur, vel etiam exemplis constitutionum male organisaturum cum veterum temporum tum recentiorum (velut democratiarum ad nullum sy-

ſtema repraeſentationis conſtitutarum), ſententiam ſuam probare conentur, tamen non ſunt audiendi; praeſertim, cum eiusmodi theoria pernicioſa, quod praenuntiat, malum vel ipſa producat, ſecundum quam homo cum caeteris rebus viuis miſcentur, quibus non niſi conſcientia, ſe non naturas liberas eſſe, acceſſerit, vt ex ſua ipſorum ſententia omnium naturarum mundanarum miſerrimae redderentur.

Quae in prouerbium abiit, pugilice ſonans quidem, ſed vera ſententia: *fiat iuſtitia, pereat mundus*, cuius haec vis eſt: „Obtineat iuſtitia, etiamſi fures cuncti in mundo propterea pereant," eſt principium iuris ſtrenuum, vias omnes obliquas et tortuoſas, ab aſtutia vel vi delineatas praeſcindens; modo ne male intelligatur, ac fere vt permiſſio, iure ſuo ſumma cum ſeueritate vtendi (quod cum officio ethico pugnaret), verum obligatio poteſtatem tenentium, ad nemini ius ſuum per maleuolentiam vel commiſerationem erga alios recuſandam, eiue derogandum, accipiatur; quo inprimis opus eſt conſtitutione ciuitatis interna ex principiis iuris puris conformata, praeterea quoque coniunctione illius cum aliis ciuitatibus finitimis vel etiam remotis ad controuerſias legaliter (ciuitati vniuerſali analogice) componendas.— Cuius quidem ſententiae nulla alia niſi haec vis eſt: normae politicae non debent ab ſalute ac felicitate cuiusque ciuitatis, ex earum ſectatione ſperanda, proinde haud a fine, quem ſibi quaeque illarum proponit (a volendo) vt principio ſupremo (ſed empirico) ſapientiae politicae, ſed a conceptu puro officii iuris (a debendo, cuius principium exanticipatione per rationem puram datum eſt) proficiſci, quae inde cumque effecta phyſica redundent. Eo, quod numerus malorum hominum decreſcit, mundus nullo modo interibit. Ea eſt mali moralis ab natura ſua inſeparabilis proprietas, vt in finibus ſuis (praeſertim reſpectu aliorum idem ſentientium), vt ſibi ipſi contrarium ſit, ac

ſeſe euertat, atque ita principio (morali) boni, quamquam lentis progreſſibus, locum cedat.

* * *

Igitur *obiectiue* (in theoria) nulla pugna eſt philoſophiam moralem inter et politicam. Contra *ſubiectiue* (in propenſione hominum ſui ipſius ſtudioſa, quae vero, cum non in normis rationis fundata ſit, nondum praxis dicenda eſt), ſemper manebit et maneat, quoniam pro cote virtutis eſt, cuius verus animus (ex principio: tu ne cede malis, ſed contra audentior ito) in hac praeſente cauſſa non tam in eo conſiſtit, vt malis iacturisque, ea in re ſuscipiendis, tenaci propoſito nosmet opponamus, verum vt malo in nobis ipſis, multo periculoſiori, mendaci ac proditorio, ſed tamen argutanti, imbecillitatem humanae naturae ad omnia peccata excuſanda oſtendenti, in os faciemque quaſi conſpiciamus eiusque verſutiam vincamus.

Ac profecto quidem philoſophus moralis politicus dicere poteſt: imperans populo, vel populus populo nullam infert iniuriam, cum alterum alter per vim aut inſidias bello laceſſunt, quamquam quidem omnino peccant in eo, quod conceptui iuris, qui ſolus poſſet pacem aeternam conſtituere, omnem denegant aeſtimationem. Nam quoniam alter officium erga alterum migrat, qui et ipſe erga illum tam iniuſte animatus eſt, ambo, quae promeruere, *experiuntur*, cum ſe inuicem conſumunt, ita tamen, vt ſatis hoc de genere reliquum fiat, quo luſus iſte ad tempora poſſit longiſſime remota continuari, qui exemplo ſit aliquando poſteritati feriſſimae. In quo nulla in prouidentiam reprehenſio cadit de rerum euentu; ſiquidem principium morale in homine numquam exſtinguitur, ratioque ad ideas illas iuridicas ex principio iſto pragmatice idonea perpetuo creſcit progrediente cultura, cum eaque etiam culpa illorum pec-

catorum. Sola creatio, qua ſcilicet eiusmodi ratio naturarum corruptarum omnino eſſe in terris debuit, per nullam theodiceam videtur poſſe iuſtificari (ſi ſumſerimus, de genere humano numquam actum iri melius, nec poſſe agi; verum haec adiudicandi ſtatio nobis nimium alta eſt, quam vt conceptus noſtros (de ſapientia) potentiae ſupremae poſſimus reſpectu theoretico ſupponere. — Ad eiusmodi conſectaria deſperata neceſſario compellimur, niſi ſumſerimus, principiorum iuris purorum realitatem obiectiuam eſſe, id eſt, poſſe ea ad vſum transferri; eaque et a parte populi in ciuitate, et vlterius ex parte ciuitatum erga ſe inuicem; quaecumque contra adferat politica empirica. Igitur politica vera nullum facere gradum poteſt, niſi ante fide philoſophiae morali iurata, et quam politica per ſe ipſa ars difficilis eſt, tamen coniunctio illius cum philoſophia morali nullum opus artis eſt; haec enim nodum diſcindit, quem illa ſoluere non poteſt, ſimul ambae inuicem ſibi repugnant. — Ius hominis ſanctum ſeruari debet, quanta cumque poteſtati imperandi iactura facienda ſit. Ea res non poteſt dimidia fieri, neque ratio media iuris pragmatice hypothetici (inter ius atque vtilitatem) excogitari, verum omnis politica flectere genu coram iure debet, contra ea ſperare poteſt, fore, vt, quamuis tardius, ad gradum perueniat, in quo conſtanter ſplendebit.

II.

DE CONSENSU POLITICES CUM PHILOSOPHIA MORALI EX CONCEPTU TRANSSCENDENTALI IURIS PUBLICI.

Cum ab omni *materia* iuris publici (ſecundum varias adfectiones hominum in ciuitate, vel etiam ſtatum ad ſe inuicem, empirice datas) vti doctores iuris ſolent illud ſibi cogitatione informare, memet contineo, *forma* mihi relinquitur *publicitatis*, cuius poſſibilitatem vnaquaeque iuris petitio in ſe continet, quo-

niam ſine illa nulla iuſtitia (quae non niſi *publice nota* palumque cogitari poteſt) proinde quoque nullum ius foret, quod ab ea ſolum impertitur.

Haec publicitatis facultas in vnaquaque iuris petitione inſit, neceſſe eſt, eaque proinde, cum facile diiudicari queat, an in cauſſa obuia locum habeat, hoc eſt, an cum principiis agentis coniungi poſſit nec ne, eſſe criterio poteſt, facile vtendo, atque ex anticipatione in ratione inſito, quo poſteriori caſu falſitas illius praetenſionis iuris, quaſi experimento rationis purae continuo poteſt agnoſci.

Poſteaquam nobis hoc modo ab omni ratione empirica, quam conceptus iuris ciuitatis gentiumque continet (cuiusmodi prauitas naturae humanae eſt, qua coactio redditur neceſſaria) temperauimus, ſequens ſententia poteſt *formula tranſcendentalis* iuris publici vocari:

„Omnes actiones ad ius aliorum hominum rela„tae, quarum norma haud conuenit cum publicita„te, ſunt iniuſtae.“

Hoc principium non ſolum vt *ethicum* (doctrinam virtutis ſpectans), verum etiam vt *iuridicum* (ad ius hominum pertinens) ſub contemplationem cadit. Namque norma, quae non *manare in vulgus* debet, niſi finis ipſe mihi propoſitus irritus reddatur, qui neceſſario *celandus* eſt, ſi eum adſequi debeam, quemque *palam profiteri* poſſum, ita vt alii haud neceſſario ad reſiſtendum propoſito meo ea re ſollicitentur, hanc vim neceſſariam atque vniuerſalem omnium mihi reſiſtendi ab nulla alia habere poteſt, quam ab iniuſtitia, qua cuique minatur. — Iam vero iſtud tantummodo *negatiuum* eſt, id eſt, nullam niſi hanc vtilitatem habet, vt ope illius cognoſcam, quid erga alios *haud iuſtum* videatur. Inſtar axiomatis certum nullius probationis indiget, et praeterea facile transferri poteſt

ad vſum, quemadmodum e ſequentibus iuris publici exemplis intelligi poteſt.

1) *In iure ciuitatis quidem*, interno quippe, quaeſtio occurrit, ad quam multis videtur difficulter poſſe reſponderi, et qua principium publicitatis transſcendentale nullo negotio enodatur: „Eſtne ſeditio in remediis legitimis iuſtisque populo poteſtatis oneroſae tyranni (non titulo ſed exercitio talis) amoliendae.“ Iura populi laeſa ſunt, eique (tyranno) nulla infertur iniuria, ſi regno priuatur; id quod dubium non eſt. Nihilominus tamen a ſubditis maxime iniuſte fit, ſi tali modo ius ſuum quaerant, nec perinde erit, quod de iuſtitia querantur, ſi in eo certamine inferiores ſuppliciis grauiſſimis adficerentur.

Hic quidem multa poſſis in hanc contrariamque partem argutari, ſi rem velis rationibus iuris dogmatice deducendis expedire; ſed principium transſcendentale publicitatis iuris publici his poteſt ambagibus ſuperſedere. Iuxta illud enim ante conſtitutionem pacti ciuilis populus ſe ipſe explorat, an audeat, normam propoſiti occaſione data ſeditionem mouendi publicare. Facile intelligitur, populum, ſi in fundanda ciuitatis conſtitutione addere conditionem velit, vt certis temporibus liceret contra principem vim exercere, ſibi poteſtatem legitimam vindicare in illum oportere. Tum vero ille haud princeps eſſet, aut, ſi vtrumque pro conditione ciuitatis conſtituendae acciperetur, nulla omnino ea eſſe poſſet, quod tamen populo propoſitum fuit. Ergo iniuria ſeditionis eo manifeſta eſt, quod per normam eius eo, quod *palam* iſtud *profiterere*, finis eius proprius impoſſibilis redderetur. Igitur neceſſario ea celanda foret. — Hoc vero ex parte principis ſuperioris haud fere neceſſe foret. Is libere declarare poteſt, ſe vnamquamque ſeditionem morte auctorum puniturum fore, quantumuis hi arbitrentur, eum legem fundamentalem primo transgreſſum eſſe; cum enim ſibi conſcius eſt,

ſe poteſtatem ſupremam, *cui nequeat obſiſti*, tenere (id quod in vnaquaque conſtitutione ciuili etiam ſic accipiendum eſt, quoniam ei, cui non ſatis potentiae eſt, ad quemuis in populo contra alium tuendum, etiam haud ius competit, ei imperandi) ei non metuendum eſt, ne norma ſua publicanda finem ipſum ſibi propoſitum euertat, quocum quoque bene conuenit, vt, ſi populo ſeditio ſuccederet, ille princeps in locum ſubditi rediret, nec perinde ſeditionem ad ſe reſtituendum mouere, ſed etiam haud metuere deberet, vt de priſtina ciuitatis adminiſtratione in ius vocaretur.

2) *Reſpectu iuris gentium.* — Non niſi vllo quodam ſtatu iuridico ſuppoſito (hoc eſt, ea conditione externa, qua fit, vt homini reapſe queat ius impertiri), ſermo eſſe poterit de iure gentium; ſiquidem illud, quo ius publicum publicationem continet in conceptu ſuo voluntatis vniuerſalis, ſuum cuique deſignantis, et hic ſtatus iuridicus ex vllo quodam pacto emergat, oportebit, quod non item (velut illud, vnde ciuitas enaſcitur) in legibus eſſe cogentibus fundatum debet, ſed fere etiam eſſe pactum poteſt adſociationis *perpetuo liberae*, vti iſtud, quod ſupra diximus, pactum foederalitatis diuerſarum ciuitatum. Namque ſine vllo quopiam *ſtatu iuridico*, quo diuerſae perſonae (phyſicae aut morales) actiue coniunguntur, proinde in ſtatu naturali, nullum aliud ius eſſe, niſi priuatum, poteſt. — Quo quidem loco pugna emergit politices cum philoſophia morali (vt doctrina iuris ſpectata), vbi tum illud criterium publicitatis normarum itidem facile poteſt ad vſum transferri, ſed non niſi ſic: vt pacto ciuitates hunc in finem coniungantur, vt inuicem et coniuncte erga alias ciuitates pacem ſeruent, nullo modo autem vt nouas poſſeſſiones occupent. — Tum igitur hae rationes emergunt antinomiae politicen inter et philoſophiam moralem, quibuscum ſimul enodationem earum coniungemus.

a) „Si vna earum ciuitatum alteri promiſſum fecerit, velut opem ferendam, terras certas quasdam

cedendas, ſubſidiaue et id genus alia, tum quaeritur, an in cauſſa quadam, vnde ſalus ciuitatis pendet, ſeſe poſſit a fide ſeruanda liberare, cum ex duplici perſona cupiat ſpectari, primo vt *imperans ſupremus*, vbi nemini in ciuitate reddere rationem tenetur; tum vero rurſus ſolum vt *miniſter ciuitatis* ſupremus, qui reddere rationem ciuitati debeat; vbi tum concluſio eo redit denique, vt, quam prior perſona in ſe recepiſſet, altera fide perſona liberaretur." — Quodſi autem ciuitas (eiusue ſuperior) hanc normam ſuam manare in vulgus pateretur, fieri non poſſet, quin aut quaeque alia eam fugeret, aut ſeſe cum aliis coniungeret, quo ſeſe arrogantiae eius opponeret, id quod probat, politicen cum omni verſutia ſua hac ratione (mentis apertae) ſuam ipſam finem irritam facere, proinde normam illam eſſe iniuſtam oportere.

b) „Si potentia finitima tremenda metum excitet: num ſumi poterit, eam, quoniam *poſſit*, etiam *velle* opprimere, et num potentiae minori inde ius enaſcitur eam (coniunctis viribus) adoriendi, etiam nulla offenſione antegreſſa?" — Ciuitas, quae normam ſuam ſic aiendo *diuulgaret*, malum eo certius atque velocius aduocaret. Namque potentia maior minores anteuerteret, et coniunctio quidem minorum non niſi arundo tenuis eſt contra eam, quae trito illo: diuide et impera, vti didicit. — Haec norma politices, palam declarata, igitur neceſſario ſuum ipſius finem euertit, ideoque iniuſta eſt.

c) „Si ciuitas minor ſita ſuo capite contextum disiungit maioris, huic tamen ad ſe conſeruanadm neceſſariae, num huic ius haud competit, illam ſibi ſubiiciendi cum ſuaque coniungendi?" — Facile intelligitur, maiorem non oportere eiusmodi normam antea diuulgare; etenim, aut ciuitates minores mature ſeſe coniungerent, aut alii potentes de hac praeda certarent, proinde aperta mente ſua ſe ipſam impedit, quo minus poſſit effici; quod argumento eſt, eam iniuſtam eſſe; et valde quoque ea eſſe iniuſta poteſt; nam par-

va res iniuſtitiae propoſita haud impedit, quo minus iniuſtitia ea in re perpetrata permagna videatur.

3. *Ac ius quidem coſmopoliticum* hoc loco ſilentio praetereo; quoniam, propter eius cum iure gentium ſimilitudinem, facile indicari eius normae poſſunt atque aeſtimari.

* * *

Iam hic quidem in principio discordiae normarum iuris gentium et publicitatis, bonum criterium habemus *diſſenſus* politices et philoſophiae moralis (qua doctrinae iuris). Iam licetne etiam edoceri, quae tandem lex atque conditio ſit, qua normae illius cum gentium iure conueniant? Neque enim retro concludi poteſt: normas, quae publicitatem patiantur, idcirco etiam iuſtas eſſe; ſiquidem, qui potentia certo ſuperior eſt, non opus habet normarum occultatione. — Conditio poſſibilitatis iuris gentium conſiſtit in eo, vt antea *ſtatus iuridicus* exſtet. Quippe ſine quo nullum eſt ius publicum, ſed vniuerſum ius, quod praeter illum cogitari poſſit (in ſtatu naturali) tantummodo ius priuatum eſt. Atqui ſupra vidimus, ſtatum foederatiuum ciuitatum, cui ſolum depulſio belli propoſita eſt, vnum eſſe ſolumque ſtatum *iuridicum*, qui cum *libertate* illius queat conciliari. Ergo conſenſus politices cum philoſophia morali eſſe duntaxat poſſe in coniunctione foederatiua (quae proinde ex principiis iuris ex anticipatione data eſt et neceſſaria) omnisque politices baſis iuridica fundando ſuperiori illo ſtatu cernitur, in ambitu, qui fieri poſſit, maximo, ſine quo fine omnis argutatio illius inſipientia eſt, et iniuſtitia obuelata. — Atque huic politicae ſpuriae *caſuiſtica* eſt, certans cum caſuiſtica Loilitarum — *reſeruatio mentalis*; in conſignandis pactis publicis, eiusmodi verbis, quae occaſione data poſſis, quomodocumque velis, in rem tuam interpretari (veluti discrimen ſtatus quo *de facit* et *de droit*); — item

probabilismus: mala consilia aliorum argutando diuinare, vel etiam probabilitatibus hyperpondii illius *possibilis* pro ratione iuris ad subuertendas ciuitates alias pacificas vti; — tandem etiam *peccatum philosophicum* (peccatillum, *bagatelle*); absumtionem ciuitatis minoris, si ea longe *maior*, in salutem mundi vt putant, maiorem, lucretur, pro minutiis facile condonandis reputandi.

Eam rem adiuuat ac promouet oratio politices ambigua in vna alteraue philosophiae moralis parte in rem suam abutenda. — Vtrumque, et humanitas, et reuerentia *iuris* hominum, in officio est; sed illa non nisi in *hypothetico*, hoc vero in *absoluto*, simpliciterque imperante officia, quod sese haud migrasse is antea esse prorsus certus debet, qui dulci bene faciendi sensui sese traditurus est. Cum philosophia morali sensu superiori (qua ethica) politica facile conspirat, ad ius hominum superioribus eorum sacrificandum: verum cum philosophia morali significatione posteriori (vt doctrina iuris), qui coram sibi flectendum genu foret, e re esse ducit, nullo modo ad pactum conuenire, eique potius realitatem omnem oppugnare et vniuersa officia ad solam beneuolentiam transferre; quae versutia politices lucem verentis tamen ab philosophia publicandis normis illius facile euerteretur, si modo ille audere vellet, philosopho normas suas divulgandas concedere.

Quo quidem respectu aliud principium transscendentale iuris publici aiens suadeo, cuius formula haec foret:

„Omnes normae, publicitatis (ne fine suo excidant) *egentes*, coniunctae cum iure et politice conueniunt."

Quodsi enim eae non nisi diuulgantur finem possunt adsequi, cum fine populi vniuersali (felicitate) conuenire debent; quocum qui conueniant (qui po-

pulus queat cum ſtatu ſuo contentus reddi) propria quaeſtio eſt politicae propoſita. Sin autem iſte finis *non niſi* diuulgando, id eſt, remouenda omni diffidentia erga normas illius, obtineri debeat, haec, neceſſe eſt, cum iure populi conſpirent; in eo enim ſolo fieri poteſt omnium finium coniunctio. — Vberiorem huiusce principii pertractationem expoſitionemque alii occaſioni ſeruabo; illud in formula transſcendentali verſari, ex remotione omnium legum conditionumque empiricarum (doctrinae felicitatis), vtpote materiae legis, ſoloque reſpectu formae legalitatis vniuerſalis intelligi poteſt.

* * *

Quodſi in officio eſt, ſi ſimul vera ſpes adeſt, vt ſtatus iuris publici, quamuis non niſi per adpropinquationem in infinitum progredientem efficatur, *pax aeterna*, quae pacta de pace, adhuc falſo ſic dicta (reapſe inducias) ſequitur, haud idea inanis eſt, ſed quaeſtio, quae paullatim enodata, ad metam (quoniam tempora, quibus progreſſus fiunt aequales, ſperari poteſt, indies breuiora fieri) perpetuo propius accedat.

III.

SOMNIA PNEUMATOPTAE

PER

SOMNIA METAPHYSICES ILLUSTRATA.

— — Velut aegri ſomnia, vanae
finguntur ſpecies. —

Horat.

PRAEMONITUM

PERPARUM POLLICENS TRACTATIONI.

Regnum vmbrarum paradiſus eſt ſtultorum. Hic terram inueniunt, nullis terminis circumſcriptam, in qua, vbicumque velint, accolere poſſint. Vaporibus hypochondricis, fabuliſque anilibus et miraculis ex monaſteriis fit, vt numquam iis deeſſe materia videatur. Philoſophi formam delineant, eamque rurſus immutant, vel reiiciunt, vt conſuetudo fert. Sancta *Roma* ſola eſt, quae ibi prouincias tenet fertiles; duabus coronis regni inuiſibilis fulcitur tertia, vt diadema caducum dignitatis terreſtris, clauibusque portas futuri mundi alterius aperientibus, ſimul arcae per συμπάθειαν pandunt praeſentis. Eiusmodi iura regni ſpirituum, quatenus argumentis iſtud politices probatum eſt, longe ſunt omnibus hominum ſcholaſticorum dubiis imbecillis ſuperiora, eorumque vſus abuſusue iam venerabilior eſt, quam vt ei opus ſit, examini ſeſe tam abiecto exponere. Verum narrationes vulgares, quibus tanta fides habetur, quaeque ſaltem tam male impugnantur, quid cauſſae eſt, cur tam otioſe vel impunite circumferantur, atque vel in conſtitutiones doctrinales irrepant, quamuis careant praeſidio argumenti ducti ab vtili, vnius omnium euidentiſſimi? Eccui philoſopho haud aliquando accidit, vt inter obteſtationes ſani firmiterque ſibi perſuaſi teſtis oculati, et motum internum dubii inuicti, inter ſacrum

quaſi ſaxum]ue, quo ſe verteret, anxius atque incertus verſaretur? An veritatem omnium eiusmodi viſorum neget? Quasnam rationes poteſt, quibus ea refellat, proferre?

An vel vnam modo iſtarum narrationum vt probabilem concedat? quam grauis eiusmodi confeſſio foret, et quaenam horrenda inde conſequentia praeuidentur, ſi vel *vnum* modo eiusmodi euentum poſſet vt probatum ſupponi? Sed ſane adhuc quiddam tertium reliquum erit, nempe vt ab talibus curioſis quaeſtionibus *otioſisque* omnino tibi temperes, et ſolum *vtilia* ſequare. Quod vero conſilium, quoniam ſanum eſt ac ſobrium, ſemper eſt a ſolidioribus doctis, maiori ſuffragiorum frequentia repudiatum.

Cum perinde ſtulta ſit praeiudicata opinio, multorum, quae ſpecie veritatis quadam narrantur, ſi *nihil* quidquam ſine cauſſa credas, quam ſi eorum, quae rumore vulgari feruntur, *omnia* inexplorata credas, auctor huius libelli, vt opinionem praeiudicatam ſuperiorem euitaret, altera ſe partim abripi paſſus eſt. Fatetur cum certa quadam modeſtia, ſeſe fuiſſe tam facilem, vt veritatem quarumdam narrationum iſtius generis indagaret. Et reperit — — — vti plerumque, vbi nihil quaerendum eſt — — — reperit omnino nihil. Iam ſane hoc quidem per ſe ipſum in cauſſa eſt idonea librum ſcribendi; ſed acceſſit etiam, quae iam ſaepius modeſtiae auctorum libros extorſit, amicorum et notorum et ignotorum importuna rogatio. Praeterea opus magnum emtum erat, et, quod peius eſt, etiam perlectum, neque ea opera eſſe collocata fruſtra debebat. Inde haec disputatio enata eſt, quae, quo mihi perſuaſi, pro natura rei lectori prorſus faciet ſatis, propterea quod id, quod caput eſt, haud intelliget, reliqua non credet, caetera vero ridebit.

Digitized by Google

PARS PRIOR

DOGMATICA.

CAPUT PRIMUM.

PERPLEXUS NODUS METAPHYSICUS, VTI PLACET VEL SOLVENDUS VEL DISCINDENDUS.

Vniuerſis iis, quae de ſpiritibus et puer in ſchola recitat, et multitudo narrat, et philoſophus demonſtrat, coniunctis haud parua pars effici noſtrae ſcientiae videtur. Nihilominus contendo, eum, cui in mentem venerit, in ea quaeſtione aliquantum immorari: quidnam reapſe ſit id, de quo in verbo *ſpiritus* tam multum intelligi creditur, omnes iſtos multiſcios in ſummam moleſtiſſimamque difficultatem adductu-rum fore. Sermones academiarum methodici ſaepenumero non niſi in conſpiratione verſantur ad quaeſtionem, quae difficulter enodari poteſt, per ſignificationes verborum mutabiles euitandam, ſiquidem, vtile iſtud et maximam partem ſanum: *ego neſcio*, in academiis haud facile auditur. Certi quidam recentiores philoſophi, vti ſic ſe dici amant, hanc quaeſtionem perfacile expediunt. Spiritus, aiunt, natura eſt praedita ratione. Atque ita haud mirum eſt videre ſpiritus; qui enim hominem videt, is naturam videt, praeditam ratione. At pergunt, haec natura in homine, quae praedita ratione eſt, tantummodo pars hominis eſt, eaque pars, quae eum animat, ſpiritus eſt. Agite igitur: ante ergo, quam vos probetis, non niſi ſpiritualem naturam praeditam eſſe ratione poſſe, curetis, velim, vt primo intelligam, quam cogitationem mihi de natura ſpirituali mente debeam informare. Huius illuſionis, qua vosmet ipſos decipitis, etiamſi ſatis craſſa ſit, quae oculis percipiatur ex parte clauſis, origo eſt admodum facilis comprehenſu. De quo enim puer admodum mul-

ta noueris: de eo certus es, aetate proiectiori ſenem te nihil quidquam noſciturum fore, et vir doctrinae ſolidae poſtremo ad ſummum ſophiſta euades erroris iuvenilis.

Igitur neſcio, an ſpiritus ſint, quid? quod ne ſcio quidem, quae vis atque poteſtas vocabulo *ſpiritus* ſubiicienda videatur. Interim cum ipſe eo ſaepenumero vſus ſim, aliosque eo vti audiuerim, neceſſe eſt, vt eo aliquid intelligatur, ſiue iſtud fetus ingenii ſit, ſiue aliquid, quod vere eſt atque adparet. Vt hanc ſignificationem absconditam euoluam, conceptum male intellectum meum cum variis cauſſis comparo, in quibus is ad vſum transfertur, eoque, quod animaduerto in quibus is conuenit atque in qua repugnat, ſpero, meinet occultum ſenſum eius explicaturum *).

Sumatis fere ſpatium pedis cubici, et ponatis, eſſe quidpiam, quod iſtud ſpatium repleat, id eſt,

*) Quodſi conceptus ſpiritus mente foret a propriis noſtris conceptibus empiricis ſeparatus atque abstractus, facile is reddi poſſet diſtinctus, quia tum non niſi eas notas indicare deberem, quas ſenſus nobis in hoc naturarum genere aperirent, et quibus eae a rebus corporeis discernuntur. Sed ſermo inſtituitur de ſpiritibus vel tum, cum dubitas, an omnino eiusmodi naturae exſtent. Ergo conceptus de natura ſpirituali non poteſt vt ab experientia cogitatione ſeparata abstractaque tractari. Quodſi autem quaeratis: quo tandem modo hoc conceptu omnino potiti ſimus, niſi factum ſit abstractione? ſic reſpondeo: multi naſcuntur conceptus ex concluſionibus ſecretis atque obſcuris occaſione experientiarum, poſteaque ſe propagant ad alios, ſine ipſa experientiae concluſionisue conſcientia, conceptum earum adſecutae. Tales conceptus dici poſſunt *ſubreptitii*. Cuiusmodi multi ſunt, qui partim non niſi in errore phantaſiae verſantur, partim etiam veri ſunt, propterea quod etiam concluſiones obſcurae haud ſemper in errore verſantur. Conſuetudo loquendi coniunctioque dictionis cum variis narrationibus, in quibus ſemper eadem nota principalis efficitur, determinatam ei certamque ſignificationem impertiunt, quae proinde non poteſt niſi eo explicari, vt hunc ſenſum occultum per comparationem cum variis modis vſus, ei conſentaneis vel repugnantibus, ex obſcuritate ſua protrahatur.

cuique rei alii ſeſe inſinuanti reſiſtat, tamen nemo erit, qui eam naturam, quae ſic in ſpatio *eſt* vocet *ſpiritualem*. Eam, manifeſtum eſt, dicendam fore *corpoream*, idcirco quia et extenſa eſt, et imperuia, et, vti omnes res corporeae, diuidua legibusque pulſus obnoxia. Vsque eo adhuc in orbita verſamur munita aliorum philoſophorum. Verum cogitatione vobis naturam informetis ſimplicem, eique ſimul tribuatis rationem; num haec tum ipſa vim poteſtatemque vocabuli *ſpiritus* implebit? Vt iſtud aperiam, rationem illi naturae ſimplici qua qualitatem *internam* concedam, in praeſens autem ſolam in rationibus *externis* conſiderabo. Et nunc quaero: cum hanc ſubſtantiam ſimplicem in ſpatio illo pedis cubici, materia repleto, collocare volo, num tum elementum illius ſimplex locum cedere oportebit, quem hicce ſpiritus occupet? Si, etiam, dicitis, tum ſpatium iſtud, quo alterum ſpiritum capiat, alteram partem, oportebit elementarem amittere, atque ita tandem, ſi pergatur, pes ſpatii cubicus ſpiritibus erit oppleta, quarum moles pariter ex ratione imperuia reſiſtat, ac ſi plena foret materia, atque itidem atquae haec, neceſſe ſit, vt pulſus legibus obnoxia videatur. Iam vero eiusmodi ſubſtantiae, quamuis vim in ſeſe rationis habeant, tamen extrinſecus ab elementis materiae nullo modo diuerſae forent, in quibus etiam non niſi vires nouimus praeſentiae illarum externae, quaeque in proprietatibus illarum internis ſint, prorſus ignoramus. Ergo dubium non eſt, eiusmodi genus ſubſtantiarum ſimplicium non vocatum iri naturas ſpirituales, quarum poſſent moles conglobari. Igitur conceptum ſpiritus tantummodo poteritis retinere, ſi vobis naturas cogitatione informetis, quae adeo in ſpatio poſſent materia repleto praeſentes eſſe *); naturas pro-

*) Hoc loco facile animaduertitur, me ſolum de ſpiritibus, qui vt partes ad totum coſmicum pertinent, non vero de ſpiritu infinito loqui, auctore eorum et conſeruatore. Etenim conceptus de natura ſpirituali huiusce poſterioris facilis eſt, quia tantummodo negatiuus eſt, in eoque cernitur, quod

inde, in quibus non ineſt ratio imperuia, quarumque numero coniunctarum quantocumque numquam quodpiam totum efficietur. Naturae eiusmodi ſimplices naturae incorporeae vocabuntur et immateriales, et, ſi ratione gaudeant, ſpiritus. Sed ſubſtantiae ſimplices, quarum compoſitione totum efficitur extenſum vnitates corporeae et materiales earum totum vero materia, adpellabuntur. Aut nomen ſpiritus inani voce ſonat, aut eius ſignificatio poteſtasque ea eſt, quam modo indicauimus.

A definitione eius, quod conceptu ſpiritus contineatur, mire abhorret gradus ad enuntiationem eiusmodi naturas exſtare, quin etiam eſſe tantum poſſe. In ſcriptis philoſophorum argumenta valde idonea deprehendimus, quibus eſſe fretus queas, quodcumque cogites, eſſe ſimplex oportere, et vnamquamque ſubſtantiam ſimplicem naturae vnitatem eſſe, illudque Ego indiuiduum non poſſe in toto quodam multarum rerum coniunctarum distributum videri. Ergo anima mea erit ſubſtantia ſimplex. Verum hoc argumento etiamnunc in medio relinquitur, vtrum ea ex illo genere ſit, quibus in ſpatio coniunctis totum extenſum atque imperuium efficitur, quae proinde corporeae ſunt, an incorporea ideoque ſpiritus ſit, atque etiam, an eiusmodi genus naturarum, atque earum, quae *ſpirituales* dicuntur, eſſe queat.

Atque in eo quidem non poſſum non cautionem adiicere de conſiliis haud temere capiendis, quae in quaeſtione quaque profundiſſima atqua obſcuriſſima facillime irrepunt. Quidquid enim ad vulgares conceptus empiricos pertinet, illud plerumque ſpectari

proprietates materiae in ea negantur, cum ſubſtantia infinita abſoluteque neceſſaria pugnantes. Contra in ſubſtantia ſpirituali, quae cum materia eſſe coniuncta debet, velut animae humanae, haec difficultas oboritur: quod mutuam illius cum naturis corporeis d totum coniunctionem cogitare debeam, et vnam tamen coniunctionis, quae nota eſt, rationem, cui locus in naturis corporeis eſt, tollere.

Digitized by Google

ſolet, quaſi eius poſſibilitas intelligatur. Contra quae ab iis abhorrent, neque vlla experientia ex ſimilitudine poſſunt doceri; earum ſane nulla poteſt cogitatio informari, et propterea ſolent ea lubenter tamquam impoſſibilia repudiari. Omnis materia in ſpatio alterius praeſentiae reſiſtit, atque idcirco vocatur imperuia. Iſtud euenire, experientia docet, abſtractioque ab hac experientia in nobis quoque conceptum gignit vniuerſalem materiae. Haec autem reactio, quam quidpiam in ſpatio eius praeſentiae praebet, tali modo *cognita* quidem eſt, ſed idcirco haud *comprehenſa*. Ea enim, quemadmodum cuncta, quae actioni cuidam reagunt, vis vera eſt, cumque eius directio ei, quam lineae productae ſpectant *adproximationis*, contraria ſit, ſequitur vt ea in vi verſetur repulſus, quae materiae, ideoque quoque elementis illius attribuenda eſt. Iam quisque ſanus facile concedet, hic terminos eſſe intellectus humani. Nam non niſi per experientiam animaduerti poteſt, res mundanas, quas *corporeas* dicimus, eam vim habere, illius autem poſſibilitatem comprehendere. Quodſi autem ſubſtantias alius cuiusdam generis, cum aliis viribus in ſpatio praeſentes, quam cum illa vi *pulſiua*, poſuerim, quarum conſequens ratio imperuia eſt, ſane quidem actionem illarum, quarum nulla cum repraeſentationibus meis empiricis ſimilitudo ſit, nullo modo poſſum in ſingulo atque concreto cogitare, et dum iis proprietatem demo, ſpatium, in quo agunt, *replendi*, conceptus perit, quo alioquin a me queunt res cogitari, quae ſub ſenſus cadunt, atque inde neceſſe eſt genus quoddam incogitabilitatis emergere. Verum haec idcirco haud poteſt vt impoſſibilitas agnita ſpectari, ob eam ipſam cauſſam, quia contrarium quoad poſſibilitatem itidem haud perficietur, quamuis illius exiſtentia ſub ſenſus cadat.

Quocirca poſſibilitatem naturarum incorporearum ſumere poteris, neque tamen metuere, te iri confutatum, quamuis etiam ſpe deſtituare, fore, vt

Digitized by Google

vmquam queas eam poſſibilitatem argumentis ex ratione petitis euincere. Tales ſpirituales naturae in ſpatio forent praeſentes, ita vt illud nihilominus naturis corporeis ſemper maneret imperuium, quoniam illarum praeſentia ſane *efficientiam* quidem in ſpatio, non vero eius *repletionem*, id eſt, reactionem qua cauſſam contineret ſoliditatis. Si igitur eiusmodi ſubſtantiam ſpiritualem ſumas *ſimplicem*, ſalua ratione illius indiuidua dicere poſſes: locum praeſentiae iſtius proximae haud in puncto, ſed in ipſo ſpatio quodam conſiſtere. Etenim vt analogiae ope vtar, ipſis elementis corporum ſimplicibus neceſſario oportebit quodque in corpore ſpatiolum repleri, quod pars eſt aequabilis vniuerſae iſtius extenſionis, propterea quod puncta non in partibus, ſed terminis ſpatii verſantur. Quae quidem ſpatii repletio cum interuentu virtutis cuiusdam efficacis (repulſus) efficiatur, ideoque duntaxat ambitus actionis maioris, non vero multitudo partium ſubiecti efficientis elementarium indicetur, ſequitur, vt ea nullo modo pugnet cum ſimplici illarum natura, quamquam ſane iſtius rei poſſibilitas non vlterius poteſt explicari diſtinguique, id quod numquam fieri poteſt in relationibus cauſſarum et effectorum. Pariter mihi nulla certe euincenda impoſſibilitas officiet, quamuis res ipſa incomprehenſa maneat, cum contendo: ſubſtantiam ſpiritualem, etiamſi ſimplicem, tamen poſſe ſpatium occupare (id eſt, proxime in eo agere poſſe), neque iſtud tamen *replere* (id eſt, ſubſtantiis corporeis in eo reagere). Praeterea eiusmodi ſubſtantia incorporea haud foret extenſa dicenda, perinde atque vnitates materiae; nam id ſolum, quo ſeparatum ſeiunctumque ab omni et *per ſe* ſolum exſtans ſpatium occupat, *extenſum* eſt; ſubſtantiae autem, quae ſunt elementa materiae, non niſi actione in aliis externa ſpatium occupant, per ſe vero ſeparatim, vbi nullae res aliae cum iis coniunctae cogitantur, nec vbi in iis ipſis quod extra ſe ſit, deprehenditur, nullum eae ſpatium continent. Id quod de elementis corporum valet. Atque hoc quo-

Digitized by Google

que valeret de naturis ſpiritualibus. Terminis extenſionis definitur figura. In iis ergo nulla figura cogitari poſſet. Hae rationes ſunt difficulter perſpiciendae poſſibilitatis ſperatae naturarum incorporearum in vniuerſitate mundi. Is qui poſſeſſionem tenet adiumentorum faciliorum, quae ducere ad hanc perſpicientiam poſſunt, is haud neget inſtitutionem tironi, cuius in oculis progrediente inveſtigatione ſaepenumero emergunt Alpes, vbi alii planam ſemitam atque commodam conſpiciunt, in quo pergant vel pergere credant.

Fac igitur, fuiſſe probatum, animam hominis ſpiritum eſſe (quamquam patet e ſuperioribus, eiusmodi argumentum nondum vmquam prolatum eſſe), quaeſtio, quae fieri proxima poſſet, fere haec foret: vbinam locus eius huius animae humanae in mundo corporeo? Equidem reſponderem: illud corpus, cuius mutationes ſunt mutationes *meae*, iſtud corpus, inquam, *meum* corpus eſt, locusque illius idem et *meus locus*. Quodſi quaeſtionem continuas vlterius, vbinam locus *tuus* (animae) in hoc corpore eſt? aliquid monſtri in ea quaeſtione ſuſpicarer.. Etenim facile animaduertitur, quidpiam iam in ea ſupponi, quod haud conſtet per experientiam, ſed fortaſſe in concluſionibus poſitum ſit putatitiis: nimirum, illud Ego meum cogitans in loco eſſe, a locis aliarum partium illius corporis, quod ad me ipſum pertinet, diuerſo. Verum nemo peculiaris cuiuspiam in corpore ſuo loci ſibi conſcius eſt, verum illius, quem vt homo reſpectu mundi circum circa capit. Ergo experientiam tenerem vulgarem atque in anteceſſum dicerem: vbi ſentio, ibi *exſto*. Exſto aeque proxime in extremo digito, atque in capite. Egomet ipſe ſum, qui in calcibus dolet, cuique cor in animi motu palpitat. Ardentiſſimi doloris impreſſionem haud in neruo cerebri ſentio, cum podagra crucior, verum in digitis pedum externis. Nulla memet experientia docet, quasdam partes ſenſationis meae a memet putare remotas, et illud Ego meum

indiuiduum loco cerebri microſcopice minimo includere, atque inde veſtem machinae corporeae meae mouere, eoue ipſum tangi. Quamobrem argumentum poſtularem ſeuerius, vt iſtud abſurdum ducerem, quod ſcholaſtici dixere: *anima mea tota eſt in toto corpore totaque in quaque illius parte.* Intelligentia ſana ſaepius animaduertit veritatem, antequam rationes perſpiciat, quibus eam euincere queat vel illuſtrare. Nec prorſus perturbaret, ſi occurreretur, hoc modo animam memet cogitare extenſam et per totum corpus disperſam, velut ea fere paruulis *in orbi picto* depingitur. Iſtud enim impedimentum: praeſentia proxima in ſpatio quodam toto non niſi ſphaeram euinci efficacitatis externae, non vero partium internarum multitudinem, nec proinde vllam extenſionem ſiue figuram, quippe quae tantummodo locum habent, vbi in natura quadam *per ſe ſola poſita* ſpatium eſt, id eſt, partes deprehenduntur, quae extra ſe inuicem videntur. Tandem aut haec pauca de ſpirituali animae meae proprietate ſcirem, aut, ſi iſtud non concederetur, etiam acquieſcerem, nihil illius quidquam noſſe.

Quodſi his cogitationibus vitio vertere incomprehenſibilitatem velles, aut, quod apud plerosque idem eſt, impoſſibilitatem, per me quoque liceret. Tum ad pedes horum ſapientum conſiderem, vt eos ſic locuturos audirem. Animae humanae ſedes eſt in cerebro, locusque in eo minimus illius domicilium eſt *). Ibi ea, velut aranea in centro telae, ſentit.

*) Exempla adſunt laeſionum, quibus magna pars cerebri perdita eſſet, neque tamen homo vitam perderet cogitationesue. Ex ſententia vulgari, quam hoc loco adfero, atomum illius licuiſſet eximi, locoue moueri, vt temporis articulo homo exanimaretur. Sententia obtinens, quae animae locum deſignat in cerebro, potiſſimum inde videtur orta eſſe, quod in cogitatione intenta atque adſidua diſtincte ſentimus, nervos cerebri contendi. At haec concluſio, ſi vera foret, alia quoque animae loca probaret. In anxietate animi gaudioue ſenſatio ſedem videtur in corde habere. Multi adfectus, quin plerique, vim ſuam maximam exſerunt in diaphrag-

Neruis cerebri pellitur ea atque quaſſatur, eoque efficitur, vt haud ea impreſſio proxima, ſed ea, quae in partibus corporis ſit prorſus remotis, ſed tamen res obiecta extra cerebrum praeſens repraeſentetur. Atque ex hac ſede mouet ea quoque funes vectesque vniverſae machinae motusque pro arbitratu efficit voluntarios. Eiusmodi enuntiata non niſi tenuiter poſſunt, aut nullo pacto probari, et, quia natura animae reapſe haud ſatis nota eſt, etiam non niſi infirmiter confutari. Igitur nullis memet litibus ſcholaſticis implicarem, vbi plerumque vtraque pars tum plurima loquitur, cum nihil quidquam de re ſibi propoſita intelligit; verum tantummodo ſectarer conſequentia, ad quae per doctrinam eiusmodi duci poſſum. Quoniam ergo pro enuntiatis mihi laudatis anima mea, quoad motum, quo ea in ſpatio praeſens eſt, ab vnoquoque materiae elemento nihil quidquam differret, et vis intelligentiae proprietas interna eſt, quam nihilominus haud poſſem in hisce elementis percipere, quamuis ea in illis vniuerſis deprehenderetur, nulla ratio poſſet idonea adferri, cur anima mea non vna ex illis ſubſtantiis ſit, quibus materia efficitur, et cur non illius phaenomena ſingularia non niſi ex loco pro-

mate. Commiſeratione mouentur inteſtina, aliosque impetus in aliis organis oriri videmus ac ſentiri. Cauſſa, quae efficit, vt animam *meditantem* praeſertim in cerebro ſentiri putatur, fortaſſe haec eſt. Omnis cogitatio opus habet interuentu *ſignorum* ideis excitandis, vt iis comitantibus et adiuuantibus gradus claritatis neceſſarius impertiatur. Sed ſigna repraeſentationum noſtrarum in primis ea ſunt, quae vel auditu ſint vel viſu concepta, qui ſenſus vterque impreſſionibus mouetur in cerebro, idcirco quia organa illorum huic parti quoque proxime ſita ſunt. Cum igitur excitatio horum ſignorum, quae *ideas materiales* nominat Carteſius, proprie in ſolicitatione verſatur neruorum ad motum illi ſimilem, quem quondam excitarat ſenſatio, tum cerebri textura in cogitatione maxime cogetur vt cum impreſſionibus priſtinis concorditer moueatur, eoque defatigetur. Si enim cogitatio ſimul cum motu cui nec coniuncta ſit, non ſolum contentiones cerebri ſentiuntur, verum ſimul quoque impetus partium irritabilium, quae alioquin cum repraeſentationibus animae in perpeſſionibus conſtitutae, contagione tenentur.

fecta eſſent, quem in artificioſa machina capit, qualis eſt corpus animale, vbi neruorum coniunctio facultati cogitandi internae arbitrioque ſuccurrit. Tum vero nulla nota animae propria amplius poſſet certo cognoſci, qua a rudi materia prima naturarum corporearum discerneretur, facetaque Leibnitii cogitatio, qua fortaſſe cum potu fabarum Arabicarum atomos deuoremus, futuras animas humanas, non amplius cogitatio foret, quae riſum mouèret. Nonne autem tum iſtud Ego cogitans ſorti corporearum naturarum communi obnoxia foret, et, vti caſu eſt ex chaos illo omnium elementorum profectum, quo machinam animalem animaret, cur, hac coniunctione fortuita ſublata, non aliquando eo rurſum reuerteretur? Subinde neceſſe eſt, vt meditabundus, qui in via falſa errat, conſequentibus terreatur, quibus quaſi ſomnians abripi ſe paſſus eſt.

Fateor me pronum ferri admodum ad exiſtentiam naturarum incorporearum in mundo tuendam ipſamque animam meam in claſſem naturarum iſtarum transferendam *). Verum quam naturalis ſimul eſt ea incomprehenſibilitas; cum noſtri actionum externarum conceptus a materiae conceptibus ſeparati

*) Ratio huiusce rei, quae mihi ipſi perquam obſcura eſt, et probabiliter manebit, ſimul naturam ſentientem in animalibus attingit. Quidquid in mundo principium *vitae* continet, naturae eſſe incorporeae videtur. Omnis enim *vita* poſita eſt in facultate interna, ſe ipſum pro *arbitrio* determinandi. Cum e contrario nota eſſentialis materiae in ſpatio per vim neceſſariam replendo conſiſtat, reactione externa circumſcriptam; quocirca ſtatus eorum omnium, quae corporea ſunt, extrinſecus *pendens* eſt atque *coactus*, eae naturae vero, quae ipſae *actiuae* ſunt, ex internaque vi ſua efficiente cauſſam debent vitae in ſeſe cohibere, verbo, eae, quarum arbitrium proprium, ſe ipſum determinare poteſt et mutare, aegre poſſunt naturae corporeae eſſe. Poſtulari non poteſt, vt genus naturarum tam incognitum, quae plerumque tantummodo hypothetice cognoſcuntur, comprehendantur claſſibus variarum formarum ſuarum; ſaltem illae naturae incorporeae, quae cauſſam continent vitae animalis, ab iis diuerſae ſunt, qui in actione propria rationem complectentes, ſpiritus adpellantur.

abstractique ſint, et ſemper cum conditionibus preſſionis pulſusue coniuncti, quae hic haud locum habent. Nam quo tandem modo ſubſtantia incorporea obuia foret materiae, quo haec in motu ſuo in ſpiritum ferretur, et qui res corporeae vim poſſent in natura exſerere alienae, quae iis haud rationem imperviam opponit, aut quae eas nullo modo impedit, quo minus in eodem ſpatio, in quo ea praeſens eſt, ſimul verſentur? Natura ſpiritualis materiae, quacum coniuncta eſt, intime eſſe praeſens videtur, neque in iis viribus elementorum agere, ad quas haec inuicem adfecta ſunt, verum in principio interno ſtatus eorum. Namque vnaquaeque ſubſtantia, ipſumque elementum ſimplex materiae, vllam actionem quampiam internam habeat, neceſſe eſt, vt cauſſam efficientiae externae, quamuis, in quo ea conſiſtat, oſtendere nequeam *). Contra ex eiusmodi principiis in his determinationibus internis et effectis anima ſtatum huius vniuerſi intuitiue cognoſceret, qui illarum cauſſa eſt. Qua vero neceſſitate efficiatur, vt ſpiritus corpusque coniuncte vnum conſtituant, quibusque cauſſis in certis quibusdam diſſolutionibus haec vnitas rurſum tollatur, quaeſtiones ſunt, quae vna cum aliis quibusdam intellectum meum longiſſime ſuperant, et quamuis alioquin parum audax ſim, ad intelligentiam meam ex arcanis naturis dimetiendam, tamen nihilominus ſatis fretus ſum, vt nullum aduerſarium

*) Leibnitius hanc cauſſam, ait, rationemque internam omnium adfectionum externarum earumque mutationum in *facultate repraeſentandi* verſari, quam ſententiam adumbratam philoſophi recentiores exceperunt riſu. Qui vero haud male egiſſent, ſi antea ſecum reputaſſent, an fieri queat, vt ſubſtantia, qualis pars ſimplex eſt materiae, ſine omni ſit ſtatu interno, et, niſi hunc fere vellent excludere, iis in officio fuiſſet, vt vllum quempiam alium ſtatum internum poſſibilem excogitarent, quam repraeſentationum ſtatum actionumque, ex iis pendentium. Quisque ſponte intelligit, etiamſi partibus elementaribus materiae ſimplicibus facultatem repraeſentationum obſcurarum conceſſeris, inde tamen nondum conſequi vllam vim repraeſentandi materiae, quia ſubſtantiis multis generis eiusmodi, in toto quodam coniunctis, numquam tamen effici poteſt vnitas cogitans.

Digitized by Google

vel maxime armatum verear (ſi alias vllo altercandi ſtudio tenerer) vt in hac cauſſa periculum faciam rationum in *refellendo* contrariarum, quod in doctis hominibus reapſe dexteritas eſt ignorantiae ſibi mutuo demonſtrandae.

CAPUT SECUNDUM.

FRAGMENTUM PHILOSOPHIAE ARCANAE, AD APERIENDUM COMMERCIUM CUM MUNDO SPIRITUALI.

Initiatus intelligentiam craſſam, ſenſibusque externis adhaerentem, ad altiores conceptus ſeparatosque atque abstractos iamiam adſuefecit, formasque nunc ſpirituales poteſt, materiaque corporea liberatas in eo corpuſculo conſpicere, quo tenue lux metaphyſices regnum vmbrarum adſpectandum reddit. Quamobrem ſuperata praeparatione moleſta, iter periculoſum inſtituamus.

Ibant obſcuri ſub nocte per vmbras,
Perque domos Ditis vacuas et inania regna.

Virgil.

Materia mortua, ſpatium mundi replens, per naturam ſuam, in ſtatu inertiae conſtantiaeque in ſtatu verſatur eodem, ſoliditate gaudet et extenſione ac figura, eiusque phaenomena, in omnibus his rationibus poſita, explicationem admittunt *phyſicam*, quae eadem mathematica eſt, et coniuncte *mechanica* adpellatur. Contra ſi animum ad illud naturarum genus aduertas, quae principium *vitae* continent in toto coſmico, quae idcirco non eiusmodi ſunt, vt qua elementa molem extenſionemque materiae inanimae augeant, neque ab ea ex legibus contrectationis pulſusque adficiuntur, ſed potius actione interna ſe ipſas, et praeterea mortuam naturae materiam excitent, tibi, ſi non cum euidentia demonſtrationis, at certe cum praeſentatione intelligentiae haud inexercitatae, de

Digitized by Google

exiſtentia naturarum incorporearum perſuaſum videbis, quarum peculiares efficiendi leges *pneumaticae*, et, quatenus naturae corporeae in cauſſis verſantur effectorum intermediis in mundo corporeo, *organicae* vocantur. Cum hae naturae incorporeae principia ſint ſpontanea, proinde ſubſtantiae et naturae in ſeſe conſiſtentes, conſequens, in quod proxime incidimus, hoc eſt: iis inuicem proxime coniunctis fortaſſe confici magnum vniuerſum poſſe, quod mundus queat incorporeus ſiue intelligibilis nuncupari. Etenim quanam ratione probabili contendas, eiusmodi entia naturae inuicem ſimilis non niſi interuentu aliarum (corporearum rerum) alienae naturae teneri commercio poſſe, propterea quod hoc poſterius multo obſcurius illo ſuperiori.

Hic igitur *mundus intelligibilis* vt totum poteſt in ſeſe conſiſtens conſiderari, quarum partes inuicem mutua coniunctione commercioque teneantur, etiam ſine interuentu rerum corporearum, ita vt haec poſterior adfectio fortuita ſit et modo quibusdam debeat competere, quia ea, ſi cubi inueniatur, haud impediat, quo minus eaedem naturae incorporeae, quae interueniente materia in ſe inuicem agunt, praeterea quoque in peculiari quadam ac perpetua copulatione verſentur, ſemperque earum inuicem vt naturarum incorporearum mutuae contagiones ſint, ita vt earum adfectio interuentu materiae ſolum fortuita ſit, atque in inſtituto ſingulari quodam diuino poſita, illa e contrario naturalis et inenodabilis.

Sumtis vniuerſis vitae in tota rerum natura principiis, vt totidem ſubſtantiis incorporeis inuicem commercio, verum etiam partim cum materia coniunctis, magnum mundi intelligibilis vniuerſum cogitatur; immenſa verum incognita gradatio entium naturarumque actiuarum, quibus ſolis materia mortua mundi corporei animatur. Verum ad quaenam naturae membra vita pertineat, et quinam ii iſtius gradus ſint, qui confines ſunt toti carentiae vitae, haud ſcio an vm-

quam certo queat definiri. *Hylozoiſmo* cuncta animantur, ſed *materialiſmo*, ſi adcuratius perpendatur, cuncta enecantur. Maupertuiſius partibus nutritoriis organicis omnium animalium gradum vitae minimum tribuit; alii philoſophi nihil quidquam in iis niſi moles mortuas vident, quae duntaxat faciant ad vectes machinarum animalium augendos. Nota vitae indubitata in eo, quod ſub ſenſus cadit, ſane cernitur in motu libero, qui ex arbitrio ſeſe prodit; verum, vbi ea nota haud deprehenditur, ibi nullum quoque vitae gradum eſſe, haud certo concluditur. Boerhauius alicubi *animal*, ait, *plantam eſſe*, *quae radicem habeat in ſtomacho* (intus). Fortaſſe alius eodem iure in hisce conceptibus ludens dixerit: *planta eſt animal ſtomachum habens in radice* (extrinſecus). Idcirco plantis quoque organa motus arbitrarii cum iisque notae vitae externae, quae tamen animalibus neceſſariae ſunt, poſſunt deeſſe, ſiquidem natura, quae inſtrumenta ad ſe alendum in ſeſe habet, ſe ipſam, oportebit, pro neceſſitate queat mouere, illa vero, in qua extrinſecus ea atque in elementis ſuſtentationis ſepulta ſunt, iam ſatis viribus externis conſeruatur, et, quamuis principium contineat vitae internae in vegetatione, nullius tamen indiget conſtitutionis ad actionem arbitrariam externam. Horum omnium nihil quidquam ex argumentis deſidero, praeterquam enim, quod perparum poſſem in gratiam eiusmodi coniecturarum proferre, iis quoque, vt nugis pulvere obſitis, ludibrium obeſt conſuetudinis. Veteres quippe credidere triplex poſſe vitae genus ſumi, et vitae *vegetabilis*, et *animalis*, et *rationalis*. Si tria illa principia incorporea in homine copularent et coniungerent, ſane quidem errauerint, quodſi ea vero in tres illas formas rerum creatarum creſcentium, ſuique ſimiles gignentium deſcriberent, tum ſane quidem, quod haud probari poſſet, dicerent, quod tamen idcirco nondum foret abſurdum, praeſertim ex ſententia illius, qui vitam peculiarem partium ab animalibus nonnullis ſeparatarum, irritabilitatem dico,

cum probatam illam, tum vero etiam ſimul inenodabilem proprietatem fibrarum in corpore animali et quibusdam plantis, et magnam denique polypodum aliorumque zoophytorum cum plantis adfinitatem vellet ſub rationem vocare. Caeterum prouocatio ad principia incorporea aſylum eſt philoſophiae ignauae, atque idcireo quoque explicandi ratio ad illum modum, quoad eius fieri poteſt, fugienda eſt, vt illae rationes phaenomenorum coſmicorum, quae legibus motus ſolius materiae nituntur, et quae vnae ſunt ſolaeque comprehenſibilitatis capaces, quam late patent, agnoſcantur. Nihilominus ad veritatem mihi eſt perſuaſum, *Stahlium*, qui mutationes animales mauult explicari organice, ſaepenumero propius ad veritatem accedere, quam *Hofmannum*, *Boerhauium* aliosque, qui vires incorporeas negligunt, cauſſasque tenent mechanicas, et viam in eo rationemque ſequuntur magis philoſophicam, quae nonnumquam quidem peccat, ſed ſaepius vera eſt, et quae etiam ſola poteſt in ſcientia vtiliter adhiberi, cum e contrario contagionem entium naturae incorporeae ad ſummum poſſit exſtare cognoſci, numquam autem, quomodo ea fiat, et quam late pateat eius efficacitas.

Ita igitur mundus incorporeus primo vniuerſas complecteretur intelligentias creatas, quarum nonnullae cum materia ſunt in vna perſona copulatae, ſed aliae minus, praeterea ſubiecta ſententia in omnibus animalium formis, tandemque cuncta vitae principia, quae in rerum natura fuerint, quamuis ea nullis notis externis motus arbitrarii ſeſe manifeſtaret. Omnes eae naturae incorporeae igitur, ſiue vim ſuam exſerant in mundo corpore, ſiue non, omnes naturae ratione praeditae, quarum ſtatus fortuitus animalis eſt, ſiue hic in terra ſit, ſiue in aliis corporibus caeleſtibus, ſiue rudem maſſam materiae in praeſens vel aliquando animent, vel quondam animauerint, ex hiſce conceptibus inuicem commercio naturae ſuae conſentaneo tenerentur, quod non poſitum in condi-

tionibus eſt, quibus ratio corporum circumſcribitur, et vbi diſtantia locorum vel aetatum, quibus in mundo conſpicuo magnus ille hiatus efficitur, quo omne commercium tollitur, euaneſcit. Igitur anima humana iam in hac vita praeſenti vt cum duobus mundis ſimul coniuncta conſideranda foret, e quibus ea, quatenus cum corpore in vnitate perſonali coniuncta eſt, ſolum materialem clare perſentiſcit, contra vt membrum mundi ſpiritualis contagiones puras naturarum incorporearum excipit atque impertit, ita vt, illa coniunctione ſublata, commercium, quod ei ſemper cum naturis ſpiritualibus intercedit, ſolum relinqueretur, eiusque ſeſe conſcientiae clare intuendam pandere deberet. *)

Paullatim mihi ſentio creari moleſtiam, ex cauta oratione vtenda rationis. Quidni mihi quoque liceret oratione vti academica, quae magis dictatoria eſt, et qua fit, vt cum auctor queat tum lector meditatione ſuperſedere, quae citius ſerius vtrumque ad ambiguitatem ducat moleſtam, neceſſe eſt. Igitur perinde eſt, niſi iam foret demonſtratum, aut, facile poſſet

*) Cum de caelo ſermo eſt vt ſede domicilioque beatorum, tum vulgaris repraeſentatio illud ſolet ſupra ſe alte in immenſo ſpatio coſmico reponere. At non cogitant, noſtram terram ex his regionibus conſpectam, itidem vt vnam ſtellarum caeli adparere, et habitatores aliorum mundorum eodem iure verſus nos poſſe oſtendere et dicere, en domicilium gaudiorum aeternorum, ſedemque caeleſtem, paratam ad nos aliquando excipiendos. Nimirum fit per mirum quemdam errorem, vt, quem ſpes ingreditur, volatus altus ſemper ſit cum conceptu ſcandendi coniunctus, cum tamen liqueat, ſi vel maxime adſcenſu alta petieris, tamen te oportere rurſus labi, vt fere in alio mundo quodam pedem ponas. Ex hisce vero conceptibus caelum reapſe foret mundus ſpiritualis, aut, ſi malueris, pars illius beata, eaque neque ſupra te foret neque infra quaerenda, propterea quod eiusmodi totum incorporeum haud ex diſtantiis propiorique ratione erga res corporeas, ſed in coniunctionibus *partium* ſuarum ſecum inuicem ſpiritualibus cogitandum eſt, certe membra illius non niſi ex talibus rationibus ſui ipſorum conſcia ſunt.

Digitized by Google

euinci, ſi longi velimus eſſe, vel potius, olim, vbi aut quando, neſcio, probabitur: animam humanam in hac quoque vita cum omnibus naturis incorporeis arctiſſimo vinculo coniunctam teneri, eamque mutuo in his vim ſuam exſerere ab iisque viciſſim impreſſiones accipere, quarum vero homo ſibi haud conſcius ſit, dum omnia ſalua ſint. Contra itidem probabile eſt, naturas ſpirituales nullam poſſe proxime ſenſationem mundi corporei cum conſcientia habere, quoniam cum nulla materiae parte ad perſonam coniunctae ſunt, vt ope illius queant loci in toto mundi corporeo, et per organa artificioſa adfectionis entium extenſorum ad ſeſe et ad ſe inuicem conſcia fieri, ſed ſane poteſt earum cum hominum animabus vtentibus eiusdem naturae contagio eſſe, et reapſe quoque ſemper cum ea mutuo commercio tenentur, ita tamen, vt in repraeſentationibus communicandis ea, quae animam in ſe vt naturam a mundo corporeo pendentem continet, non in aliis ſpiritualibus naturis eſſe poſſint, harumque conceptus, vt repraeſentationes rerum incorporearum intuitiuae, nequeant in claram hominis conſcientiam transire, certe quoad qualitatem propriam, ſiquidem materiae vtriusque idearum generis natura diuerſa eſt.

Praeclarum foret, ſi eiusmodi conſtitutio mundi ſpiritualis ſyſtematica, vti eam proponimus, haud ſolum ex conceptu naturae ſpiritualis in genere, nimirum hypothetico, verum ex vlla quapiam vera vniuerſeque conceſſa obſeruatione concludi poſſet, vel etiam duntaxat probabili ſuſpicione attingi. Quapropter audeo, indulgentia fretus lectoris, periculum huiusce generis hoc loco inſerere, ſitum illud quidem extra ſemitam, ſatisque longe quoque ab euidentia remotum, quod tamen nihilominus videtur anſam praebere coniecturis haud iniucundis.

In viribus, quibus cor humanum mouetur, quaedam potentiſſimarum extra illud ſitae videntur, quae proinde haud fere vt mera inſtrumenta vtilitatem propriam ſpectant neceſſitatemque priuatam, tamquam metam, *intra* hominem ipſum ſitam, ſed quibus efficitur, vt contentiones noſtrorum motuum focum coniunctionis *extra nos* in alias naturas ratione praeditas transferant; vnde pugna oritur duarum virium, quippe ſtudii ipſius ſui, omnia ad ſeſe referentis, et vtilitatis communis, qua fit, vt animus verſus alios extra ſe pellatur trahaturue. Nihil in adpetitu moror, vi cuius tam firmiter tamque vniuerſe ſententiae aliorum adhaereſcimus, alienamque adprobationem adſenſumue ad noſtrae abſolutionem ſponte tam neceſſariam iudicamus, vnde, etiamſi nonnumquam prauus error honoris oriatur, tam animi ingenium a ſtudio propriae vtilitatis remotiſſimum ac veriſſimum trahi occulte ſeſe ſentit, ad ea, quae per te ipſe vt *bonum verumue* agnoueris cum aliorum iudicio comparanda, vtrumque conciliandum, itemque quamque animam humanam in via cognitionis quaſi morandam, ſi alium tramitem incedere videatur, quam quem nos ingreſſi ſumus, quae cuncta fortaſſe in permotione verſantur interna ex noſtro proprio iudicio pendente ab *vniuerſali intelligentia humana*, inſtrumentum efficiuntur genus quoddam vnitatis rationalis vniuerſitati naturarum cogitantium impertiendi.

Sed mitto hunc reſpectum alioquin haud inutilem, aliumque in praeſens ſector, euidentiorem maioremque, quantum noſtrum conſilium attinet. Quodſi res externas ad neceſſitatem noſtram referamus, fieri iſtud non poteſt, niſi nosmet ſimul ſenſatione quadam vinctos circumſcriptosque perſentiſcamus, quae nobis aperit, in nobis quaſi voluntatem quamdam alienam efficacem eſſe, noſtrumque proprium arbitratum opus habere conditione adſenſionis externae. Cogimus vi quadam occulta vt conſilium noſtrum ſimul ad ſalutem aliorum alienumue arbitrium dirigamus, quam

Digitized by Google

quam iſtud ſaepenumero iuncti facimus, inclinationique vtilitatis propriae fortior repugnat, punctumque, quo lineae directionis adpetituum noſtrorum conueniunt, proinde non ſolum in nobis eſt, ſed etiam vires, nosmet mouentes, in voluntate inſunt aliorum extra nos. Inde oriuntur impulſiones morales, quibus ſaepius inuito vtilitatis propriae ſtudio abripimur, fortis lex officii, infirmiorque benignitatis, quarum quaque cogimur ad multa deuouenda, et quamuis vtraque ſubinde inclinationibus vtilitatem ſequendi vincatur, nuspiam tamen in natura humana ceſſant exiſtentiam ſuam prodere. Ea re in monentis occultiſſimis nosmet intelligimus ex *regula voluntatis vniuerſalis* pendere, indeque in mundo naturarum cogitantium omnium *vnitas* quaedam *moralis* exiſtit conſtitutioque ſyſtematica ex meris legibus ſpiritualibus. Quodſi hanc ſenſu in nobis perceptam voluntatis noſtrae ad conſenſum cum voluntate vniuerſali coactionem *ſenſum* velis *moralem* vocare, de eo non niſi de phaenomeno loqueris illius, quod reapſe in nobis euenit, cauſſis illius neutiquam repertis. Sic *Newtonus* certam legem illam niſuum vniuerſae materiae ad ſeſe inuicem adpropinquandum eorum *grauitationem* adpellauit, propterea quod demonſtrationes mathematicas noluit in communionem venire concertationum philoſophicarum, quae de cauſſa illius poſſent exiſtere. Nihilominus hanc grauitationem non dubitauit tamquam effectum verum actionis vniuerſalis materiae in ſe inuicem tractare, atque idcirco ei nomen impoſuit *attractionis*. Nonne fieri poſſet, vt phaenomenon impulſionum moralium in naturis cogitantibus, vti mutuo ad ſe inuicem referuntur, itidem vt conſequens virtutis vere agentis, qua fit, vt naturae ſpirituales inuicem contagione teneantur, repraeſentetur, ita vt ſenſus moralis haec *ſenſu percepta dependentia* voluntatis priuatae eſſet ex voluntate vniuerſali, et conſequens commercii mutui naturalis atque vniuerſalis, quo fiat, vt mundus incorporeus vnitatem moralem nanciſcatur, dum ſeſe ex legibus huiusce contextus ſui

ad ſyſtema quoddam perfectionis ſpiritualis conformet? Quodſi hisce cogitatis tantum ſpeciei, quantum neceſſe eſt, concedatur, vt operae pretium ſit, ea ex conſequentibus dimetiri, fortaſſe inuitamento eorum ſenſim quodammodo ſtudio contra ea abripiere. Tum enim inconuenientiae maximam partem videntur euaneſcere, quae alias in pugna rationum hominum moralium et phyſicarum hac in terra tam mire in oculos incurrunt. Omnis actionum moralitas ſecundum ordinem naturae numquam effectum poteſt plenum in vita hominis corpore induti habere, ſed ſane quidem in mundo ſpirituali ex legibus pneumaticis. Fines veri, momenta ſecreta multorum conatuum ex infirmitate fruſtraneorum, victoria de ſe ipſo, vel etiam nonnumquam occultus dolus in actionibus ſpecie bonis, plerumque ante euentum phyſicum in corporali ſtatu perierunt, ſed tali modo in mundo incorporeo vt principia vtilia ſpectanda forent, eorumque reſpectu ex legibus pneumaticis propter voluntatem priuatam cum vniuerſali coniungendam, id eſt, ob vnitatem cum vniuerſitate mundi ſpiritualis copulandam, effectum naturae morali liberi arbitrii conſentaneum ederent, mutuoque reciperent. Quia enim moralis ratio actionis ſtatum ſpiritus internum attingit, natura quoque eam non niſi in proximo ſpirituum commercio ſequi effectum poteſt vniuerſae moralitati idoneum et adaequatum. Eo igitur efficeretur, vt anima hominis iam hac in vita per ſtatum moralem, locum capere in ſubſtantiis ſpiritualibus vniuerſitatis rerum deberet, quemadmodum ex legibus motus materiae ſpatii mundani in eo ſeſe ordine ad ſe inuicem collocant, qui viribus ſuis corporeis conuenit. *) Tan-

*) Commercia hominis cum mundo ſpirituali principio promanans moralitatis, ex legibus contagionis pneumaticae, poni in eo poſſunt, quod natura inde propior communio bonae malaeue animae cum bonis et malis ſpiritibus oriatur, illique eo ſe ipſo parti ſeſe reipublicae ſpiritualis adiungerent qualitati morali ſuae conuenienti, cum communione conſequentium omnium, quae inde ſecundum naturae ordinem oritura videantur.

dem animae cum mundo corporeo per mortem ſublato, vita in altero mundo non niſi in continuatione verſaretur naturali coniunctionis illius, in qua cum eo iam hoc in vita fuerat, cunctaque conſequentia moralitatis hic exercitatae illic in effectis rurſum reperirentur, quae natura cum vniuerſo mundo ſpirituali arctiſſimo communionis vinculo copulata ibidem iam antea er legibus pneumaticis exercuiſſet. Et praeſens igitur et futurum ex vno quaſi contextu forent, iisque, ad ipſum *naturae ordinem* totum continuum efficeretur. Quae quidem ratio poſtrema peculiaris momenti videtur. Namque in coniectura ex meris cauſſis rationis permagna difficultas eſt, ſi, ad tollendam discrepantiam, ex imperfecto moralitatis cum conſequentibus ſuis concentu in hoc mundo ortam, ad voluntatem diuinam extraordinariam confugere cogare; quoniam, vt maxime veriſimile iudicium fuerit ex conceptibus de ſapientia diuina noſtris, magna ſemper remanet ſuſpicio, tenues intelligentiae noſtrae conceptus fortaſſe ad ens ſummum admodum peruerſe fuiſſe translatos, cum hominis duntaxat ſit, de voluntate diuina ex conuenientia iudicare, quam reapſe in mundo percipit, quamue ſecundum regulam analogiae, ordini naturae conuenienter, in ea poteſt ſuſpicari, non vero et conſilio ſuae ipſius ſapientiae, quod ſimul voluntati diuinae praeſcriptioni ſtatuit, noua inſtituta licet et arbitraria in praeſenti mundo vel futuro excogitari.

* * *

Iam meditationem noſtram ad viam priſtinam revocamus, propiusque ad metam accedimus, nobis praefixam. Quodſi ſic eſt cum mundo ſpirituali parteque, quam anima noſtra in eo capit, comparatum, vti vmbra, quam delineauimus, oſtendit; propemodum nihil quidquam magis mirum videtur, quam commercium ſpirituum haud rem communem eſſe conſuetamque, inſolitumque paene magis raritatem

viſorum attingit, quam illorum poſſibilitatem. Quae quidem difficultas interim ſatis bene poteſt remoueri, partimque iam quoque expedita eſt. Etenim repraeſentatio, quam de ſe ipſa vt ſpiritu hominis per viſionem incorpoream habet, longe abhorret ab ea, cum conſcientia ſua ſe ipſam vt *hominem* repraeſentat per imaginem, ex impreſſione ortam organorum corporeorum, quae in adfectione ad nullas res niſi corporeas repraeſentatur. Quamobrem idem quidem ſubiectum eſt, ad mundum et viſibilem et inuiſibilem ſimul vt membrum pertinens, ſed non eadem perſona, ſiquidem repraeſentationes vnius, propter diuerſam ſuam naturam, nullae ideae ſunt comitantes repraeſentationum mundi alterius, ideoque, quod vt ſpiritus cogito, eius vt homo haud recordor, et vice verſa, ſtatus meus vt hominis in repraeſentationem mei ipſius vt ſpiritus nullo modo ingreditur. Caeterum repraeſentationes de mundo ſpirituali vt maxime clarae ſint atque intuitiuae, *) tamen hoc non ſufficit,

*) Id quod certo quodam genere perſonalitatis duplicis, quae animae ipſo huiusce vitae reſpectu competit, poteſt illuſtrari. Quidam philoſophi ſe poſſe putant, nemine contradicente, ad ſtatum alti ſoporis prouocare, cum exiſtentiam repraeſentationum obſcurarum probare volunt, cum tamen nihil certi quidquam ea de re dici queat, niſi nos vigilantes nullius earum recordari, quae alto ſopore fortaſſe habuerimus, ex quo hoc tantum ſequitur, eas in expergiſcendo haud clare repraeſentatas fuiſſe, non vero eas tum quoque, cum dormiebamus, obſcuras fuiſſe. Suſpicor potius, eas clariores amplioresque eſſe, quam clariſſimas vigilantium; ſiquidem illud ſenſibus externis prorſus quieſcentibus de natura tum actuoſa atque anima eſt, exſpectandum videtur, quamquam, cum corpus hominis eo tempore haud vna ſenſu perceptum ſit, expergiſcentibus idea illius comitans deeſt, qua priſtinus cogitationum ſtatus, vt ad eamdem perſonam pertinens poſſet ad conſcientiam vocari. Actiones quorumdam noctambulonum, qui nonnumquam in eiusmodi ſtatu maiorem quam alias intelligentiam produnt, quamvis nihil quidquam expergiſcentibus in memoriam recurrat, confirmant poſſibilitatem eius, quod de alto ſopore ſuſpicor. Contra ſomnia, id eſt repraeſentationes dormientis, quarum expergiſcens recordatur, huc non pertinent. Tum enim homo non plane dormit; certo gradu quodam clare ſentit actionesque ſpirituales ſuas contexit cum impreſſioni-

vt earum mihimet vt homo conſcius fiam; vti adeo repraeſentatio ſui ipſius (id eſt animae) vt ſpiritus ſane quidem concludendo pariuntur, in nullo vero homini conceptus intuitiuus inſit atque empiricus.

Interim haec diſſimilitudo repraeſentationum ſpiritualium earumque, quae ad vitam hominis corporalem pertinent, non eſt pro tanto impedimento reputanda, vt ea omnis poſſibilitas tollatur, conſcientiae contagionum ex parte mundi ſpiritualis in hac adeo vita nonnumquam pariendi. Namque non quidem eae proxime poſſunt in conſcientiam perſonalem hominis transire, ſed tamen ita, vt iis ſecundum legem conceptuum adſociatorum illae imagines excitentur, quae illis adfines repraeſentationes excitent ſenſuum noſtrorum analogicas, quae ſane quidem haud in conceptu ipſo ſpirituali verſentur, ſed tamen in ſymbolis earum. Semper enim eadem ſubſtantia eſt, quae cum ad hunc mundum tum ad alterum vt membrum pertinet, atque vtrumque repraeſentationum genus ad idem ſubiectum pertinet atque inuicem coniunctum eſt. Cuius quidem poſſibilitatem eo poſſumus quodammodo docere, vt conſideremus, altiores conceptus noſtros rationales, ad ſpirituales ſatis prope accedentes, ſolere veſte quaſi corporea indui, vt ſe claros efficiant. Inde proprietates dei morales ſub repraeſentationibus irae, aemulationis, miſericordiae, vltionis, et id genus aliis repraeſentantur; hinc factum eſt, vt poetae virtutes, vitiaque et alias naturae proprietates perſona induerent, ita tamen, vt vera intelligentiae idea perſplendeat; ſic geometra tempus depingit per lineam, quamquam ſpatium tempusque non niſi in relationibus conueniunt, ideoque ſecundum analogiam quidem, numquam vero quoad qualitatem con-

bus ſenſuum externorum. Ex quo fit, vt earum partim poſthac recordetur, in iis vero etiam non niſi meras fere abſurdasque imagines deprehendat, vti eas eſſe, neceſſe eſt, cum ideae phantaliae in iis ſenſationisque externae inuicem confundantur.

ſentiunt; vnde repraeſentatio aeternitatis diuinae in ipſis philoſophis ſpeciem capit temporis infiniti, quantopere caueas ne vtrumque confundas, cauſſaque graviſſima, cur mathematici plerumque nolint concedere monades Leibnitianos, ſine dubio haec eſt, quod non poſſunt non eos vt paruas moleculas cogitare. Quocirca a veriſimilitudine haud abhorrere videtur, ſenſationes ſpirituales poſſe in conſcientiam transire, ſi phantaſmata commouerint, ſecum cognata. Tali modo ideae, ex contagione ſpirituali communicatae, ſignis ſeſe illius *linguae* conueſtirent, qua homo alias vtitur, praeſentiam ſpiritus ſenſu perceptam imagine *figurae humanae*, ordinem et pulcritudinem mundi incorporei imaginibus, quibus alias in vita ſenſus noſtri oblectantur, et ſic porro.

Hoc genus viſorum nihilominus haud tritum quiddam eſſe poteſt et conſuetum, ſed non niſi in perſonis euenire, quarum organa *) irritabilitate gaudent ſolita maiori, ad phantaſiae imagines ſtatui animae interno conuenienter motu harmonico magis augendas, quam in ſanis hominibus ac valentibus et ſolet fieri et debet. Eiusmodi perſonae rarae certis quibusdam momentis tentarentur viſis multarum rerum vt extra ſe poſitarum, quae pro praeſentia reputarent naturarum ſpiritualium, ad ſenſus ſuos corporeos cadentium, quamquam in ea re non niſi praeſtigiae phantaſiae fiunt, ita tamen, vt cauſſa earum in vera contagione ſpirituali verſetur, quae haud poteſt proxime ſenſu percipi, ſed ſolum cognatis phantaſiae imaginibus, ſpeciem induentibus ſenſationum, ad conſcientiam manifeſtat.

Conceptus educationis, vel etiam varii, qui irrepſere, errores, ea in re ſuas partes ſuſtinerent, vbi

*) His non organa intelligo ſenſus externi, verum ſenſorium animae, vti vocatur, hoc eſt, eam partem cerebri, cuius motus varias ſolet imagines, vti philoſophi arbitrantur, repraeſentationesque animae cogitantis comitari.

Digitized by Google

accecatio cum veritate confunditur, veraque ſenſatio ſpiritualis fundamento quidem eſt, quae tamen conuerſa in vmbras eſt rerum ſenſibus ſubiectarum. Verum concedes quoque, proprietatem tali modo impreſſiones mundi ſpiritualis hac in vita ad viſionem claram euoluendi, aegre poſſe vllam vtilitatem adferre; quia ea in re ſenſatio ſpiritualis neceſſario tam arcte cum figmento phantaſiae contexitur, vt fieri nullo modo queat, quin verum in ea a craſſioribus, quibus cingitur praeſtigiis discernatur. Item eiusmodi ſtatus, cum mutatum in neruis aequilibrium ſupponat, qui adeo per efficientiam animae duntaxat ſpiritualiter ſentientis contra naturam mouentur, morbum verum proderet. Tandem nullo modo mirum foret, ſi in pneumatopta ſimul ſomniatorem ſtultum offenderes, ſaltem reſpectu imaginum iſta illius viſa comitantium, quia repraeſentationes natura ſua alienae, cum iisque, quas homo habet corpore indutus haud coniungendae, ſeſe proripiunt, maleque ſociatas imagines in ſenſationem externam inferunt, quo fera phantaſmata miraque portenta naſcuntur, quae longo comitatu ſenſibus deceptis praeſtigias faciunt, quamquam vera contagio ſpiritualis fundamento fuerit.

Nunc laborare haud poteris, de rationibus ſpecioſis pro narrationibus ſpectrorum, quae tam crebro philoſopho occurrunt, de variis item ſpirituum contagionibus, quas hic illic fama fert, adferendis. Animae corporibus ſolutae ſpiritusque puri numquam quidem poſſunt ſenſibus noſtris externis praeſentes eſſe, neque alias cum materia commercio teneri, ſed ſane quidem in ſpiritu hominis, cum iis ad magnam quamdam rempublicam pertinentis, vim ſuam exſerere, ita vt repraeſentationes, quas in eo excitant, ex legibus phantaſiae illius imaginibus ſeſe induant cognatis, viſumque rerum iis conuenientium vt extra eum excitent. Haec illuſio cadere in quemque ſenſum poteſt, et vt maxime ea figmentis abſurdis confu-

ſa foret, tamen ea res haud impediret, quo minus contagiones ſpirituales latere ſub iis ſuſpiceris. Acumini lectoris vim adferrem, ſi in hac explicandi ratione ad vſum transferenda diutius immorarer. Namque hypotheſium metaphyſicarum tanta flexibilitas eſt, vt vehementer iners ſit, oportebit, qui praeſentem haud poſſet ad vnamquamque narrationem adcommodare, ante adeo, quam veritatem illius exploraverit, id quod in multis cautis fieri non poteſt et in pluribus admodum inurbanum eſt.

Commodis interim atque incommodis ſubductis, quae ad illum redundare poſſunt, qui non ſolum mundo viſibili organiſatus eſt certo quodam gradu, verum etiam viſibili (ſi vmquam talis exſtitit), donum eiusmodi illi ſimile videtur, quo *Iuno* impertiit *Tireſiam*, quae illum antea occoecauit, vt donum ei vaticinandi poſſet impertire. Namque, vt ex ſuperiobus enuntiatis iudicare licet, cognitio *alterius* mundi intuitiua hic non poteſt acquiri, niſi partem illius intelligentiae perdideris, quae opus eſt ad *praeſentem*. Neque etiam noui, an ipſi quidam philoſophi ab hac conditione dura proſus liberi ſint, qui tam frequentes atque intenti tubos metaphyſicos verſus regiones illas remotas dirigunt, miraque inde ſciunt narrare, ſaltem equidem nihil iis quidquam eorum inuideo, quae aperuere; id modo vereor, ne vllus homo quidam, cui cor ſapiat, ſed parum vrbanus ſit, idem iis reſpondeat, quod *Tychoni de Brahe* fertur aurigarius reſpondiſſe, cum ille noctu putaret poſſe ex ſtellis vehi per compendia: *in caelo fortaſſe, o bone, bene verſatus fueris, hic vero in terra ſtultus es.*

Digitized by Google

CAPUT TERTIUM.

ANTICABALA. FRAGMENTUM PHILOSOPHIAE VULGARIS, AD COMMERCIUM MUNDI SPIRITUALIS TOLLENDUM.

Ariſtoteles alicubi, *ſi vigilamus*, ait, *mundum communem habemus, ſed ſomniantium ſuum quisque habet peculiarem.* Poterit, opinor, poſterior enuntiatio converti dicique: ſi diuerſorum hominum ſuum quisque mundum habet peculiarem, eos verendum eſt ſomniari. Hoc modo, ſi *architectos aërios* variorum mundorum idealium conſideremus, quorum ſuum quisque excluſis aliis tranquille inhabitat, illum fortaſſe, qui ordinem rerum, vti a *Wolfio* ex pauca experientiae materia ſed eo pluribus conceptibus ſubreptitiis fabricauit, aut *Cruſius* per vim magicam ſententiarum quarumdam de *cogitabili* et *incogitabili* e nihilo produxit, in tanta viſionum pugna exſpectabimus, donec ſomnia iſtos bonos viros reliquerint. Cum enim aliquando, ſi diis placet, ſomno ſoluuntur, hoc eſt, oculum aperient ad adſpectum, qui conuenientia cum aliorum hominum intelligentia haud excludit, tum eorum nemo erit, qui videat quidpiam, quod idem haud cuique alii itidem ad lucem argumentorum manifeſtum videatur certumque, et philoſophi tum mundum inhabitabunt communem, cuiusmodi mathematici iam dudum incoluere, quod euentum graue haud diu poteſt exſpectari, ſi certis quibusdam ſignis ac praeſignificationibus fides habenda ſit, quae ex aliquo tempore viſa ſunt in orbe ſcientiarum finiente.

Cognati quodammodo cum *ſomniatoribus rationis* ſunt *ſenſationis* ſomniatores, in quibus plerumque numerantur ii, quibus nonnumquam commercium eſt cum ſpiritibus, idque ex eadem ratione, qua ſuperiores, quoniam quidpiam vident, quod nemo homo alius ſanus videt, et quibus peculiaris quaedam communio cum naturis intercedit, quae alias nemini ſeſe con-

ſpiciendas praebent, vt maxime ſenſibus valeat. Iam vero denominatio ſomniorum, ſi ſuppoſueris, viſa iſta ad meros fetus phantaſiae redire, eatenus quadrat, quatenus vna perinde atque altera in imaginibus verſatur ab ipſis profectis, quae nihilominus vt res verae ſenſibus propoſitae decipiunt; ſed ſi putaueris, vtrasque illuſiones caeteroquin quoad rationem originis ſui inuicem ſatis ſimiles eſſe, vt fontem vnius queas aptum ad enodandas alteras iudicare, admodum falleris. Is qui vigilans in fictionibus ſeſe ac ſomniis, a phantaſia vsquequaque fecunda partis, adeo abdit, vt ſenſationem parum caret et animaduertat ſenſuum, qui nunc maxime ſua interſunt, iure *ſomniator vigilans* adpellatur. Si enim permotiones ſenſuum aliquantum amplius roboris remiſerint, obdormiſcet, et figmenta illa vera ſomnia erunt. Quare autem non iam ea in ſtatu vigilantis ſint, in cauſſa eſt, quod tum ea vt *in ſe*, alias autem res, quas ſentit, vt *extra* ſe ſibi repraeſentat, illa ergo ad effecta ſuae ipſius actionis, has vero ad ea refert, quae extrinſecus accipit ac patitur. In eo enim cuncta pendent ex ratione, in qua res ad ſe ipſum vt hominem, proinde quoque ad corpus eius cogitantur. Proinde iisdem imaginibus poteſt vigilans admodum occupari, verum haud decipi, vt maxime clarae videantur. Namque etſi tum repraeſentationem de ſe ipſo ſuoque corpore in cerebro habet, quacum imagines phantaſiae ſuas comparat, tamen vera ſenſatio corporis ſui ſenſibus externis ab ſomniis illis diſtinguitur, in iisque eminet, vt illam ex ſe partam, haec vero vt ſenſu percepta conſideret. In quo ſi obdormiſcit, repraeſentatio ſenſu percepta corporis ſui exſtinguitur, ſolaque relinquitur ab ſe ipſo conficta, ad quae reliqua ſomnia tamquam extrinſecus adfecta cogitantur, etiamque quamdiu dormit ſomniantem, neceſſe eſt, decipiant, quoniam nulla adeſt ſenſatio qua comparata cum illa prototypon ab vmbra, quippe externum ab interno queat diſtingui.

Igitur pneumatoptae a ſomniatoribus vigilantibus non ſolum magnitudine quaſique gradu differunt,

Digitized by Google

ſed toto genere. Illi enim vigilantes ac ſaepenumero reliquis ſenſationibus viuidiſſimis certas res quasdam ad loca aliarum rerum externa referunt, quas reapſe circum ſeſe percipiunt, et hic tantummodo quaeritur, qui fiat, vt praeſtigias phantaſiae, ſuae extra ſe collocent, et quidem in relatione ad corpus ſuum, quod itidem ſenſibus externis percipiunt. Summa claritas fetus phantaſiae ſui non poteſt in cauſſa eſſe, hic enim ſecus ſpectatur, in quem is vt res obiecta translatus eſt, et idcirco cupio, vt doceatur, quomodo anima eiusmodi imaginem, quam tamen vt in ſeſe comprehenſam repraeſentare deberet, in rationem longe aliam nempe in locum *extrinſecus* atque inter res transferat, quae verae ſenſationi ſuae ſe offerunt. Nec vero adlatis cauſſis aliis, talis illuſionis quodammodo ſimilibus, et forte in ſtatu febrili obuiis, mitti memet patiar; vtcumque enim ſtatus decepti fuerit, ſiue valentis, ſiue aegroti, ſcire haud auemus, an tales res alias quoque euenerint, ſed quomodo iſta deceptio fieri queat.

Videmus autem in vſu ſenſuum externorum, praeter claritatem, qua res repraeſentantur, in ſenſatione quoque earum locum comprehendi, fortaſſe nonnumquam haud ſemper eadem veritate, tamen vt conditionem ſenſationis neceſſariam, ſine qua fieri non poſſet, vt res nobis tamquam extra nos repraeſentaremus. In quo quidem valde probabile eſt, animam noſtram rem ſenſu perceptam in repraeſentatione ſua eo transferre, vbi variae lineae directae impreſſionis, quam ea facit, ſi producuntur, conueniunt. Inde fit, vt punctum radians in eo loco conſpiciamus, in quo lineae ab oculo in directione impreſſionis retro ductae ſe inuicem ſecant. Iſtud punctum, quod punctum viſus vocatur, in effecto quidem *punctum diſſ.rſionis* eſt, ſed in repraeſentatione *punctum collectionis* linearum directionis, quibus ſenſatio imprimitur (focus imaginarius). Sic ipſi vno oculo locum rei obiectae definimus, quemadmodum etiam fit, cum ſpe-

ſtrum corporis ope ſpeculi concaui in aëre conſpicitur, in eo ipſo loco, in quo radii, antequam cadunt in oculum, ex vno rei obiectae puncto emanentes ſecantur. *)

Fortaſſe in impreſſione ſoni, cuius quippe pulſus itidem ad rectas lineas fiunt, pariter ſumi poteſt: ſenſationem illius ſimul comite ſtipari repraeſentatione foci imaginarii, qui illuc ponitur, vbi lineae rectae ſyſtematis neruorum oſcillantis in cerebro extrinſecus productae ſecantur. Etenim et regionem rei ſonantis et diſtantiam quodammodo animaduertimus, etiamſi ſonus tenuis ac ſubtilis ſit, et nobis a tergo fiat, quamquam lineae rectae, quae inde poſſunt duci, haud fere oſtium auris feriunt, ſed in alia capitis loca cadunt, ita vt credi debeat lineas directionis oſcillationis in repraeſentatione animi extrinſecus produci, remque ſonantem in puncto illarum concurſus transferri. Idem, opinor, dici quoque de tribus ſenſibus reliquis poteſt, qui eo a viſu audituque diſtinguuntur, quod res ſenſationi propoſita proxima organorum attrectatione tenetur, lineaeque directionis ſtimuli ſenſibilis inde in his ipſis organis velut in puncto ſuo coniunguntur.

Vt iſtud ad phantaſiae imagines transferam, liceat mihi, vt id, quod Carteſius ſumſit et plerique philoſophorum poſt illum probarunt, fundamento ponam: quippe omnes phantaſiae repraeſentationes ſimul cum certis quibusdam motibus in contextu ner-

*) Sic iudicium, quod de loco putatitio rerum propiorum pronuntiamus, in optica plerumque deſcribitur, et perbene quoque cum experientia conſpirat. Interim iidem radii luminis, ex vno puncto emanantes, per fractionem in humoribus oculorum, haud diuergentes neruum opticum attingunt, verum in vno puncto ibi coniunguntur. Quamobrem, ſi ſenſatio non fiat niſi in hoc neruo, focus imaginarius haud extra corpus, verum in imo oculo ponendus foret, vnde difficultas naſcitur, quam nequeo in praeſenti expedire, et quae cum ſuperioribus pronuntiatis perinde atque cum experientia haud poſſe videtur conciliari.

Digitized by Google

verum vel ſpiritu neruco cerebri ſtipatas eſſe, qui vocantur *ideae materiales*, id eſt, fortaſſe cum tremore vel oſcillatione elementi ſubtilioris, quod ab iis ſecernitur, quae ſimilis eſt motus illius, quem impreſſio poſſet ſenſibilis excitare, cuius ea imago eſt. Iam vero mihi velim concedi, discrimen praecipuum motus neruorum in phantaſiis a motu neruorum in ſenſatione in eo conſiſtere, quod lineae directionis motus in illis intra cerebrum, in hac vero extra illud ſecari; ex quo efficitur, vt quia focus imaginarius, in quo res obiecta repraeſentatur, in claris ſenſationibus vigiliae extra me, in phantaſiis vero, quae mihi tum forte fuerint, in me ponitur, ego, quam diu vigilem, non poſſim non viſa inania tamquam mei ipſius fetus phantaſiae a ſenſuum impreſſione diſtinguere.

Quo quidem conceſſo mihi videor de illo perturbationis genere animi, quod deliratio dicitur maiori-que gradu dementia, aliquid veri pro cauſſa poſſe adferre. Proprium huius morbi eſt, quod homo delirans ſolas res phantaſiae obnoxias extra ſe transfert, atque vt in rerum veritate adparentes pro rebus praeſentibus accipit. Atqui dixeram: pro ordine conſueto lineas directionis motus, quae in cerebro vt adiumenta corporea phantaſiam comitantur, intra illud oportere ſecari, ideoque locum, in quo imaginis ſuae ſibi conſcius ſit, tempore vigiliae in ſe ipſo cogitari. Cum igitur pono, vllo quodam caſu vel morbo certa quaedam cerebri organa ita distrahi atque ex aequilibrio iuſto ſuo dimoueri, vt motus neruorum, cum quibusdam viſis inanibus harmonice oſcillantium, ex eiusmodi lineis directionis fiat, quae productae extra cerebrum ſecarentur, focus imaginarius poſitus extra ſubiectum cogitans eſt *) atque imago, quae opus eſt

*) Poſſet vt ſimilitudo remotior ab caſu modo adlato, etiam ebriorum ratio adferri. qui in hoc ſtatu ambobus oculis dupliciter conſpiciunt; idcirco, quia vaſis ſanguiferis intumeſcentibus impedimentum exſiſtit, quo minus oculorum axes queant ita dirigi, vt lineae productae in illo puncto, in

ſolius phantaſiae repraeſentatur, vt res obiecta, quae ſenſibus externis praeſens ſit. Terrore ex viſione putatitia rei, quae per naturam rerum haud adeſſe praeſens deberet, quamquam initio talis vmbra phantaſiae modo tenuis eſſet, animi attentio excitabitur, ſenſationique putatitiae tantam viuacitatem impertiet, quae hominem deceptum atque illuſum non patitur de veritate dubitare. Haec fallacia cadere in quemque ſenſum externum poteſt, cuiusque enim deſcriptas habemus in phantaſia imagines distractioque contextus neruorum fieri cauſſa poteſt foci imaginarii eo transferendi, vnde impreſſio ſenſibilis rei corporeae reapſe praeſentis proficiſceretur. Tunc haud mirum eſt, ſi delirus multa perquam diſtincte videre ſeſe vel audire arbitratur, quae, praeter illam, nemo percipit, item ſi iſti partus phantaſiae ei videntur ſubitoque euaneſcunt, aut ſi vni forte ſenſui, veluti viſui, praeſtigiás faciunt, nullo alio, velut viſu, poſſunt ſentiri, atque inde penetrabiles videntur. Vulgares de ſpectris narrationes tantopere ad eiusmodi determinationes redeunt, vt admodum iis excuſetur ſuſpicio eas e tali fonte eſſe ortas poſſe. Atque ita quoque vſitatus *naturarum ſpiritualium* conceptus, quem ſupra ex vulgari loquendi conſuetudine euoluimus, huic illuſioni perquam conſentaneus eſt, neque ortum ſuum diſſimulat; ſiquidem proprietas praeſentiae in ſpatio penetrabilis eſſentialem debet huiusce conceptus notam conſtituere.

quo res obiecta adeſt, ſecentur: Pariter distractio vaſorum cerebri, quae fortaſſe modo transitoria eſt, et quamdiu durat, nonnullos duntaxat neruos attingit, eo conferre poteſt, vt certae quaedam phantaſiae imagines in ipſa vigilia vt extra nos conſpiciantur. Experientia quaedam admodum trita poteſt cum iſta illuſione comparari. Quodſi confecto ſomno cum grata quiete quadam, obdormitioni finitima, quaſique oculis fractis varia fila velorum lecti integumentiue vel paruas in proxima pariete maculas adſpicimus, inde facile componuntur figurae facierum humanarum et ſimilium. Illuſio ceſſat, ſimulatque voluerimus, animumque intenderimus. Hic translatio foci imaginarii inanium viſorum quodam modo arbitrio ſubiecta eſt, cum in distorſione nullo poſſit arbitrio prohiberi.

Iam valde probabile eſt, conceptus de figuris ſpirituum ab educatione profectos infirmo capiti materias illudentium viſorum inanium praebere, cerebrumque a cunctis eiusmodi opinionibus praeiudicatis vacuum, etſi illud quaedam peruerſitas inceſſeret, haud ita facile imagines eiusmodi generis parturum fore. Porro etiam inde planum eſt, cum morbus delirantis proprie haud intelligentiam attineat, ſed ſenſuum illuſionem, miſellum nulla argutatione poſſe ſuas praeſtigias tollere; quoniam vera ſenſatio vel opinata ſenſuum ipſorum vniuerſum intelligentiae iudicium antecedit, euidentiaque gaudet proxima, omnem perſuaſionem aliam longe ſuperante.

Conſequens, quod ex hisce disputatis promanat, hoc habet incommodi, vt ſuſpiciones profundas atque abditas capitis ſuperioris prorſus ſuperuacaneas reddat, vtque lector, vt promtiſſimus fuerit ad dubiis illius idealibus nonnullam adſenſionem concedendam, tamen conceptum praelaturus ſit, cui plus breuitatis ineſt commoditatisque in decernendo, ſibique polliceri ad ſenſum poteſt latius patentem. Nam praeterquam, quod ſanae cogitandi rationi conuenientius eſſe videtur, vt rationes explicandi ex materia depromantur, quam nobis offert experientia, quam vt in conceptibus vertiginoſis rationis partim fingentis partim concludentis nosmet demergamus, etiam ex hac parte anſa ſeſe praebet ad ludibrium, quod, iuſtum fuerit ne ene, remedium vllo quouis alio efficaicus eſt, ad vanas inueſtigationes reprimendas. Etenim malum omen eſt, ſi inania delirantium viſa ſerio velis interpretari, et philoſophia, quae in conſortio ſe tam turpi deprehendi patitur, ſeſe reddit ſuſpectam. Supra quidem delirium in tali viſione haud impugnaui, potiusque illud, haud quidem vt cauſſam commercii ſpirituum putatitii, tamen vt conſequens eius neceſſarium cum ea coniunxi; at quae tandem ſtultitia erit, quae non cum ſapientia poſſet inani conciliari? Quamobrem ſectorem nullo modo reprehendo, ſi cum alii

pneumatoptas pro ciuibus ex parte mundi alterius ſpectent, omnino eos pro candidatis accipit noſocomii atque ergaſtuli, eoque ſeſe liberat ab omni inueſtigatione vlteriori. Vniuerſis autem tali modo acceptis, modus quoque eiusmodi adeptas regni ſpirituum tractandi ab ratione ex conceptibus ſuperioribus admodum differat, oportebit, et cum olim neceſſe iudicaretur, vt quidam eorum *comburerentur*, nunc ſatis erit, iis aluum *euacuari*. Nec in hoc rerum ſtatu fere neceſſe fuiſſet, vt inde ab ouo inciperetur, atque ex cerebro febrili deceptorum fanaticorum ope metaphyſicae myſteria conquirerentur. Acutus *Hudibraſius* nobis ſolum potuiſſet aenigma expedire; ex eius enim ſententia, *ſi ventus hypochondricus in inteſtinis graſſatur, pendebit ex directione, quam ſequetur, ſi deorſum tendit, erumpit in flatum ventris, ſi ſurſum, viſio erit vel ſancta inſpiratio.*

CAPUT QUARTUM.

CONCLUSIO THEORETICA EX VNIVERSIS PARTIS PRIORIS MEDITATIONIBUS.

Falſitas librae, quae ex legibus ciuilibus menſura debet actionis eſſe, aperitur, lancibus mercium ac ponderum permutatis, ſtudiumque librae intelligentiae eadem ſeſe arte manifeſtat, ſine qua etiam in iudiciis philoſophicis numquam ſumma conueniens effici poteſt ex ponderationibus comparatis. Animam ab opinionibus praeiudicatis purgaui, quodque ſtudium caecum deleui, quae vnquam ſeſe inſinuaſſet, vt aditum in me aperiret ſcientiae putatitiae. Iam nihil quidquam curo, nihil colo, quam quod per viam ſinceritatis in animo tranquillo, vniuerſisque rationibus patente atque aperto locum capit; ſiue ſuperius illud iudicium meum firmetur eo ſiue tollatur, ſiue determiner ego, ſiue in dubio relinquar. Vbicumque quidpiam, quo edocear, reperio, ibi iſtud mihi vin-

dico. Iudicium eius, qui rationes meas conuellit, meum iudicium eſt, poſteaquam iſtud antea *ad* lancem philautiae, et deinceps in ea ad opinatas rationes meas ponderaui in eoque pretium maius inueni. Olim intelligentiam humanam vniuerſalem ſolum ex ſtatione meae intelligentiae ſpectaui: iam in locum memet rationis alienae colloco atque externae, meaque iudicia obſeruo cum occaſionibus occultiſſimis ex ſtatione aliorum. Comparatione ambarum obſeruationum permagnae quidem efficiuntur parallaxes, ſed ea vna eſt, qua fraus queat optica euitari, conceptusque poſſit in locis veris reponi, in quibus reſpectu facultatum cognoſcendi humanae naturae verſantur. At hanc orationem dices admodum ſeueram eſſe, qualem haud poſtulet quaeſtio tam indifferens, qualem in praeſens tractamus, quae luſus potius eſt, quam occupatio ſeria dicenda, neque iniuria ſic iudicatur. Verum tamen, quamquam ad minutias haud fieri magnus adparatus debet, poteſt is tamen data illius occaſione fieri, cautioque ſuperuacanea in decernendis minutiis, exemplo eſſe poteſt in cauſſis grauioribus. Haud video, vllius cuiusdam rei ſtudium, vel alia, quae antea ſeſe inſinuarit, inclinatio animo flexibilitatem ex variis pro et contra rationibus adimere, excepta vna. Libra intelligentiae ab omni partium ſtudio aliena eſt, vnumque bracchium illius, inſcriptum: *ſpes futuri*, vtilitatem mechanicam adfert, qua fit, vt etiam rationes leues, quae in lancem cadunt ſibi propriam, contemplationes per ſe maioris momenti ex altera parte attollant. Haec vna eſt falſitas, quam commode tollere nequeo, quamque reapſe etiam vmquam tollere nolo. Iam fateor, omnes de viſione narrationes animarum corpore ſolutarum aut de contagionibus ſpirituum, omnesque theorias de natura entium ſpiritualium coniecturali, eorumque nobiscum coniunctione non niſi in lance ſpei aliquantum ponderis habere; contra in contemplatione conſtare ex ſolo aëre videri. Niſi enodatio quaeſtionis propoſitae cum inclinatione iam antea conſtituta conſpira-

Digitized by Google

ret, ecquis ſanus haereret an maiorem poſſibilitatem inuenire deberet in eo, quod genus naturarum ſumeret, quibus cum cunctis, quae ſenſibus docentur, nulla prorſus ſimilitudo intercedit, niſi quod quaedam opinatae experientiae illuſioni frictionique tribuantur, quae in pluribus cauſſis haud inſolitae videntur?

Atque iſtud quoque in genere de fide narrationibus de ſpectris concilianda, quae aditum apud tantam multitudinem inueniunt, cauſſa eſſe praecipua videtur, ipſaeque primae illuſiones viſionum putatiarum mortuorum hominum ſine dubio ortae ſunt ex ſpe grata, fore, vt vllo modo quodam poſt mortem ſuperſimus, vbi tum in vmbris nocturnis ſaepenumero ſenſus errore decepti, ex ambiguisque figuris creatae praeſtigiae ſunt, quae antegreſſae ſententiae conuenirent, vnde tandem philoſophis facta copia eſt ideae rationalis de ſpiritibus excogitandae eamque in ſyſtema recipiendi. Videtur etiam meum illud ſyſtema de ſpirituum commercio eamdem viam inſtituere, quam inclinatio vulgaris ingreſſa eſt. Namque pronuntiata coniungunt ſeſe admodum aperte ſolum eum in finem: vt conceptus efficiatur, quomodo hominis ſpiritus ex hoc mundo *migret* *), id eſt, de ſtatu poſt mortem; ſed quomodo in eum *veniat*, id eſt, de generatione et propagatione, nullam mentionem facio; atque etiam ne quidem, quomodo in hoc mundo *praeſens* ſit, id eſt, qui fiat, vt natura incorporea in corpore poſſit, et per corpus efficax eſſe; cuncta ob hanc cauſſam iuſtiſſimam, quonium de his omnibus nihil quidquam intelligo, ideoque ea vti modeſtia po-

*) Symbolum animae apud veteres Aegyptios fuit papilio, et vocabulum Graecum idem deſignauit, Facile intelligitur, ſpem, quae mortem tantummodo facit transmutationom, anſam dediſſe talis ideae illiusque ſignorum. Interim eo nullo modo tollitur fiducia veritatis conceptuum inde exortorum. Senſatio interna noſtra, iudiciaque in ea conſtituta *rationis ſimilium*, quandiu incorrupta ſunt, eodem ducunt, quo ratio duceret, ſi colluſtratior foret, latiusque pateret.

Digitized by Google

tuiſſem, vt reſpectu ſtatus futuri pariter memet ignarum oſtenderem, niſi ſtudium opinionis adamatae rationes, quae ſeſe offerrent, vt maxime tenues fuerint, commendaſſet.

Hac eadem ignorantia quoque efficitur, vt haud auſim omnem omnino veritatem variarum iſtarum de ſpiritibus narrationum negare, hac tamen conſueta, quamuis mira reſeruatione, vt quamque earum ſingulam in dubium vocem, vniuerſis autem coniunctis nonnullam fidem tribuum. Lector vtatur ipſe iudicio ſuo; puod autem me attinet, momentum ſaltem rationum capitis ſecundi ſatis magnum eſt, vt in audiendis variis iſtis mirisque narrationibus huius generis ſerium memet neutrumque teneam. Interim cum numquam cauſſae deſint, animo ante occupato, ſententiae tuendae, nolo Lectori vlteriori huius cogitandi modo defenſione molestiam creare.

Cum iam in theoria de ſpiritibus verſer extrema, auſim adhuc profiteri, hac contemplatione ab lectore rite vſurpata, omnem de talibus naturis perſpicientiam philoſophicam abſolui, eaque de re aliquando multos multa *opinari* poſſe, numquam vero puls *ſcire*. Quae quidem profeſſio ſatis arrogans ſonat. Nulla enim, quae ſenſibus innotuerit, in rerum natura res eſt, quae per obſeruationem rationemue dici vinquam *exhauſta* poſſit, etiamſi gutta aquae ſit, granumue arenae, aut quidpiam vllum ſimplicius; adeo immenſa eſt varietas eorum, quae in partibus ſuis minimis intelligentiae tantopere circumſcripta, qualis humana eſt, natura offert enodanda. At cum ſyſtemate philoſophico entium ſpiritualium longe aliter comparatum eſt. Iſtud quidem poteſt abſolutum eſſe, ſed ſenſu *negatiuo*, propterea quod terminos intellectus noſtri certo conſtituit, nobis ad veritatem perſuadet, varia *vitae* phaenomena in rerum natura, eorumque leges *ſola* eſſe, quae nobis cognoſcenda conceſſa ſunt, ſed principium huius vitae, id eſt, naturam ſpiritualem, quam haud nouimus, ſed ſuſpicamur, numquam poſſe poſitiue cogitari, quoniam nulla illius data in cunctis

ſenſationibus noſtris deprehenduntur, nobisque ſatis eſſe negationes oportere, vt aliquid, quod ab vniuerſis, quae ſub ſenſus cadunt, longe diuerſum cogitemus, ipſam vero poſſibilitatem talium negationum neque in experientia poſitam eſſe, neque in ratiociniis, verum in fictione, ad quam ratio omnibus adiumentis deſtituta confugit. Tali modo pneumatologia hominum dici ſyſtema poteſt ignorantiae neceſſariae, reſpectu generis cuiusdam naturarum ſuſpicione et coniectura percepti, vtque tale facile quaeſtioni adaequatum videri.

Nunc vniuerſam rationem de ſpiritibus, longam partem metaphyſices, vt confectam atque abſolutam mittam. Nihil ea quidquam in poſterum ad me pertinet. Dum conſilium inueſtigationis tali modo arctius contraho, atque ab nonnullis quaeſtionibus prorſus inutilibus memet libero, tenuem ſpero intelligentiam meam in reliquas res impendere vtilius me poſſe. Plerumque paruus virium modulus ad conſilia ventoſa fruſtra extenditur. Idcirco iubet prudentia, cum hac in cauſſa, tum in aliis, vt formam conſiliorum aptemus ad vires, et, ſi magna haud facile adſequi queamus, nosmet in mediocribus contineamus.

Digitized by Google

PARS POSTERIOR

HISTORICA.

CAPUT PRIMUM.

NARRATIO, CUIUS VERITAS, SI PLACET, PERCONTATIONI LECTORIS COMMENDATUR.

Sit mihi fas audita loqui. — — —

Virgil.

Philoſophia, cuius arrogantia efficitur, vt ſe ipſa cunctis quaeſtionibus vanis exponat, occaſione certarum quarumdam narrationum in ſumma ſe difficultate ſaepenumero ſentit conſtitutam, cum de nonnullis haud impune illi *dubitare* licet, aut quasdam, niſi derideatur, *credere*. Hae duae moleſtiae quodam modo in hiſtoriis de ſpiritibus, quae circumferuntur, conueniunt, vna in audiendo illo, qui eas adſeuerat, altera reſpectu eorum, ad quos propagantur. Reapſe nulla quoque reprehenſio philoſopho grauior eſt, quam credulitatis ſtudiique erroris communis, et cum ii, qui ſibi videntur ſapere, omnia rident, quae doctos atque indoctos quodam modo reddunt pares, propterea quod vtrisque incomprehenſa ſunt; mirum non eſt, viſiones tam crebro narratas multam fidem inuenire, palam vero aut negari aut certe celari. Quamobrem eſſe certus poteris, numquam fore, vt vlla quaedam ſcientiarum academia ea de re quaeſtionem oſtenſo praemio proponat; non quaſi membra illius prorſus a ſtudio atque adprobatione huius opinionis libera forent, verum qui regula prudentiae quaeſtionibus a curioſitate vanoque ſciendi pruritu ſine discrimine *propoſitis*, iure terminos conſtituit. Atque ita narrationes huiusce generis ſemper inuenient, qui iis non *niſi* clandeſtino fidem habeant, palam vero ex conſuetudine, quae obtinet, non credendi repudientur.

Digitized by Google

Interim cum tota iſta quaeſtio nec grauis ſatis e parum praeparata mihi videatur, quam vt quidquam queam de ea decernere, non dubito, hoc loco eiusmodi narrationem in medium adferre, eamque aequo animo lectoris vel beniuolo vel maliuolo ad deliberandum proponere.

Holmiae vir quidam doctus degit, nomine *Schwedenborgius*, otioſus, re ſua familiari ſatis ampla et comoſo vitam tolerans. Omne eius negotium conſiſtit in eo, vt, quod ipſe fateatur, iam annis abhinc viginti, et quod excurrit, ſpirituum et animarum corpore ſolutarum ſumma familiaritate vtatur, abiis, quae altero in mundo eueniant, edoceatur, contraque, quae in hoc noſtro mundo fiunt, cum iis communicet, magnaque volumina de inuentis ſuis conſcribat, nonnumquam etiam iter faciat Londinum, ad editionem illorum curandam. Neque is myſteria ſua reticet atque occultat, ſed libere ea profitetur, prorſusque de iis, quae refert, ſibi videtur perſuaſum, neque vllam prodit ſpeciem nec inſtitutae fraudis, nec oſtentationis vanae. Quemadmodum, ſi illi ipſi fides habenda ſit, omniam pneumatoptarum maximus pneumatopta eſt, ita profecto omnium ſomniatornm maximus ſomniator eſt, ſiue illum ex relatione aliorum, qui eum norunt diiudices, ſiue ex illius ſcriptis. Neque tamen ea re illi poterunt, qui contagionibus ſpirituum alioquin fauent, detineri, quin in ſomniationibus iſtis quiddam ineſſe veri ſuſpicentur. Interim quia fides omnium, quibus poteſtas ex mundo altero facta eſt, verſatur in argumentis, quae pro munere mirabili ſuo atque extraordinario certis quibusdam ſpeciminibus in hoc mundo praeſenti demonſtrant, eorum, quae ad faciendam fidem doni peculiaris in iſto homine circumferuntur, ea certe adferam, oportebit, quae in plerisque fidem inueniunt.

Sub finem anni 1761. Schwedenborgius ad feminam Sereniſſimam arceſſebatur, cuius per eximiam ingenium perſpicientiamque fieri haud poſſe putaueris,

Digitized by Google

vt in eiusmodi cauſſis falli ſeſe ac decipi pateretur. Anſam eius rei fama dedit, quae vbique ferebatur, de viſionibus hiusce viri creditis. Propoſitis quaeſtionibus nonnullis, quae magis eo pertinebant, vt viſis eius inanibus oblectaretur, quam vt narrationes veras ex altero mundo audiret, femina auguſtiſſima eum dimiſit, dato ante illi mandato quodam, quod commercium eius cum ſpiritibus ſpectabat. Aliquot diebus interiectis venit Schwedenborgius cum reſponſione, quae eiusmodi erat, vt domina, vti ipſa confeſſa eſt, in ſummam ea mirationem adduceretur, ſiquidem eam reperit veram, cum ea tamen illi ab vllo homine viuo haud potuiſſet ſuppeditari. Haec narratio depromta eſt ex relatione legati in illa aula, tunc temporis praeſentis ad alium legatum Hafniae transmiſſa, adcurateque cum iis conuenit, quae ſpeciatim percontando diſci potuere.

Quae nunc ſequentur, narrationum nulla alia ſponderi fides poteſt quam rumor, cuius probatio vehementer ambigua videtur. *Marteuillia*, vidua legati Belgici in aula Suecica, a propinquis fabri aurarii de numeranda pecunia reliqua facta ex vtenſilibus confectis argenteis. Matrona, accuratam in adminiſtranda re familiari diligentiam mariti defuncti probe nouerat, certaque erat, nomen illud iam eo vino diſſolutum oportere; neque tamen in chiriographis ab eo relictis vllum prorſus documentum inuenit. Vti ſunt mulieres inprimis pronae ad narrationes de diuinatione, ſomniorumque interpretatione atque aliis rebus miris credendas, rem ea defert ad Schwedenborgium, additis precibus, vt, ſi reapſe, qui rumor ſit, conſuetudine vtatur animarum corpore egreſſarum, ex altero mundo ſeſe a marito certiorem faciat de vera iſtius cauſſae ratione. Schwedenborgius fidem dat ſeſe facturum, paucisque diebus poſt domum petit feminae, illique nuntiat, quam ab ſe rogaſſet, notitiam hauſiſſe, indicatque, in ſcrinio, quod monſtrat, quodque ea prorſus iam vacuefactum putarat, occultum quemdam loculum eſſe, quo chirographa

contineantur. Quo ſcrinio pro eo, ac deſcripſerat perueſtigato, continuo, praeter literas ſecretas Hollandicas, chirographa inuenta ſunt, quibus cunctas quae vrgerentur pecuniae, diu iam ſolutas eſſe, conſtaret.

Tertia hiſtoria eſt eiusmodi, vt facile poſſit probatio plena vel veritatis illius, vel falſitatis fieri Erat, ni fallor, ſub finem anni 1759, cum Schwedenborgius, ex Anglia repetens, pomeridie cuiusdam diei ad *Gothenburgum* adpelleret. Eiusdem diei veſpera ad conuiuium vocatur a mercatore quodam, breuique poſteaquam aduenisſet triſti vultu narrat, iam hoc ipſo tempore ingens incendium Holmiae graſſari. Elapſis aliquot horis, intra quas ſubinde conclaue reliquerat, conuiuis nuntiat, incendium eſſe delatum, additque, quo vsque ſerpſiſſet. Eadem illa veſpera iamiam mirum iſtud nuntium, alteroque mane per totam vrbem increbuerat; verum duobus demum peractis diebus nuntius ea de Holmia adlatus eſt Gothenburgum, prorſus, vt fertur, conueniens cum viſionibus Schwedenborgii.

Sine dubio interrogatis, quid me tandem impulerit, vt partes ſusciperem tam abiectas fabellas dispergendi, quas ſanus homo dubitat patienter audire, atque adeo eas ſubiicere inueſtigationibus philoſophicis. Verum cum ea, quam praemiſimus, philoſophia ex eadam *Vtopia* ſit metaphyſices, nihil quidquam ea in re ineptum videtur, vtramque oſtendere copulatam; et quid eſt, cur glorioſius ſit, per caecam fiduciam in rationis argumentis putatitiis, quam fide temeraria narrationum fallacium, decipi?

Stultitiae atque intelligentiae termini ſunt tam obſcure deſignati, vt difficulter in vna ditione diu progrediare, niſi ſubinde breuem excurſum facias in alteram; ſed ſinceritas quidem, quae ſibi patitur perſuaderi, vt multis obteſtationibus vel ipſa aduerſante intelligentia nonnumquam aliquid concedatur, vide-

Digitized by Google

tur esse in reliquiis priscae simplicitatis, quae sane quidem ad statum praesentem haud ita quadrat, atque proinde saepius vertitur in stultitiam, neque tam idcirco in parte naturali haereditaria stupiditatis ponenda est. Quamobrem arbitrio lectoris relinquo vt in narratione mira, in qua occupor, vt illam temperationem ambiguam rationis et credulitatis in elementa resoluat, rationemque amborum ingredientium meo cogitandi modo sub calculum vocet. Cum enim in eiusmodi censura non nisi de decoro agatur, satis mihi ab ludibrio cautum arbitror, eo, quod cum ista stultitia, si ita eam dicere libeat, nihilominus in societate versor per bona et copiosa, quod iam satis est, vt, quemadmodum *Fontenellius* putat, statim ne habeas pro insipiente. Etenim omni tempore sic fuit, etiamque fere ita manebit in posterum, vt certae res quaedam absonae ipsis sanis placeant, propterea solum, quoniam omnes de iis loquuntur. Quo pertinent et sympathia, et virgula diuinatoria, et praesagia, et phantasiae effecta in mulieribus grauidis, et contagiones vicissitudinum lunae cum animalibus et plantis, et caetera generis eiusdem. Quin nonne longo abhinc tempore plebs rustica ludibrium doctis bene retribuit, quo plerumque eam de credulitate excepissent? Ex longo enim auditu et parvuli et mulierculae bonam partem virorum sapientium eo adduxere, vt lupum vulgarem pro *hyaena* acciperent, quamquam nunc quisque sanus facile intelligit, in syluis Francogalliae nullam belluam rapacem Africanam oberraturam fore. Imbecillitate humanae intelligentiae cum eius discendi cupiditate coniunctae efficitur, vt initio et veritas et fraus sine discrimine arripiantur. Sed paullatim conceptibus depuratis parva pars remanet, reliqua in quisquilias coniiciuntur.

Cui igitur ille de spiritibus narrationes aliquid habere ponderis atque momenti videatur, is, si satis ei pecuniae sit, nec quidpiam, quod agat, melioris, per me licet, iter ausit ad rem profundius explorandam, quemadmodum *Artemidorus* in gratiam somnio-

rum interpretationis per Asiam minorem circumua gatus est. Et a posteris similis ingenii permagnam inibit gratiam, quod caueret, ne quando alter *Philostratus* exsisteret, qui multis praeterlapsis annis novum ex Schwedenburgio nostro faceret *Apollonium Tyaneum*, cum notitia ex auditu ad argumentum quoddam formale maturuerit, interrogatioque testium oculatorum molesta atque ingrata, sed admodum necessaria aliquando reddita fuerit impossibilis.

CAPUT SECUNDUM.

ITER ECSTATICUM FANATICI PER MUNDUM SPIRITUALEM.

Somnia, terrores magicos, miracula, sagas
nocturnos lemures, portentaque Thessala. —

Horat.

Lectori cauto nullo modo vertere vitio queo, si in progressu huius libelli nonnulla illi oborta dubitatio esset de ratione viaque, quem auctor tenere vtile duxit. Cum enim partem dogmaticam historicae praemitterem, ideoque argumenta rationis experientiae, ansam dedi suspicioni, ac si dolose agerem, cumque historiam fortasse iam in antecessum in mente habuerim, tantummodo dissimulassem, me nihil quidquam nosse, nisi contemplationes abstractes puras, vt lectorem, nihil tale verentem, postremo possem laeta per experientiam confirmatione oppimere. Ac reuera quidem haec quoque ars est, qua saepius egregie vsi sunt philosophi. Etenim tenendum est, vniuersae cognitionis duplex extremum esse, vnum *a priori*, alterum *a posteriori*. Fuere multi quidem temporum recentiorum physici, qui dicerent, esse a posteriori incipiendum, putentque anguillam scientia sese in cauda prehendere, propterea quod ingentibus notitiis empiricis potiti paullatim ad conceptus vniuersalis altioresque adscendunt. Verum etsi hoc insipien-

Digitized by Google

tractum fuerit; tamen multum abeſt, vt ſatis docte ac philoſophice, tali enim modo in quoddam *cur* inciderís, ad quod nequeat reſponderi, quod perinde decet philoſophum, ac mercatorem, qui de pecunia petitus e cambio ſoluenda humane peteret, vt alio tempore petitor rediret. Inde homines acuti, quo iſtam inconuenientiam vitarent, a terminis extremis contrariis, nimirum ſupremo loco metaphyſices initia cepere. At noua ea in re exſiſtit moleſtia, ſcilicet, quod inſtituitur, *vbi* neſcio, et neſcio *quo*, deferare, progreſſusque rationem nnn quadrat ad experientiam, quin atomi Epicuri, inde ab aeterno vsque delapſae prius videntur aliquando caſu ita deferri, vt concurſionibus inter ſe cohaereſcant, ad informandum mundum, quam conceptus maxime vniuerſales atque abstractiſſimi, ad eum enodandum. Cum igitur philoſophus probe intellexiſſet, argumenta partim ſua rationalia, et partim experientiam veram aliorumue narrationem, inſtar duarum linearum parallelarum, fere in infinitum recte iuxta ſe inuicem progreſſura fore rita vt numquam congruant, cum reliquis, quaſi deliberato conſilio, conuenit, vt ſuo quisque modo locum, vnde inciperet, caperet, eoque, haud rectis quidem lineis concludendi conſecutionis, verum tenuiſſimo rationum probandi *clinamine*, eo, quod metam clanculum ſpectarent certarum quarumdam experientiarum vel teſtimoniorum, ita rationem dirigerent, vt eo recta eos ferire oporteret, vbi diſcipulus ſimplex eos haud exſpectaſſet, nimirum vt id probarent, quod iam antea noſſent, probari debere. Hanc vim tum viam dixerunt a priori, quamquam ea ſenſim fixis baculis ad locam ducta erat a poſteriori, in quo vero aequum eſt, qui artem callet, prodere magiſtrum haud oportere. Secundum hanc methodum ingenioſam varii viri bene promeriti in ſola via rationis adeo religionis myſteria deprehenderunt, quemadmodum fabularum Romanenſium ſcriptores heroinam hiſtoriae in regiones longinquas faciunt fugientem, vt amaſio forte fortuna caſuque ad-

pareat: et fugit ad ſalices et ſe cupit ante videri. *Virg.* Igitur anteceſſoribus tantopere concelebratis reapſe non eſſet, cur memet puderet, etiamſi vere eadem arte vſus fuerim, vt libelli euentum optatum promouerem. Verum impenſe precor, ne lector eam de me ſententiam imbibat. Quo mihi nunc praetera, cum neminem amplius queam decipere, poſteaquam arcanum iam in vulgus diſſeminauerim. Iam vero malum eſt, teſtimonium, quod offendo, et quod fetui ingenii philoſophico meo ſimillimum eſt, admodum peruerſam ſtolidamque formam habet, ita vt potius mihi ſuſpicandum ſit, lectorem per adfinitatem eiusmodi adſenſionum, argumenta rationalia mea pro abſurdis, quam illam per haec pro ſana reputaturum. Quamobrem ſine ambagibus profiteor atque ingenue, eiusmodi comparationibus iniquis memet offendi, libereque declaro, in ſcriptis Schwedenborgii aut maiorem ſapientiam veritatemque quam prima ſpecie adparet, exſpectari, aut, ſi cum ſyſtemate meo conveniat, non niſi fortuito fieri caſuque, velut poëtae nonnumquam ex furore diuinare creduntur, vel certe, quod ipſi dicunt, ſubinde cum euento conſentiunt.

Accedo ad propoſitum, ſcilicet ad ſcripta herois. Quodſi quorumdam ſcriptorum, quorum iam obliti ſumus, aut qui aliquando haud nominabuntur, haud parua laus ſit, quod in elaborandis operibus magnis haud pepercisſent impendendae intelligentiae ſuae, ſine dubio celeberrimo Schwedenborgio vni omnium laus maxima debetur. Nam profecto lagena eius in mundo lunari tota plena eſt, nullique cedit alii ex omnibus, quas *Arioſtus* illic conſpexit ratione hic perdita repletas, quaeque poſſeſſoribus ſuis aliquando rurſus quaerendae erunt, adeo prorſus magnum opus iſtud ab omni eius guttula vacuefactum videtur. Nihilo tamen ſecius tam mira in eo obtinet conſpiratio cum iis, quae ab inueſtigatione rationis ſubtiliſſima de re ſimili poſſunt elici, vt lector mihi condonaturus ſit

si hoc loco eam in lusibus phantasiae raritatem reperiam, quam tam multi alii colligentium in lusibus naturae deprehenderunt, veluti cum in marmore maculoio sanctam familiam aut in figurationibus tophi, monachos, baptisteria et organa musica, aut adeo, velut Liscouius irrisor, in *lamina* fenestrae congelata numerum bestiae coronamque triplicem inueniunt; quae cuncta alioquin conspiciuntur a nemine, nisi ab eo, cuius caput iam antea iis erat repletum.

Magnum istud huius scriptoris opus octo continetur voluminibus in forma quadrata, plenis insania, quae titulo inscripta: *arcana caelestia*, hominibus proponit vt reuelationem nouam atque in quibus visiones plerumque ad eruendum sensum secretum duorum primorum librorum Mosaicorum, similemque rationem vniuersae scripturae sacrae interpretandae adhibentur. Omnes istae interpretationes fanaticae hoc loco nihil ad me pertinent; poterunt autem, si placuerit, nonnulla de iis in bibliotheca theologica summe venerabilis Ernestii, volumine primo, inueniri. Solum audita eius et visa, id est, quae oculi ipsius dicuntur vidisse auresque audiisse, potissimum ex adpendicibus capitum excerpemus, quoniam ea cunctis somniis eius reliquis fundamento iacta videntur, et satis quoque eam mirabilitatem attingunt, quam supra in nane metaphysices aëria ausi sumus. Genus dicendi auctoris planum est. Narrationes illius, earumque constructio reapse ortae ex *visione fanatica* videntur, parumque suspicionis mouent, portentaque cerebrina contemplatiua rationis peruerse scrutantis eum adduxisse ad eas fingendas ad decipiendumque instituendas. Eatenus earum aliquid ponderis est ac momenti, dignaeque re ipsa sunt, quae breuiter proponantur, fortasse maiori iure, quam permulti lusus stultorum argutantium, quibus ephemerides nostras videmus accrescere, siquidem illusio sensuum continua omnino in phaenomenis grauioribus est, quam rationis deceptio, cuius caussae satis notae sunt, quae-

que etiam maximam partem viribus animi pro arbitrio regendis maiorique curioſitatis inanis coërcitione poſſet euitari, cum e contrario illae primum omnium iudiciorum fundamentum attingant, contra quod, ſi falſum ſit, regulae logices parum efficiunt! Igitur in auctore noſtro *errorem* discerno a *delirio*, eaque praetereo, quae peruerſe argutatur, propterea quod haud conſiſtit in *viſionibus* ſuis, velut ſaepenumero in philoſopho ea, quae *obſeruat*, ſeparanda ſunt ab iis, quae *argutatur*, adeoque *experientiae ſpecioſae* plerumque vberiores ſunt notitiis, quam *argumenta ſpecioſa* ex ratione. Dum igitur lectorem temporis particula privo, quam alias fortaſſe haud ita fere vtilius in lectionem impendiſſet ſcriptorum *doctorum* atque ſubtilium generis eiusmodi, proſpicio ſimul tenero guſtui eius, cum miſſis permultis portentis feris animam quintamque quaſi eſſentiam libri ad paucas reuocatam guttulas proponam, qua de re eamdem ab eo gratiam inicturum me ſpero, quam aegrotus quidem putaret ab ſe medicos inituros, quod ſibi tantum corticem quinquinae deuorandam darent, cum facile ſe potuiſſent cogere, vt totam arborem deuoraret.

Schwedenborgius viſiones in tres formas deſcribit, *vnam*, cum corpore liberamur; qui ſtatus eſt ſomnum inter et vigiliam intermedius, in quo ſpiritus vidit, audiitque, atque adeo contrectauit. Id quod ter illi quaterue accidit. *Altera* eſt, cum a ſpiritu abripitur, fortaſſe in platea incedens, ita vt non de via deflectat, cum interea animo in longe aliis regionibus verſetur, alibique domos, homines, ſyluas et ſimilia diſtincte diſpiciat, idque fere per aliquot horas, donec repente ſe rurſus in loco vero ſuo ſe videt conſtitutum. Id quod ei bis terue euenit. *Tertia* deneque viſionum forma eſt illa conſueta, quam quotidie plane vigilans habet, atque a qua potiſſimum hae narrationes depromtae ſunt.

Omnium hominum ait coniunctionem internam cum mundo ſpirituali eſſe aequalem; ſed eos eam

Digitized by Google

haud ſentire, discrimenque inter ſe et alios tantummodo in eo conſiſtere, *quod inteſtinum ſuum eſt apertum*, quo de dono ſemper ſumma cum veneratione loquitur: datum mihi eſt ex diuina Domini miſericordia. Ex contextu intelligitur, donum iſtud cerni in eo debere, vt repraeſentationum obſcurarum tibi conſcius fias, quas anima ex coniunctione perpetua cum mundo ſpirituali accipit. Idcirco in homine memoriam externam diſtinguit ab interna. Illam habet vt perſona, ad mundum viſibilem pertinens, hanc per contextum cum mundo ſpirituali. Atque in diſtinctione poſitum etiam discrimen eſt hominis externi atque interni, eiusque laus propria conſiſtit in eo, quod iam hac in vita vt perſona ſe in ſocietate ſpirituum intelligit, ab iisque quoque vt talis agnoſcitur. In hac memoria interna cuncta etiam ſeruantur, quae ex externa euanuere, nihilque quidquam vmquam repraeſentationum hominis omnium perit. Poſt mortem recordatio eorum omnium, quae vmquam in animam eius venere, quaeque illi ipſi quondam occulta manſerunt, plenus abſolutusque liber vitae eſt.

Praeſentia ſpirituum ſolum quidem ſenſum eius attingit internum. Quo vero illi excitatur conſpectus eorum vt extra ſe, et quidem ſub forma humana. Oratio ſpirituum cernitur in communicatione proxima idearum, ea vero ſemper eſt cum conſpectu eius orationis coniuncta, qua loquitur alias, vtque extra ſe repraeſentatur. Spiritus in alterius ſpiritus memoria repraeſentationes legit, quas hic in ea continet cum claritate. Ita ſpiritus in Schwedenborgio vident eius repraeſentationes, quas ſibi hoc de mundo informat, cum viſione tam clara, vt ea in re ſaepius ſe ipſos decipiant, atque arbitrentur, ſeſe proxime res videre, quod fieri tamen non poteſt, neque enim vlli ſpiritui puro vel minima ſenſatio eſt mundi corporei; at per commercium cum animabus aliis hominum viuentium nullam quoque illius poſſunt repraeſentationem habere, quoniam inteſtinum eorum haud apertum eſt, id

eſt, ſenſus internus repraeſentationes continet penitus obſcuras. Idcirco Schwedenborgius verum ſpirituum oraculum eſt, qui perinde curioſitate tenentur ſtatum mundi praeſentem intuendi, atque ita in memoria eorum quaſi in ſpeculo quodam miracula mundi ſpiritualis contemplandi. Quamquam iſtorum ſpirituum cum omnibus aliis hominum viuentium animabus itidem arctiſſima coniunctio ſit, in iisque efficiunt, ab iisue patiuntur, tamen iſtud neſciunt perinde atque homines, ſiquidem ſenſus horum internus, qui pertinet ad perſonalitatem eorum ſpiritualem, totus obſcurus eſt. Ergo ſpiritus arbitrantur, ea, quae per contagionem animarum humanarum in ſeſe effecta ſunt, ab ſe ſolis cogitata eſſe, quemadmodum etiam homines hac in vita putant, omnia cogitata ſua voluntatisque permotiones ex ſe ipſis oriri, quamuis reapſe ſaepius ex mundo inuiſibili in eos transeunt. Interim ſuus cuiusque animae humanae iam hac in vita locus eſt in mundo ſpirituali, eaque ad certam quamdam ſocietatem pertinet, ſtatui interno ſuo veri bonique, hoc eſt, intelligentiae voluntatisque conſentaneam. Sed inter ſe inuicem nihil quidquam communeeſt cum ſpatio mundi corporei; idcirco anima hominis in Indis cum anima alterius in Europaeis, quoad ſitum ſpiritualem, ſaepenumero proxima vicinitate tenentur, contraque, quae iuxta corpus in domo quadam habitant, pro relationibus illis ſatis longe poſſunt ab ſe inuicem diſtare. Cum homo moritur, tum anima locum ſuum haud mutat, ſed ſolum in eo ſe ſentit, in quo reſpectu aliorum ſpirituum iam hac in vita fuit. Caeterum, quamuis ſpirituum ratio ad ſe inuicem nullo ſpatio vero efficiatur, tamen ea in iis ſpeciem ſpatii habet, coniunctionesque eorum ſub conditione concomitante propinquitatum, diuerſitatis autem vt diſtantiae repraeſentantur, prout ſpiritus ipſi reapſe haud extenſi ſunt, ſed tamen ſibi inuicem ſpeciem impertiunt figurae humanae. In hocce ſpatio opinato commercium eſt perpetuum naturarum ſpiritualium. Schwedenborgius, quandocumque placuerit, cum animabus loqui-

Digitized by Google

tur defunctorum, in earumque memoria (vi repraesentatiua) illum ſtatum legit, in quo ſe ipſas intuentur, eumque pariter clarum videt, atque oculis vteretur corporeis. Praeterea immenſa diſtantia inhabitatorum mundi ratione vtentium reſpectu vniuerſitatis rerum ſpiritualis, pro nihilo ducenda eſt, et loqui cum inhabitatore Saturni perinde facile eſt, atque loqui cum anima humana corporis vinculis ſoluta. Cuncta ex ratione pendent ſtatus interni, et ex coniunctione, quae iis inuicem eſt, pro earum in *vero bonoque* conuenientia; at ſpiritus remotiores facile interuentu aliorum poſſunt ad commercium accedere. Quocirca haud neceſſe eſt, hominem in reliquis corporibus mundanis reapſe habitaſſe, vt eos aliquando cunctaque illorum miracula norint. Anima mea in memoria aliorum ciuium mundi defunctorum repraeſentationes eorum legit, quas hi de vita habent ac domicilio, in eaque res videt perinde atque per proximam viſionem.

Conceptus principalis viſorum inanium Schwedenborgianorum hic eſt: naturarum corporearum nulla ſubſtantia propria eſt, ſed conſtant duntaxat per mundum ſpiritualem: quamquam quodque corpus haud ſpiritu vno ſolum, ſed vniuerſis coniunctis. Idcirco cognitionis rerum corporearum duplex vis et poteſtas eſt, vna externa, in relatione materiae ad ſeſe inuicem, altera interna, quatenus iis vt effectis vires mundi ſpiritualis deſignantur, quae eorum cauſſae ſunt. Sic corpori hominis ratio eſt partium ad ſe inuicem ex legibus corporeis; verum, quatenus per ſpiritum, qui in eo habitat, conſeruatur, varia illius membra eorumque functiones iis animae viribus, quorum effectione et figuram habent, et actionem, et conſtantiam, pretio gaudent deſignante. Hic ſenſus internus homines latet, eumque Schwedenborgius, cuius inteſtinum apertum eſt, voluit hominibus manifeſtare. Cum cunctis aliis mundi viſibilis rebus eodem modo comparatum eſt, iis igitur, et ſignificatio

eſt vt rebus, quod parum eſt, et alia quaedam vt ſignis, quod plus eſt. Eaque origo eſt nouarum interpretationum ſcripturae, quas voluit proponere. Namque ſenſus internus, relatio quippe ſymbolica omnium rerum in ea comprehenſarum ad mundum ſpiritualem, eſt, quae eius inſania eſt, nucleus pretii illius, caetera non niſi in putamine verſantur. Quod vero viciſſim in hac ſymbolica rerum corporearum vt imaginum copulatione cum ſtatu interno caput eſt, in eo conſiſtit. Omnes ſpiritus ſibi ſe inuicem ſemper repraeſentant ſub ſpecie formarum extenſarum, contagionesque omnium earum naturarum ſpiritualium cum ſe inuicem excitantur iis ſimul ſpecie aliarum naturarum extenſarum, quaſique mundi corporei, cuius imagines tamen non niſi ſymbola ſunt ſtatus illius interni, quibus vero nihilominus tam clara et conſtans ſenſus illuſio efficitur, vt ea ſenſationis verae talium rerum ſimilis videatur. (Futurus interpres inde eliciet, Schwedenborgium eſſe idealiſtam; quoniam materiae huiusce mundi vel propriam denegat ſubſtantiam, eamque fortaſſe duntaxat phaenomenon eſſe continuum putat, quod ex coniunctione exſiſtat mundi ſpiritualis.) Quapropter de hortis loquitur, amplisque regionibus ac domiciliis, porticibusque ſpirituum, quos oculis ſuis luce cernat clariſſima, et adſeverat: ſe ex omnibus familiaribus ſuis, quibuscum poſt mortem eorum ſaepenumero collocutus ſit, in iis, qui paullo ante diceſſiſſent, fere ſemper vidiſſe, eos vix ſibi potuiſſe perſuadere ſe mortuos eſſe, quoniam ſimili mundo ſe cinctos viderent; item, collegia ſpirituum eiusdem ſtatus interni, eamdem ſpeciem regionis aliarumque rerum ibi adparentium videre, ſed ſtatus mutationem coniunctam eſſe cum ſpecie mutationis loci. Quia vero ſemper, ſi ſpiritus cogitata ſua cum hominum animabus communicant, haec cum ſpecie rerum corporearum coniuncta ſunt, quae reapſe tantummodo vi relationis cuiusdam ad ſenſum ſpiritualem, tamen cum omni ſpecie veritatis ei ſeſe depingunt, qui ea accipit, inde copia deriuanda eſt for-

marum ferarum vltraque, quam dici poteſt, abſurdarum, quas fanaticus noſter in quotidiana ſua cum ſpiritibus conſuetudine in ſumma claritate putat videre.

Iam dixi, ſecundum auctorem noſtrum, varias vires, proprietatesque animae cum corporis organis moderamini ſuo ſubiectis quadam ſympathia teneri. Totus proinde homo externus toti homini interno reſpondet, et cum igitur contagio quaedam ſpiritualis ſatis magna cum mundo inuiſibili vnam alteramue virium earum animae praeſertim attingit, tum ſentit quoque harmonice praeſentiam illius adparentem in membris hominis ſui externi, his conſentaneis. Eo autem magnam refert varietatem ſenſationum in corpore ſuo, ſemper cum viſione ſpirituali coniunctarum, quarum vero abſurditas tanta eſt, vt haud auſim vel vnam illarum in medium proferre.

Ex his igitur, ſi operae pretium duxeris, depingere cogitatione poteris phantaſiam maxime miram et abſurdiſſimam, in qua cuncta eius ſomnia coniunguntur. Vti nimirum variis viribus et facultatibus ea vnitas efficitur, qua anima conſtat ſiue homo internus, ita variis quoque ſpiritibus (quorum perſonae principales itidem ad ſe inuicem referuntur, velut variae facultates ſpiritus ad ſe inuicem), ſocietas efficitur, quae ſpeciem habet hominis magni, et qua in vmbra quisque ſpiritus in eo ſeſe loco conſpicit cumque membris ſpecioſis, quae peculiari negotio ſuo in tali corpori ſpirituali conueniunt. Omnes autem ſpirituum ſocietates coniunctae totusque mundus, poſtremo ipſae videntur rurſum ſub ſpecie *hominis maximi*. Quae quidem phantaſia ingens eſt et gigantem, ad quam fortaſſe accreuit vetus quaedam cogitatio puerilis, cum fere in ſcholis, ad ſubleuandam memoriam, vniuerſa pars mundi ſub imagine virginis ſedentis et ſimilibus tyronibus depingitur. In hoc homine immenſo communio intima eſt perpetua ſpiritus vnius cum omnibus, omniumque cum vno, et, qualiscum-

que ſitus fuerit naturarum viuentium erga ſe inuicem in hoc mundo, earumue mutatio, tamen iis locus longe alius eſt in homine maximo, quem numquam mutant, quique ſolum ſpecie locus eſt in ſpatio immenſo, re autem vera certus quidam ac determinatus modus relationum contagionumque.

Taedet fera cerebri portenta fanatici omnium maximi depingere, eaue vsque ad deſcriptiones ſuas de ſtatu poſt mortem continuare. Sunt et alia, quibus ab ea re detineor. Etenim quamuis is, qui corpora naturalia colligit, in partibus praeparatis generatorum animalium non ſolum eas, quae forma ſunt naturali indutae, verum etiam partus obſcoenos in ſcrinio reponit, tamen caueat, neceſſe eſt, ne cuique eas diſtincte ſpectandas proponat. Fieri enim facile poſſet, vt mulieres adeſſent grauidae in curioſis, in quibus partus obſcoenus efficeretur. Cumque in lectoribus meis nonnulli reſpectu conceptionis idealis itidem fuerint impraegnati, vehementer dolerem, ſi hic alicunde partus vitium duxerit. Interim, cum ſtatim eos in principio monuerim, nihil quidquam cauebo, ſperoque, mihi non culpae daturos obſcoenos partus, qui hac occaſione data a phantaſia eorum fecunda forte edentur.

Caeterum ſomniis auctoris noſtri nulla propria ſuppoſui, ſed ea per epitomen adcuratam lectori laboris impatienti diligentique (qui paruae curioſitati haud facile ſeptem pondo Sterlingiorum deuouerit) propoſui. Viſiones quidem proxime maximam partem a me ſunt omiſſae, ſiquidem talia fera cerebri portenta ſomnum lectoris nocturnum perturbarent; praeterea ſenſus patefactionum illius confuſus paſſim oratione vſitatiori conueſtitus eſt; ſed lineae principalis formae ea re nihil amiſere. Nihilominus, quoniam cuique incurrit in oculos, fruſtra celabitur, omnem laborem iſtum in fine ad nihilum redire. Cum enim oſtenſae viſiones libri priuatae ſe ipſae nequeant

Digitized by Google

probare, nulla nos alia ratione, vt in iis verſaremur, poteramus commoueri, quam ſuſpicione, fore, vt auctor ad fidem iis faciendam fortaſſe ad euenta prouocet ſuperioris generis, quae teſtibus poſſent viuis confirmari. Sed id nuspiam inuenitur. Atque ita cum quodam pudore nosmet a ſtulto periculo reuocamus, adiecta ſana, quamquam aliquantum ſera, adnotatione: prudenter cogitare rem plerumque facilem eſſe, ſed ſane non niſi aliquamdiu ſimus decepti.

* * *

Materiam ingratam tractaui, ab percontatione atque importunitate curioſorum amicorum et otioſorum mihi propoſitam. Labore meo leuitati iſti ſubiecto, ſimul eius exſpectationem fruſtratus ſum, et neque curioſo narrationibus, neque perſcrutanti rationibus et argumentis quidquam profui. Si nullo alio conſilio hic labor animaretur, tempus perdidi; perdidi lectoris fiduciam, cuius percontationem diſcendique ardorem taedioſo dispendio ad eumdem locum ignorantiae reduxi, vnde fuerat profectus. Sed reuera conſilium erat ante oculos, quod mihi grauius videtur eo, quod oſtendi, illudque memet opinor eſſe conſecutum. Metaphyſica, in cuius amorem fors me voluit incidiſſe, quamuis de eius amore mutuo perraro queam gloriari, duplicem vtilitatem adfert. Vnam, vt quaeſtionibus ſatisfaciat, quas animus inueſtigans proponit, cum occultas rerum proprietates indagat per rationem. Verum hic ſaepenumero accidit, vt ſpes euentu careat, et hac quoque vice manibus noſtris auidis effugit.

Ter fruſtra comprenſa manus, effugit imago,
par leuibus ventis volucrique ſimillima ſomno.

Virgil.

Altera deinde vtilitas naturae intelligentiae humanae conuenientior eſt, in eoque conſiſtit, vt perſpicias,

an quaeſtio ex iis, quae ſciri poſſunt, etiam determinata ſit, qualisque ratio quaeſtionis ſit ad conceptus empiricos, quibus omnia noſtra oportet iudicia ſemper inniti. Eatenus metaphyſico verſatur in ſcientia de *terminis rationis humanae*, cumque terrae paruae multum terminorum ſit, omnino quoque plus interſit, vt poſſeſſiones tuas bene noris atque obtineas et tueare, quam caeco impetu ferri ad occupandum, haec vtilitas illius ſcientiae ignotiſſima eſt eademque grauiſſima. Atque hos fines hoc loco non quidem adcurate definii, ſed tamen in tantum indicaui, vt lector vlterius cogitando intellecturus ſit, ſe omni poſſe inueſtigatione fruſtranea ſuperſedere, reſpectu quaeſtionis, cuius data in alio mundo, quam in quo ſentit, inueniuntur. Igitur tempus perdidi, quo illud lucrarer. Lectorem decepi, quo illi prodeſſem, et quamquam illi nullam perſpicientiam nouam offerebam, tamen exſtirpaui errorem vanamque ſcientiam, qua intelligentia inflatur, in eiusque ſpatio auguſto locum tenet, quem ſapientiae praecepta poſſent inſtitutionisque vtilis capere.

Qui meditationibus hisce hactenus inſtitutis defatigatus eſt, ſed minus edoctus, eius nunc impatientia eo poteſt leuari, quod *Diogenes* fertur auditoribus dixiſſe oſcitantibus, cum folium videret vltimum libri taedioſi: *bono animo eſtote*, animi, *terram conſpicio*. Antea inſtar *Democriti* in ſpatio vacuo, quo metaphyſices *alis papilionum* euecti eramus, ambulauimus, et ibidem figuris nosmet ſpiritualibus oblectauimus. Nunc, quum vis *ſtiptica* cognitionis ſui ipſius alias fericias contraxerit, nos rurſum in humili territorio conſpicimus experientiae intelligentiaeque communis; praeclare actum de nobis erit, ſi illud tamquam locum conſideraverimus nobis deſignatum, ex quo numquam impune egredimur, quodque etiam cuncta continet, quae nos poſſint explere, quam diu vtilia ſectemur.

Digitized by Google

CAPUT TERTIUM.

CONCLUSIO PRACTICA EX TOTA DISPUTATIONE.

Vnamquamque curioſitatem perſequi, diſcendique cupiditati nullos alios terminos concedere, quam impotentiam, ſtudium, quod *eruditionem* haud dedecet. Verum in quaeſtionibus innumeris, quae ſe ipſae offerunt, eam eligere, cuius enodatio hominis intereſt, laus eſt *ſapientiae*. Scientia, orbe ſuo confecto, natura ad locum peruenit diffidentiae modeſtae, ſibique ipſa ſuccenſens, *quam multa ſunt*, ait, *quae haud intelligo*. Verum ratio per experientiam maturata, qua vertitur in ſapientiam ex ore *Socratis* in mediis nundinarum mercibus mente ſerena, *quam multa ſunt*, inquit, *quorum haud indigeo*. Tali modo duo conatus tam diſſimiles naturae tandem in vnum coëunt, quamuis initio ex directionibus longe diuerſis proficiſcerentur, quarum vna vana et inſatiabilis eſt, altera grauis et modeſta. Vt enim rationi conuenienter eligas, ante ſuperuacaneum, quin impoſſibile noſſe debebis; tandem vero ſcientia ad determinationem peruenit terminorum ſibi per naturam rationis humanae conſtitutorum; ſed omnia conſilia inania, per ſe ipſa fortaſſe haud indigna, praeterquam quod ſita extra ſphaeram ſunt hominum, in *limbum* confugiunt vanitatis. Tum ipſa metaphyſica euadet id, a quo adhuc vehementer remota eſt, quodque de ea omnium minime ſuſpicere, *comes ſapientiae*. Quamdiu enim opinio poſſibilitatis, ad cognitiones tam remotas perveniendi relinquitur, *ſapiens ſimplicitas* fruſtra clamat, tantos conatus inutiles eſſe. Voluptas, quae ſcientiae amplificationem comitatur, perfacile ſpeciem adipiſcetur officii, illamque propoſitam deliberatamque modeſtiam conuertet in *ſimplicitatem ſtupidam*, quae naturae noſtrae officiat excolendae. Quaeſtionibus de natura ſpirituali, de libertate et praedeterminatione, ſtatuque futuro, et quae ſunt de genere eo-

dem, initio omnes mentis vires monentur, homoque earum praeſtantia in aemulationem vocatur contemplationis, quae ſine diſcrimine argutatur et decernit, docetque vel confutat, vti fert ſpecies cognitionis. Quodſi autem haec inueſtigatio in philoſophiam euadit, de ſua ipſius ratione iudicantem, quae non res obiectas ſolum, verum earum ad hominis intelligentiam rationem nouit, fines arctius contrahuntur, terminique conſtituuntur, qui haud ſinunt inueſtigationem e proprio territorio euagari. Nonnulla nobis opus philoſophia fuit, vt difficultates diſceremus, quibus conceptus cingitur, quem plerumque vt valde commodum tractant et quotidianum. Philoſophia aliquantum vberiori haec vmbra cognitionis magis remouetur, nosque certiores reddimur, eam prorſus ſitam eſſe extra orbem hominis finientem. Etenim in relationibus cauſſae atque effecti, ſubſtantiae actionisque initio philoſophia hanc vtilitatem habet, vt phaenomena perplexa ſoluantur, eaque ad repraeſentationes ſimpliciores reuocentur. Cum vero tandem ad relationes conſtitutiuas peruentum eſt, tum opus philoſophiae abſolutum eſt, et, quomodo quidpiam eſſe cauſſa queat aut vim habere, fieri non poteſt, vt vmquam per rationem perſpiciamus, ſed hae relationes poſtremo non niſi ab experientia depromendae ſunt. Noſtra enim regula rationalis pertinet tantummodo ad comparationem ex *identitate* et *repugnantia*. Quatenus autem quidpiam cauſſa eſt, per *aliquid* ponitur quidquam *aliud*, ideoque nullus per concentum contextus reperitur; vti quoque, ſi idem non vt cauſſam ſpectem, numquam repugnantia oritur, queniam haud ſecum pugnat: ſi aliquid ponatur, aliud quid tollendum eſt. Inde conceptus conſtitutiui rerum vt cauſſarum, viriumque et actionum, niſi ab experientia depromantur, prorſus ſunt arbitrarii, et neque probari poſſunt, neque confutari. Probe ſcio, cogitando volendoque corpus meum moueri, verum hoc phaenomenon, vt experientiam ſimplicem, numquam per analyſin poſſum ad aliam reuocare, illudque pro-

Digitized by Google

inde quidem cognoſcere, ſed haud perſpicere. Voluntate mea brachium moueri, haud magis intelligo, quam ſi quispiam diceret, ea etiam lunam poſſe in orbe ſuo retineri; hoc ſolum discrimen eſt, quod illud experior, hoc vero numquam ſub ſenſus meos cecidit. Cognoſco mutationes in me, vt in ſubiecto viuente, nimirum cogitationes, arbitrium, caeteraque generis eiusdem, et quoniam iſtae determinationes de genere alio ſunt, quam vniuerſa, quibus coniunctis conceptus meus de corpore efficitur, par eſt, memet naturam cogitare incorpoream et conſtantem. An haec quoque haud coniuncta cum corpore cogitatura ſit, per hanc naturam ex experientia cognitam non poteſt concludi. Cum naturis mei generis interuentu legum corporearum coniunctus ſum, num vero quoque alioquin ex legibus aliis, quas pneumaticas dicam, ſine interuentu materiae coniunctus ſim, aut vnquam forem, nullo pacto ex eo poſſum, quod mihi datum eſt, concludere. Talia iudicia omnia, qualia ſunt de modo, quo corpus per animam mouetur, aut ea ad alias ſui generis naturas nunc vel aliquando adfecta eſt, numquam plus poſſunt eſſe, quam fictiones, et quidem minime ne eius quidem valoris, quam quo ſunt in phyſica, quae hypotheſes dicuntur, in quibus nullae vires conſtitutiuae excogitantur, verum eae, quas iam per experientiam nouimus, duntaxat modo phaenomenis conſentaneo coniunguntur, quarumque proinde poſſibilitas ſemper poſſit, neceſſe eſt, euinci; contra in priori cauſſa vel nouae relationes fundamentales cauſſae effectique ſumuntur, in quibus numquam poteſt vel minimus earum poſſibilitatis conceptus haberi, ideoque tantummodo fingitur. Comprehenſibilitas variorum phaenomenorum verorum vel putatiorum ex ideis eiusmodi fundamentalibus ſumtis, his nullo modo prodeſt. Namque omnium rerum ratio adferri poteſt, ſi poteſtas ſit, actiones legesque effectionis comminiſcendi pro lubitu. Ergo nobis exſpectandum eſt, donec fortaſſe in mundo futuro per novas experientias de nouis conceptibus virium in nobis

adhuc occultatarum edoceamur. Sic obſeruationibus recentiorum temporum, poſteaquam per matheſin ſolutae ſunt, vis attractionis in materia nobis manifeſtata eſt, cuius de poſſibilitate (quoniam vis eſſe conſtitutiua et primaria videtur) numquam vlteriorem conceptum poteris cogitatione informare. Ii, qui, argumento ab experientia haud adiuti, antea eiusmodi proprietatem ſibi fingere voluiſſent, iure digni fuiſſent, qui vt ſtulti deriderentur. Cum igitur argumentorum rationalium in eiusmodi cauſſis neque ad inueniendam neque ad confirmandam poſſibilitatem vel impoſſibilitatem ne minimum quidem pondus ſit; non niſi experientiis ius poterit decernendi concedi, quemadmodum etiam tempori, quod experientiam adfert, relinquo, de celebratis viribus medicis magnetis in dentium doloribus decernere, ſi totidem poterit obſeruationes oſtendere, bacillos magneticos in carnibus et oſſibus vim ſuam exſerere, quot iam habemus, in ferro et chalybe agere. Cum vero certae et putatitiae experientiae ad nullam poſſunt legem ſenſationis in pleriſque hominibus conuenientem reuocari, ideoque non niſi confuſionem in teſtimoniis ſenſuum probarent (vti reuera cum narrationibus, quae feruntur, de ſpiritibus comparatum eſt), tum e re erit, vt abrumpantur; quoniam defectus concentus et aequabilitatis cognitioni hiſtoricae vim tum omnem probandi demit, eamque reddit inutilem ad fundamentum vllius cuiusdam legis experientiae, de qua intelligentia poſſet iudicare.

Vti partim inueſtigatione aliquantum profundiori diſcimus perſpicere: intellectum cognitionem euidentem et philoſophicam in ea cauſſa, de qua loquimur, *eſſe non poſſe*, ita partim etiam animo tranquillo ab opinionibusque praeiudicatis alieno fateare, *oportebit*, eam ſuperuacaneam eſſe atque *inutilem*. Vanitas ſcientiae prona fertur ad occupationem ſuam per praetextum grauitatis excuſandam, atque ita hic quoque plerumque perhibetur, cognitionem rationalem

de natura animae ſpirituali ad perſuaſionem de exſiſtentia poſt mortem, haec autem ad momentum honeſtae vitae admodum neceſſariam eſſe; ſed curioſitas otioſa addit, veritatem viſionum animarum corpore ſolutarum de his omnibus adeo argumentum ex experientia eſſe poſſe. At ſapientia vera comes eſt ſimplicitatis, et, cum in ea animus intelligentiae praecipiat, plerumque magnos eruditionis adparatus reddit ſuperuacaneos, illiusque fines haud indigent talium inſtrumentorum, quae numquam poſſunt eſſe in omnium hominum poteſtate. Quid ita? anne ſolum propterea bonum eſt, virtutem colere, quod alius mundus eſt? aut nonne actiones aliquando potius idcirco praemiis adficientur, quia per ſe ipſae bonae fueruiſt atque honeſtae? Nonne in hominis anima praecepta moralia proxima inſunt, ad eumque deſtinationi eius morali conuenienter mouendum, neceſſario momenta ſunt ab mundo altero depromenda? Poteſtne tandem is probus dici atque honeſtus, qui lubenter vellet, quae adamauit, vitiis ſe dedere, ſi modo nulla futura poena terreretur? Anne potius dicendum erit, eum vereri quidem malitiam exſequi, ſed animum vitioſum in ſe alere, vtilitatem actionum virtutis ſimilium amare, ſed virtutem ipſam odiſſe? Ac reapſe docet experientia, tam multos, qui de mundo futuro edocti ſunt ac certiſſimi, nihilominus vitio humilitatique dediti, non niſi vias cogitare, quibus minantia futuri conſequentia doloſe queant effugere; verum ſane numquam fuit proba anima, quae cogitationem potuiſſet ſuſtinere, mortem vltimam rerum lineam eſſe, cuiusque mens generoſa non ſeſe ad ſpem futuri extulerit. Idcirco humanae naturae morumque puritati conuenientius videtur, exſpectationem mundi futuri in ſenſationibus animae bene ab natura informatae, quam viciſſim vitam bonam in ſpe alterius mundi conſtituere. Sic etiam cum *fide morali* comparatum eſt, cuius ſimplicitas multis poteſt argutationum ſubtilitatibus ſuperſedere, et quae vna ſolaque in quocumque ſtatu homini conſentanea eſt, propterea quod ea ſine cir-

cuitu atque ambagibus ad fines veros ſuos perducitur. Age igitur, omnes ſtrepentes dogmatum diſciplinas de rebus adeo remotis, contemplationi curaeque ingeniorum otioſorum relinquamus. Reapſe illae nos haud mouent, rationumque pro contraque ſpecies fugiens fortaſſe de adſenſu ſcholarum, vix autem de ſorte proborum futura decernat. Nec vero ratio humana haud ſatis eum in finem alata fuit, vt tam altas nubes dispelleret, quibus myſteria mundi alterius oculis noſtris ſubducuntur, cupidisque ſcientiae, qui tam ardenter ea percontantur, conſilium ſimplex poteſt, ſed naturale dari: ſane optimum videri, *ſi velint exſpectare, donec eo perueniant.* Cum ſors noſtra in mundo futuro ſine dubio ex eo pendere videatur, quomodo munere noſtro hoc in mundo fuerimus defuncti, finem faciam verbis, quae *Voltarius* bonum *Candidum*, poſt tot concertationes ſcholaſticas dicenten facit: *noſtram, age, rem curemus, hortum petamus et laboremus!*

Digitized by Google

IV.

SPECIMEN

DE

CONCEPTU QUANTITATUM NEGATIVARUM IN PHILOSOPHIAM INTRODUCENDO.

PRAEFATIO.

Vſus, qui fieri in philoſophia matheſeos poteſt, aut in imitanda illius via ac methodo conſiſtit, aut in enuntiatis illius ad res philoſophiae ſubiectas transferendis. Priorem videmus huc vsque aliquam vtilitatem attuliſſe, quantum cumque inde commodi initio ſperatum fuerit, paullatimque denominationes honorificae multum ſonantes ceſſarunt, quibus pronuntiata philoſophica per reuerentiam erga geometriam exornata ſunt, ſiquidem videbant, haud decere in rebus mediocribus ſuperbire, moleſtumque iſtud *non liquet* vniuerſae pompae iſti cedere nolebat.

Contra vſus poſterior partibus philoſophiae, quas attigit, factus eo ſalubrior eſt, quae eo, quod doctrinas matheſeos in vſum ſuum conuerterent, ad faſtigium euecta ſunt, quod alias haud potuiſſent ſperare. Haec autem etiam ſolum in cognitionibus verſantur phyſicam ſpectantibus, niſi forte logicam exſpectationum in ſortibus itidem ad philoſophiam numeraueris. Ac metaphyſica quidem, cum nonnullos conceptus doctrinasue matheſeos in vſum ſuum conuertere debuiſſet, potius ſaepenumero ſeſe contra eam armauit, et, vbi fortaſſe firma potuiſſet fundamenta mutuari, ad inueſtigationes ſuas in iis conſtituendas, ibi eam occupatam videmus, conceptus mathematicorum non niſi in fictiones ſubtiles conuertere, in quibus extra campum ſuum parum veri ineſt. Facile diuinari poteſt, ad cuius partem commodum redundaturum ſit, in concertatione duarum artium, quarum vna cunctas certitudine atque euidentia ſuperat, altera vero iam demum adlaborat, vt eo perueniat.

Metaphyſica vult, exempli gratia, naturam ſpatii cauſſamque ſupremam aperire, vnde poſſibilitas eius queat intelligi. Iam in eo nihil magis iuuabit, quam ſi data certo probata alicunde poſſint depromi, vt in inueſtigatione poſſint fundamento poni. Geometria earum nonnulla miniſtrat, quae proprietates ſpatii generaliſſimas attingunt, veluti ſpatium nullo modo partibus ſimplicibus effici; verum ea negliguntur, et fiducia non niſi in ambigua huiusce conceptus conſcientia collocatur, propterea quod is modo prorſus abstracto cogitatur. Cum autem contemplatio ad hanc rationem cum pronuntiatis matheſeos non vult conuenire, conceptum adfectatum ſuum conantur ſeruare vituperio, quod hanc in ſcientiam iaciunt; ac ſi, quos ea fundamento conſtituit, conceptus haud forent a vera ſpatii natura ſeparati atque abstracti, ſed arbitrario excogitati. Contemplatio motus mathematica, cum cognitione ſpatii coniuncta, itidem multa data ſuppeditat, ad contemplationem de tempore metaphyſicam in veri orbita continendam. Celeberrimus *Eulerus* inter alia huic rei quodam modo anſam dedit *), ſed videtur commodius, in abstractionibus obſcuris ac difficulter examinandis verſari, quam in ſcientia ſibi iungenda, quae non niſi claris notitiis atque perſpicuis oblectatur.

Conceptus infinite parui, quo tam frequenter matheſis redit, cum peruicacitate arrogata ſimpliciter vt effictus reiicitur, cum tamen potius deberes ſuſpicari, te nondum ſatis de eo intelligere ad iudicium de eo ferendum. Nihilominus natura ipſa haud obſcura videtur argumenta ſuppeditare, hunc conceptum admodum verum eſſe. Namque ſi vires ſint, quae aliquam diu continuo agant, vt motus producant, cuiusmodi ſine dubio grauitas eſt, vt vis, quam momento initii quietisue exſerit, comparata cum ea,

*) Hiſtoire de l'Acad. Royale des ſciences et belles lettres l'ann. 1748.

Digitized by Google

quam in tempore quodam communicat, infinite parua fit. Arduum eſt, fateor, naturam, horum conceptuum penetrare; verum hac difficultate fere ſolum cautio ſuſpicionum incertarum poteſt, non vero pronuntiata dirimentia poſſibilitatis excuſari.

Mihi nunc propoſitum eſt, conceptum, in matheſi ſatis notum, ſed philoſophiae perquam alienum, reſpectu huius contemplari. Quae contemplationes parua modo initia ſunt, vti fieri ſolet, cum nouos volumus proſpectus aperire, ſed poſſunt fortaſſe conſectariis grauiſſimis occaſionem praebere. Ex conceptu quantitatum negatiuarum neglecto vis eſt vitiorum orta calumniarumque in interpretandis aliorum ſententiis in philoſophia. Si, vt hoc vtar, celeberrimo *Crufio* placuiſſet ſenſum mathematicorum in iſto conceptu addiſcere, comparatio Newtoni ei non egregie falſa videretur *), cum vim attractricem, quae aucta diſtantia, prope tamen corporibus paullatim in repulſiuam degenerat, comparat cum ſeriebus, in quibus, vbi quantitates poſitiuae deſinunt, ibi negatiuae non ſunt negationes de quantitatibus, vti per verbi ſimilitudinem coniecit, quidpiam in ſeſe ipſo poſitiuum, ſed quod alteri oppoſitum eſt. Atque ita attractio negatiua non in quiete verſatur, vti putat, ſed in vera repulſione.

Verum ad ipſam tractationem accedo, vt doceam, qui omnino huiusce conceptus in philoſophia eſſe vſus poſſit.

Conceptus quantitatum negatiuarum in vſu fuit in matheſi, in eaque ſummi quoque momenti eſt. Interim cogitatio, quam plerique ſibi de eo informarunt, quamque inſtituere, illuſtratio mira eſt et pugnans; quamquam inde ad vſum nullus error proma-

*) Phyſica P. I. §. 295.

nabat, nam ſingulares regulae locum cepere definitionis de vſuque cauere; quod autem in iudicio de natura huius ce conceptus abstracti erratum fuiſſet, otioſum relinquebatur et ſine conſequentiis. Nemo fortaſſe dilucidius ac definitius demonſtrauit, quae verbo quantitatum negatiuarum vis ac poteſtas ſubiicienda ſit, quam celeberrimus *Kaeſtnerus* *), cuius in manu cuncta adcurata fiunt, faciliaque ac iucunda. Reprehenſio, quam hac occaſione data in diuidendi inſaniam philoſophi cuiusdam maxime abstracti edit, multo latius patet verbis et ſpectari poteſt vt prouocatio, ad vires ſubtilitatis arrogatae quorumdam hominum meditabundorum in conceptu vero et vtili examinandam, vt natura eius philoſophice conſtituatur, cuius veritati per matheſin iam cautum eſt, quem quidem caſum metaphyſica falſa lubenter euitat; ſiquidem hic inſania docta non tam facile poteſt vti alibi fucum facere ſoliditatis. Dum conor philoſophiae lucrum conceptus adhuc inuſitati, quamquam ſumme neceſſarii, comparare cupio nullos habere alios iudices quam eius generis qualis vir ille acutiſſimus eſt, cuius mihi ſcripta ad eam rem anſam dedere. Nam quod intelligentias metaphyſicas attinet, perſpicientiae abſolutae, is valde inſcius foret, neceſſe eſſet, ſi cogitet, ad eorum ſapientiam quidquam amplius poſſe accedere, aut de eorum errore quidpiam demi.

SECTIO PRIMA.

ILLUSTRATIO CONCEPTUS DE QUANTITATIBUS NEGATIVIS IN GENERE.

Sibi inuicem dicuntur oppoſita, quorum vno tollitur id, quod hoc altero poſitum eſt. Haec oppoſitio duplicis generis eſt, vel *logica* per repugnantiam, vel *realis*, ſine repugnantia.

*) Elem. Arithm. Pag. 59-62.

Digitized by Google

Superior oppoſitio, nimirum logica ea eſt, quae *huc* vsque vna fuit ſolaque ſpectata. Ea conſiſtit in eo, vt de eadem re aliquid ſimul adfirmetur et negetur. Conſequens huiusce coniunctionis logicae *prorſus nihilum* eſt (nihilum negatiuum irrepraeſentabile), vti decretum repugnantiae enuntiat. Corpus in motu itidem eſt aliquid (cogitabile); ſed corpus, quod in motu et eodem ſenſu ſimul non in motu foret, prorſus nihil eſt.

Altera oppoſitio, quippe realis, eſt ea, cum duo praedicata cuiusdam rei oppoſita ſunt, verum non per effatum repugnantiae. Hic itidem vno tollitur id, quod per alterum poſitum eſt; ſed conſequens eſt aliquid (cogitabile). Vis motrix corporis verſus regionem, et par eiusdem niſus ad directionem oppoſitam haud inuicem pugnant, vtque praedicata vno in corpore poſſunt ſimul eſſe. Inde conſequitur quies, quae eſt aliquid (repraeſentabile). Nihilominus haec vera oppoſitio eſt. Quod enim vno niſu, ſi ſolus eſſet, ponitur, altero tollitur, et ambo niſus vera ſunt praedicata vnius eiusdemque rei, cui ea ſimul competunt. Conſequens inde etiam nihilum eſt, verum ſenſu alio atque in repugnantia (nihil priuativum, repraeſentabile). Iſtud nihilum in poſterum vocabimus zero = o, eiusque ſignificatio eſt eadem, negationis, defectus, abſentiae, quae alias ſunt in vſu apud philoſophos, ſed cum adcuratiori determinatione, quae infra occurret.

In repugnantia logica ea ſolum relatio ſpectatur, qua praedicata rei ſeſe inuicem et conſequentia tollunt per repugnantiam. Vtrum vere aiat (realitas) et vtrum vere neget (negatio) hic non curamus. Velut obſcurum eſſe et non obſcurum in eodem ſenſu ſimul, pugnat in eodem ſubiecto. Prius praedicatum logice aiens eſt, alterum logice negans, quamquam illud ſenſu metaphyſico in negatione verſatur. Repugnantia realis itidem poſita in relatione eſt duorum praedicatorum eiusdem rei ad ſe inuicem; verum de

genere longe alio eſt. Vno eorum illud haud negatur, quod altero adfirmatur, quippe quod fieri non poteſt, ſed ambo praedicata A et B aientia ſunt, cum autem cuiusque ſingillatim conſequentia a et b forent, vtroque in vno ſubiecto coniunctis non vnum eſt, nec alterum, ergo conſequens eſt zero. Fac, quemdam alii mutuo dediſſe centum Ioachimicorum, id in cauſſa eſt, cur totidem illi redeat: eumdem vero alii cuipiam debere B = 100 Ioachimicorum, id in cauſſa eſt, cur totidem ſoluat. Vtrumque debitum in cauſa eſt τοῦ Zero, id eſt, quare nec det pecuniam nec accipiat. Facile intelligitur: iſtud Zero nihilum eſſe comparatum et relatiuum, propterea quod certum quiddam conſequens non eſt, vti hac in cauſſa certa quaedam ſors atque in exemplo ſupra adlato certus quidam motus non eſt; contra in re per repugnantiam tollenda ſimpliciter nihilum eſt. Quapropter nihil negatiuum non poteſt per zero = 0 exprimi, quippe quo nulla comprehenſio continetur. Certum quemdam motum non eſſe, cogitari poteſt, eum vero ſimul eſſe et non eſſe nullo modo cogitari poteſt.

Iam mathematici conceptibus huiusce oppoſitionis realis vtuntur in quantitatibus ſuis, quas, vt indicent, denotant ſigno + et —. Cum quaeque eiusmodi oppoſitio mutua ſit, facile intelligitur vna alteram vel totam tolli vel ex parte, neque tamen eas, quae ante ſe + habent, ab iis, quibus ſignum — praefixum eſt, eſſe diuerſas. Nauis inde a Portugallia petat Braſiliam. Omnes illi tractus, quos peragrat cum vento oriente, notentur ſigno +, eosque, quos cum vento occidente abſoluit, ſigno —. Ipſis numeris deſignentur milliaria. Tum rectio intra dies ſeptenos + 12 + 7 — 3 — 3 + 8 = 19 milliaria verſus occidentem profecit. Eae quantitates, quibus — praefixum eſt, hoc ſigno tantummodo notatae ſunt vt ſigno oppoſitionis, quatenus cum iis, quibus + praefixum eſt, ſumi coniunctae debent; ſin autem cum

Digitized by Google

iis, quibus etiam — ſignum eſt, coniunctae ſunt, nulla amplius locum oppoſitio habet, quoniam haec relatio reciproca eſt, quae non niſi inter + et — inuenitur. Et cum ſubtractio in ſublatione verſetur, quae fit, cum quantitates oppoſitae ſumuntur coniunctae, patet, ſignum — proprie non eſſe ſubtractionis poſſe, vti plerumque proponitur, verum ſigno + et — ſimul demum ſolum ſubtractionem denotari. Quocirca $-4-5=-9$ nulla omnino ſubtractio fuit, ſed vera auctio atque additio quantitatum generis eiusdem. At $+9-5=4$ notat ſubtractionem, propterea quod ſignis oppoſitionis indicatur, vnam in altera, quantum ſibi aequale ſit, tollere. Sic ſigno + in ſe ſolo proprie nulla notatur additio, ſed ſolum, quatenus, cui praefixum eſt, quantitas cum alia debet, itidem + ſignata, vel ſic cogitata, coniungi. Quodſi autem ea cum quantitate debeat — notata ſimul coniungi, id fieri non poteſt niſi per oppoſitionem, et tum et ſigno + et — denotatur ſubtractio, ſcilicet quantitatem vnam in altera quantum ſibi aequale ſit tollere, velut $-9+4=-5$. Idcirco ſignum —, in hoc caſu $-9-4=-13$, nullam ſubtractionem indicat, ſed additionem, perinde ac ſignum + in exemplo $+9+4=+13$. Namque in genere quatenus ſigna ſunt eadem, res ſignatae ſimpliciter ſunt computandae, quatenus vero diuerſa ſunt, ea non poſſunt colligi niſi per oppoſitionem, id eſt, per ſubtractionem. Quamobrem haec duo ſigna in matheſi tantummodo faciunt ad ea discernenda, quae inuicem ſunt ſibi oppoſita, id eſt, quae ſe inuicem in colligendo vel totae tollunt, vel ex parte; vt primo haec ratio reciproca inde cognoſcatur, et deinde, altera ab altera deducta, a qua deduci ſe paſſa eſt, ſcire queat, ad vtram quantitatem ſumma pertineat. Sic in ſuperiori caſu idem efficeretur, ſi iter cum vento oriente per — et rectio cum vento occidente per + fuiſſet notatum, tum vero ſummae ſignum — fuiſſet.

Ex quo oritur conceptus mathematicus *quantita-*

tis negatiuae. Quantitas reſpectu alius quantitatis negatiua eſt, quatenus cum ea non poteſt niſi per oppoſitionem ſimul ſumi, ita nimirum, vt vna in altera quantum ſibi aequale eſt tollat. Haec ſane quidem relatio reciproca eſt, et quantitates ſibi inuicem oppoſitae mutuo de ſe inuicem tollunt aequale, ita vt proprie nulla poſſit quantitas ſimpliciter negatiua vocari, ſed dicendum ſit, + a et — a vnam alterius eſſe quantitatem negatiuam. Verum cum hoc ſemper queat cogitatione addi, mathematici ſemel vſum receperunt, vt quantitates quibus ſignum — praefixum eſt, quantitates negatiuas dicerent, in quo quidem nihilominus haud negligendum eſt, ea denominatione non peculiare quoddam genus rerum quoad qualitatem earum internam denotari, ſed hanc rationem reciprocam, vt cum quibusdam rebus aliis ſigno + notatis in oppoſitione ſimul ſumantur.

Vt ex hoc conceptu id ſumamus, quod proprie quaſi quaedam materia philoſophiae ſubiectum eſt, nullo ſeparatim habito quantitatis reſpectu: primo monemus in eo oppoſitionem contineri, quam ſupra realem adpellauimus. Sunto + 8 ſortes, — 8 debita paſſiua, non pugnat vtrasque ad vnam perſonam pertinere. Interim vna tollitur aequale, quod poſitum erat per alteram, et conſequens eſt Zero. Igitur pecunias debitas dicam ſortes negatiuas. Has vero non intelligam negationes merasue ſortes negatiuas; tum enim ipſarum ſignum Zero foret, eaque ſors debitumque coniuncte pretium efficerent poſſeſſionis 8 + o — 8, quod falſum eſt, ſed debita rationes poſitiuas eſſe ſortium deminuendarum. Cum igitur tota haec denominatio ſemper ſolum relationem certarum rerum ad ſe inuicem indicet, ſine qua iſte conceptus continuo ceſſat, abſurdum foret idcireo ſingulare rerum genus cogitari, easque res negatiuas vocari, ipſum enim vox mathematica quantitatum negatiuarum non ſatis adcurata eſt. Namque res negativae generatim denotarent negationes, qui vero nullo

Digitized by Google

modo conceptus eſt, quem volumus conſtituere. Satis eſt potius, nos relationes reciprocas iam explicaſſe; quibus totus hic conceptus efficitur, quaeque conſiſtunt in oppoſitione reali. Interim vt ſtatim in verbis declaremus, vnum oppoſitorum non contrarium contradictorium alterius, et, ſi hoc quiddam paſſivum ſit, illud non eſſe negationem ſolam, verum, vti mox videbimus, vt quiddam aiens ei oppoſitum eſſe: ſecundum viam rationemque mathematicorum, occaſum dicere ortum negatiuum, caſumque negatiuum, vt ſimul e vocabulo pateat, caſum, vt hoc vtar, abſcenſu non ſolum differre, vti non *a* ab *a*, ſed perinde poſitiuum eſſe atque adſcenſum, ſed cum eo coniunctum cauſſam negationis in ſeſe cohibere, Ac ſane quidem planum eſt, memet, cum omnia hoc loco pendeant ad relationem reciprocam, pariter occaſum poſſe ortum dicere occaſum negatiuum, itemque ſortes perinde ſunt in debitis negatiuis, ac debita in ſortibus negatiuis. Verum conuenientius eſt, vt ei, quod in quauis cauſſa fines maxime ſpectat, nomen tribuatur *negatiui*, ſi velis contrarium eius reale deſignare. Sic conuenientius nomina dicuntur ſortes negatiuae, quam vice verſa, quamquam in ipſa relatione reciproca nullum discrimen ineſt, ſed in relatione conſectarii ex hac relatione reciproca ad finem reliquum. Moneo adhuc modo, memet nonnumquam dictione vſurum eſſe, rem quampiam *negatiuam* eſſe alterius. Velut res negatiua ortus eſt occaſus, quo non negationem alterius, ſed quiddam, quod cum alio verſatur in oppoſitione reali, intelligi volo.

Huiusce oppoſitionis realis pronuntiatum ſequens vt *regula primaria* notandum eſt. Repugnantia realis tantummodo locum habet quatenus duarum rerum vt *rationum poſitiuarum* vna alterius conſequentiam tollit. Vis motrix ratio eſto poſitiua: tum repugnantia realis tantummodo poteſt locum habere, quatenus alia vis motrix cum ea coniuncta mutuo conſequens tollit. Argumento generali hoc eſſe pot-

eſt. Determinationes inuicem repugnantes *primo* in eodem ſunt ſubiecto deprehendendae. Fac enim quamdam determinationem eſſe in re aliqua aliamque, quam placuerit, eſſe in alia, inde nulla vera oppoſitio exſiſtit *). *Deinde* vna determinationum oppoſitarum in oppoſitione reali non poteſt contrarium eſſe contradictorium alterius; tum enim repugnantia logica, quae, vt in ſuperioribus disputauimus, fieri non poteſt. *Tertio* determinatio non poteſt quidpiam negare, niſi quod poſitum ſit per alteram. *Quarto* denique, quatenus ſibi inuicem repugnant, haud ambae poſſunt negantes eſſe, tum enim per nullam ponitur aliquid, quod per alteram tolleretur. Tali modo res, quarum vna vt negatiua alterius conſideratur, ambae per ſeſe ſpectatae, ſunt poſitiuae, verum in ſubiecto quodam coniunctae, conſequens eſt Zero. Vectio verſus occidentem pariter motus poſitiuus eſt, quam quae fit verſus orientem, tantummodo in eadem naui viae ea abſolutae inuicem ſe totae vel ex parte tollunt.

Haec non ita dico, quaſi his rebus ſibi inuicem realiter oppoſitis caeteroquin haud multae negationes includantur. Nauis, quae verſus occidentem mouetur, tum non mouetur verſus orientem vel meridiem, et ſic porro, neque ea in omnibus locis ſimul eſt. Et multa ſunt praeterea negationes motui eius adhaerentes. Verum id, quod in motu verſus et occidentem et orientem praeter has omnes negationes poſitivum eſt, vnum eſt, quod ſibi inuicem realiter poteſt repugnare, cuiusque conſequens Zero videtur.

Idem ſignis generalibus hoc modo poteſt illuſtrari. Omnes negationes verae, quae proinde fieri queunt, (fieri enim non poteſt eorum, quae ſimul in ſubiecto poſita ſunt, negatio) per zero = o exprimi

*) In vlteriori tractatione etiam de oppoſitione *potentiali* agemus.

Digitized by Google

poſſunt, et adfirmatio per quodque ſignum poſitiuum; ſed coniunctio in eodem ſubiecto per + vel —. Hic intelligitur, A + o = A, A — o = A, o + o = o, o — o = o *) cunctas nullas eſſe oppoſitiones, in nullaque quidpiam, quod poſitum fuit, tolli. Item A + A nulla ſublatio eſt, nullusque caſus relinquitur, quam hic, A — A = o, id eſt, rerum, quarum vna alterius negatiua eſt, ambas A, ideoque vere poſitivas eſſe, ita tamen, vt vna eam tollat, quae per alteram poſita eſt, id quod hic per ſignum — indicatur.

Altera regula, quae proprie conuerſio eſt ſuperioris, ſic ſe habet: vbicumque ratio poſitiua eſt et conſequens nihilominus Zero eſt, ibi oppoſitio eſt realis, id eſt, haec ratio cum ratione alia poſitiua coniuncta eſt, quae negatiua eſt prioris. Si nauis in mari libero reapſe vento oriente pellitur, neque loco mouetur, certe non tantum, quantum rationis vento continetur, neceſſe eſt vt fluxus maris contra manet. Id quod in vniuerſum hanc vim habet, vt ad tollendum conſequens rationis poſitiuae ſemper quoque opus ſit ratione poſitiua, Eſto, quae placuerit, ratio conſequentis *b*, numquam poteſt conſequens o eſſe, niſi quatenus ratio — b, id eſt, cuiuspiam adſit poſitini, priori oppoſiti; b — b = o. Si quis 10000 Ioachimicorum ſortem haereditate reliquerit, vniuerſa haereditas non ſolum 6000 Ioachimicis conſtare poteſt, niſi quatenus 10000 — 4000 = 6000 eſt, nimirum quatenus quatuor millia aeris alieni aut alius impenſae cum iis ſint coniuncta.

*) Poſſis exiſtimare, o — A caſum adhuc eſſe hic omiſſum. Verum hic ſenſu philoſophico fieri non poteſt; namque de nihilo nullo modo quidquam poſitiuum tolli poteſt. Si in matheſi haec oratio vera eſt, idcirco eſt, quia Zero neque auctionem neque deminutionem per quantitates alias vllo modo mutat. A + o — A etiamnum et A — A, ideoque Zero prorſus otioſum. Sententia inde depromta, quaſi quantitates negatiuae *minus* ſint *nihilo*, proinde vana eſt atque abſurda.

Digitized by Google

Huic ſectioni liceat ſcholion quaſi quemdam cumulum addi. Negatio, quatenus conſequens eſt oppolitionis realis, vocabo *priuationem*; vnaquaeque negatio autem, quatenus non ex hoc genere repugnantiae oritur, hoc loco dicatur *defectus* ſiue abſentia. Haec poſterior nullam rationem poſitiuam poſtulat, ſed ſolum illius defectum; priori vero vera ratio poſitionis eſt, et aeque magnam oppoſitam. Quies in corpore quodam vel ſolum defectus eſt, id eſt, negatio motus, quatenus nulla adeſt vis motrix; vel privatio, quatenus vis motrix quidem deprehenditur, ſed conſequens, nempe motus, per vim oppoſitam tollitur.

SECTIO SECUNDA,

IN QUA EX PHILOSOPHIA ADFERUNTUR EXEMPLA, IN QUIBUS OBVIUS EST CONCEPTUS QUANTITATUM NEGATIVARUM.

I.

Quodque corpus per impenetrabilitatem vi motricis alius cuiusdam reagit, ne in ſpatium penetret, quod ipſum occupat. Cum illud in vi alterius ad motum nihilominus ratio ſit eius quietis, ex ſuperioribus ſequitur, impenetrabilitate pariter vim veram in partibus corporis ſupponi, qua coniuncta ſpatium capiant, atque ea fuerit, qua aliud in hoc ſpatio conatur ad ſeſe mouendum.

Mente vobis et cogitatione duos informetis elateres contra ſe inuicem nitentes. Sine dubio per pares vires ſe inuicem quiete tenent. Inter vtrumque ponatis elaterem vi elaſtica aequali; haec niſu ſuo idem effectum edet, et ambo elateres ſecundum regulam aequalitatis actionis et reactionis quieſcent. Contra loco huius elateris quodque corpus ſolitum interpo-

Digitized by Google

nitis, eo idem efficietur, illique elateres per eius impenetrebilitatem quieſcent. Igitur cauſſa impenetrabilitatis vis vera eſt, ſiquidem, quod vis vera, idem efficit. Si ergo *attractionem* dixeris cauſſam qualemcumque, vi cuius corpus quoddam alia corpora cogat verſus ſpatium, quod capit, premere, aut ſe movere (ſed hoc loco ſatis eſt, iſtam attractionem tantummodo cogitari), impenetrabilitas *attractio* eſt *negatiua*. Eo tum indicatur, eam rationem pariter poſitiuam eſſe, atque quamque vim motricem aliam in natura rerum, cumque attractio negatiua proprie vera ſit repulſio, in viribus elementorum, quibus fit, vt ſpatium occupent, ita tamen vt his ipſis carceres conſtituant, per conflictum virium duarum ſibi inuicem oppoſitarum occaſio praebetur multarum illuſtrationum, in quibus memet arbitror ad cognitionem diſtinctam certamque peruenisſe, quam alia disputatione in vulgus proferam.

2.

Exemplum e pſychologia depromamus. Quaeritur: An taedium tantummodo defectus voluptatis, vel ratio priuationis illius, quae per ſe ipſa aliquid poſitiuum ſit, nec ſolum contrarium contradictorium, ſed ſenſu reali oppoſita, ideoque an taedium dici *voluptas negatiua* queat? Iàm ſtatim initio ſenſatio docet interna, taedium plus eſſe, quam ſolam negationem. In qua enim cumque voluptate fueris, tamen in ea ſemper adhuc voluptas quaedam deeſt poſſibilis, quamdiu naturae ſumus circumſcriptae. Is qui medicinam capit, quae inſtar aquae purae ſapit, fortaſſe voluptatem percipit de recta valetudine ſperata; ſed in ſapore nullam fere voluptatem perſentiſcit, qui vero defectus nondum taedium eſt. Praebeatis ei medicinam ex abſinthio. Haec ſenſatio admodum poſitiua eſt. Hic non ſolus defectus voluptatis eſt, ſed quidpiam, quod vera cauſſa ſenſus eſt, quem taedium adpellamus.

Verum ex hac illuſtratione fere tantummodo poteſt intelligi, taedium non tantummodo defectum eſſe, ſed ſenſationem poſitiuam; eam autem cum quidpiam poſitiuum eſſe, tum quoque voluptati realiter oppoſitam, hoc modo patet euidentiſſime. Nuntium fertur ad matrem quamdam Spartanam, filium in praelio pro patria fortiſſime pugnaſſe. Senſus voluptatis gratus anima illius potitur. Addunt, eum in eo glorioſam mortem oppetiiſſe. Hoc admodum voluptatem illam minuit, eamque ad minorem gradum reuocat. Gradus voluptatis ex ratione priori ſola eſto $4\,a$, taediumque ſit tantum negatio $= 0$, vtroque coniunctis pretium voluptatis $4\,a + 0 = 4\,a$, ideoque voluptas per nuntium mortis haud fuiſſet deminuta, quod falſum eſt. Quamobrem voluptas ex fortitudine eius declarata eſto $= 4\,a$, et quod, poſtquam ex altera cauſſa taedium cooperatum eſt, relinquitur, $= 3\,a$, taedium $= a$, idque negatiuum eſt voluptatis, quippe $-a$, et proinde $4\,a - a = 3\,a$.

Aeſtimatio totius pretii voluptatis cunctae in ſtatu mixta vehementer quoque abſurda foret, ſi taedium mera negatio eſſet atque τῷ Zero aequale. Fac quemdam villam emiſſe, vnde quotannis 2000 Ioachimicorum redirent. Gradum voluptatis de iſto reditu, quatenus ea pura eſt, efferas 2000. Quaecumque autem ex hisce acceptis ei expendenda ſunt, nulla inde fruitione percipienda in ratione taedii ſunt. Merces fundi 200 Ioachimicorum, merces ſeruorum 100, impenſae inſtaurando faciendae 150 quotannis. Si taedium in mera negatione $= 0$, verſetur, cunctis computatis voluptas, ex emtione erit $2000 + 0 + 0 + 0 = 2000$, id eſt, pariter tanta, ac ſi reditu ſine expenſis frui poſſet. Iam vero manifeſtum eſt, ei non eſſe de his reditibus laetandum, niſi quatenus ei deductis expenſis aliquid relinquatur, gratusque complacentiae $2000 - 200 - 100 - 150 = 1550$. Igitur taedium non ſolum defectus eſt voluptatis, ſed ratio poſitiua voluptatis, quae ex alia ratione locum habet,

Digitized by Google

totius vel ex parte tollendae, ideoque eam *voluptatis* dico *negatiuam*. Defectus et voluptatis et taedii, quatenus ex inopia rationum deriuandus eſt, *indifferentia* vocatur. Defectus voluptatis perinde ac taedii, quatenus ex oppoſitione parium rationum conſequitur, dicitur *aequilibrium*: vterque eſt Zero, prior vero negatio, poſterior priuatio. Status animi in quo, voluptate taedioque oppoſitis inaequalibus vtrius earum ſenſationum quidpiam relinquitur, eſt ſuprapondium voluptatis vel taedii. Ex eiusmodi conceptibus celeberrimus *Maupertuiſius* in tentamine philoſophiae moralis ſummam felicitatis humanae voluit aeſtimare, eaque non-aliter aeſtimari poteſt, ſed ea quaeſtio hominibus ineuodabilis eſt, ſiquidem non niſi ſenſationum ſimilium fieri ſumma poteſt, ſenſus autem in ſtatu vitae admodum intricato pro permotionum varietate valde varius videtur. Calculo ſubducto vir doctus ſummam inuenit negatiuam, in quo quidem nihilominus illi neutiquam adſentior.

Ob has cauſſas *abominatio cupiditas* poteſt *negativa*, *odium amor negatiuus*, *turpitudo pulcritudo negatiua*, *vituperium gloria negatiua* et ſic porro adpellari. In quo quidem fortaſſe poſſis cogitare haec omnia non niſi in nundinatione verborum verſari. Verum ſolum ii ſic iudicabunt, qui neſciunt, quantum commodum pariatur, cum verbis ſimul relationes ad conceptus iam notos indicantur, qua de re ex minima matheſeos peritia quisque poteſt facile edoceri. Vitium, in quod ob hunc neglectum multi philoſophi inciderunt, in aprico eſt. Videmus eos maximam partem mala tractare vt ſolas negationes, quamquam ex iis, quae disputauimus, planum eſt, mala defectus et mala priuationis eſſe. Illa poſita in negationibus ſunt, quorum poſitionis oppoſitae nulla ratio eſt, poſterioribus rationes poſitiuae ſupponuntur, illius boni tollendi, cuius reuera alia ratio eſt, eaque in *bonis* ſunt *negatiuis*. Hoc poſterius longe maius malum eſt priori. Non dare reſpectu eius, qui indiget, malum

eſt, ſed tollere, exigere, furari reſpectu illius multo maius eſt, et *tollere* eſt *negatiuum dare.* Simile poſſet in relationibus logicis oſtendi. *Errores* ſunt *veritates negatiuae* (ne hoc confundas cum veritate enuntiationum negatiuarum), *confutatio* eſt *argumentum negatiuum;* ſed vereor ne ea in re longus ſim. Mihi tantummodo propoſitum eſt efficere, vt iſti conceptus frequententur, vtilitas ex vſu emerget, de eaque ſectione tertia nonnulla aperiam.

3.

Conceptus oppoſitionis realis quoque vtiliter poſſunt in philoſophia practica adhiberi. *Demeritum* non ſolum negatio eſt; ſed *meritum negatiuum.* Etenim demeritum tantummodo locum habere poteſt, quatenus vt in natura lex interna eſt (aut ſolum religio, aut etiam conſcientia legis poſitiuae), contra quam agitur. Haec lex interna ratio eſt actionis bonae, et conſequens ſolum idcirco eſſe zero poteſt, quoniam ea, quae ex conſcientia legis tantummodo manaret, tollitur. Hic igitur priuatio eſt, oppoſitio realis, nec ſolum defectus. Noli putare, id tantummodo *demerita commiſſionis*, non vero ſimul *demerita omiſſionis* ſpectare. Bruti nullum meritum eſt. Nec vero ea omiſſio demeritum eſt. Neque enim vlli legi internae aduerſatum eſt. Non ſenſu morali interno illud ad actionem bonam impulſum eſt, eoque quod illi re egerit aut ope reſiſtentiae zero ſiue omiſſio vt conſequens haud determinatum eſt. Hic ſimpliciter negatio eſt, per defectum rationis poſitiuae, et nulla priuatio. Fac e contrario, hominem illi, cuius ſolicitudinem nouit, cuique facile ſuccurrere poſſit, haud opem ferre. Hic, vt in corde cuiusque hominis, lex eſt poſitiua humanitatis. Haec pondere vincenda eſt. Quo quidem vera pertinet actio interna ex cauſiis moventibus, vt fieri nequeat intermiſſio. Hoc zero conſequens eſt oppoſitionis realis. Ac profecto quidem initio quibusdam hominibus aliquis labor creatur in bono quodam omittendo, ad quod impulſiones poſiti-

Digitized by Google

vs in ſe perſentiſcunt; conſuetudine omnia leuan-tur, eaque actio tandem parum adhuc percipitur. Igitur peccata commiſſionis a peccatis omiſſionis *moraliter* non *genere* differunt, ſed duntaxat *magnitudine. Pinſice*, quippe quoad conſequentia externa, ea quoque *genere* ſunt diuerſa. Is, qui nihil accipit, malum perpetitur defectus, isque, cui demitur, malum privationis. At, quod ſtatum attinet moralem illius cui competit peccatum omiſſionis, ad peccatum commiſſionis opus eſt gradu actionis maiori. Quemadmodum in recto pondus contrarium vim veram exſerit, donus tantummodo in quiete ſeruandum, et non niſi quadam acceſſione opus habet, vt illud ad partem alteram moueatur: ita is, qui, quae debet, haud ſolvit, certis temporibus, vt lucretur, defraudabit, et qui non, ſi poteſt, opem fert, is, ſimulatque cauſſae mouentes creſcunt, alterum perdet. Amare et non amare ſunt ſibi inuicem contraria contradictoria *Non amare* vera negatio eſt, ſed reſpectu eius, ad quod amandum tibi conſcius es, te eſſe obligatum, haec negatio fieri non poteſt niſi per oppoſitionem realem, ideoque duntaxat vt priuatio. Atque in tali cauſſa *non amare* et *odiſſe* tantummodo magnitudine differunt quaſique gradu. Contra omiſſiones omnes, quae quidem defectus ſunt maioris perfectionis moralis, non vero *peccata* omiſſionis, non niſi ſimpliciter negationes ſunt cuiusdam meriti, neque priuationes ſeu demerita. Cuiusmodi ſunt defectus ſanctorum vitiaque mentium generoſarum. Deeſt certa quaedam ratio maior perfectionis, defectus ſeſe exſerit non propter reactionem.

Vſus horum conceptuum ad res philoſophiae practicae ſubiectas admodum poſſet amplificari. *Interdicta* ſunt *praecepta negatiua*, *poenae* ſunt *praemia negatiua*, et ſimilia. Verum conſilium in praeſens adſecutus ſum, ſi modo vſus huiusce cogitationis omnino fuerit intellectus. Ac ſentio equidem, lectoribus clarioris perſpicientiae hanc illuſtrationem viſum

iri longiorem, quam neceſſe ſit. Verum memet excuſabunt, ſimulatque cogitauerint, alioquin eſſe genus quoddam indocile diiudicantium, qui, vitam ſolum in vno libro propagantes, nihil intelligunt, niſi quod illo continetur, eorumque reſpectu ſumma longitudo haud ſuperuacanea eſt.

4.

Atque aliud exemplum ex phyſica proferemus. In rerum natura multae ſunt priuationes ex conflictu duarum cauſſarum efficientium, quarum vna conſequens tollit alterius per oppoſitionem realem. Sed ſaepenumero incertum eſt, vtrum fortaſſe ſolum ſit negatio defectus, quoniam cauſſa deficit poſitiua, an conſequens ſit oppoſitionis virium verarum, veluti quies vel cauſſae mouenti deficienti tribuenda eſt, vel pugnae duarum virium motricium ſe inuicem retardantium. Sic, vt hoc vtar, nobilis quaeſtio eſt, vtrum frigus cauſſam poſitiuam poſtulet, an, vt ſimpliciter defectus, abſentiae cauſſae caloris. Pro ratione conſilii aliquantum ea in re liceat immorari. Sine dubio frigus ipſum non niſi negotio caloris eſt, facileque intelligitur, illud per ſe ipſum quoque eſſe poſſe ſine ratione poſitiua. Sed itidem facile intelligitur, iſtud etiam a cauſſa quadam poſitiua poſſe proficiſci, et reapſe nonnumquam inde exſiſtere, qualemcumque de caloris origine ſententiam ſequare. Nullum in rerum natura frigus abſolutum nouimus, et cum de illo loquimur, tantummodo comparatiue iſtud intelligimus. Iam experientia argumentaque rationis in eo conſpirant, vt ſententia celeberrimi Muſchenbrockii confirmetur: calefactionem non in concuſſione interna, verum in vero transitu ignis elementaris ex vna materia in alteram conſiſtere, quamquam iſte transitus, opinor, comitem habeat concuſſionem internam, itemque hac concuſſione excitata egreſſus ignis elementaris ex corporibus iuuetur. Hoc modo, cum elementum ignis in corporibus in certo ſpatio quodam verſatur in aequilibrio, corpora

erga ſe inuicem ſpectata nec frigida erunt nec calida. Quo vero aequilibrio ſublato, ea materia, in quam transit ignis elementaris, reſpectu eius, quod ea hoc modo priuatur, *frigida* eſt, contra hoc, quatenus in illis hanc caloris materiam cedit, eius reſpectu, *calidum* vocatur. Status in hac mutatione in illo calefactio dicitur, in hoc adpellatur refrigeratio, donec rurſus in aequilibrio ſit.

Iam nihil cogitari naturae conuenientius poteſt, quam viribus materiae attractiuis fluidum ſubtile iſtud atque elaſticum moueri maſſamque corporis eo repleri, vsque dum vbique in aequilibrio verſetur, ſi ſcilicet ſpatia pro ratione attractionum ibi agentium eo repletum videatur. Atque hoc loco incurrit in oculos, vna materia alteram in contrectatione refrigerari, vi vera (attractionis) ignem elementarem eripere, quo maſſa alterius erat repleta, illiusque corporis frigus *calorem* poſſe *negatiuum* adpellari quia negatio, qui in corpore calidiori inde ſequitur, in priuatione verſatur. Verum hic vſurpatio iſtius nominis inutilis foret atque inſtar luſus verborum. Conſilium meum in eo non niſi ea ſpectat, quae mox ſequentur.

Ex longo tempore notum eſt, corporum magneticorum duo eſſe extrema ſibi inuicem oppoſita, quae poli vocantur, quorumque vnum punctum eiusdem nominis in altero repellit alterumque attrahit. Verum celeberrimus *Aepinus* in disputatione de ſimilitudine virtutis electricae et magneticae oſtendit, corpora electriſata certo modo quodam tractata itidem duo polos habere, quorum vnum *poſitiuum*, alterum *poſitiuum* polum adpellat, quorumque vnus ea attrahit, quae ab altero repelluntur. Quod phaenomenon maxime diſtincte percipitur, cum corpori electrico tubus ſatis prope admouetur, ita tamen, vt nullam ex eo ſcintillam eliciat. Iam aio, in calefactionibus aut refrigerationibus, hoc eſt, in omni caloris vel frigoris mutatione, in primis celere, quae in ſpatio quo-

dam cohaerente intermedio fit, vel in corporibus ad longitudinem expanſis, ſemper duo quaſi pilos caloris inueniri, quorum vnus poſitiuus ſit, id eſt, vltra gradum illius corporis, alter negatiuus, quippe infra hunc gradum caleſcat, hoc eſt, frigeſcat. Varias terrae ſcimus cauernas intus eo maius frigus oſtendere, quo magis extrinſecus aër et terra ſole in caleſcunt, et *Matthius Belius*, is qui montes deſcribit Carpatios, addit, morem eſſe ruſticorum in Transſyluania, vt potulenta refrigerent, ſi terra ea obruant celeremque ignem ſupra accendant. Videtur terrae lamina eo tempore in ſuperiori ſuperficie haud poſſe poſitiue incaleſcere, niſi in profunditate aliquantum maiori eius negatiua ſit. *Boerhauius* alioquin monet, ex igne focorum fabrilium in certa quadam diſtantia frigus exſtitiſſe. In aëre libero ſupra terrae ſuperficiem itidem videtur haec oppoſitio, praeſertim in mutationibus repentinis obtinere. Doctiſſimus *Iacobius* alicubi in armamentario Hamburgenſi docet: in ſummo frigore, quo ſaepius terrae longius protractae infeſtantur, tamen plerumque in longo tractu magna loca interiecta eſſe, in quibus caelum temperatum ſit ac lene. Pariter celeberrimus *Aepinus* in tubo, quem ſupra dixi, poli poſitiui extremi vsque ad negatiuum alterius certis diſtantiis mutuo variari adfirmat. In vlla quapiam aëris regione calefactio haud videtur poſſe incipere, niſi in quadam alia quaſi effectum poli negatiui, hoc eſt, frigus eodem ipſo excitetur, et hoc modo vice verſa frigus in vno loco celeriter creſcens faciat ad calorem in alia regione augendum, velut, cum baculus aereus vno extremo candefactus repente aqua refrigeratur, calor extremi alterius augeſcit. *) Quocirca discrimen po-

*) Experimenta, vt certiores nosmet de polis caloris oppoſitis reddamus, facile, opinor, erunt inſtituenda. In tubo horizontali lamineo pedem longo, vtroque extremo aliquantum ad perpendiculum ſurſum flexo, ſi ſpiritu vini repletus ex vna parte incenderetur, dum in altero extremo poneretur thermometrum, quantum equidem ſuſpicor, haec negatiua oppoſitio breui conſpicietur, vti quoque, vt per refrigerationem partis vnius effectum in altera parte perci-

Digitized by Google

lorum caloris ſtatim ceſſat, cum communicatio vel priuatio vt per totam materiam vniformiter ſe extenderet, ſat temporis fuit, quemadmodum tubus ampliſſimi *Aepini* vnius modi tantum electricitatem monſtrat, ſimulatque ſcintillam elexerit. Fortaſſe quoque magnum frigus ſuperioris aëris regionis non ſolum defectui inſtrumentorum calefaciendi, verum cauſſae cuidam poſitiuae tribuendum eſt, ſcilicet vt reſpectu caloris pro eo negatiuum ſit, atque aër inferior et territorium poſitiui ſunt. Omnino vis magnetica, electricitas et calor fieri per eamdem materiam intermediam. Omnes cuncti poſſunt fricando excitari, et ſuſpicor diuerſitatem polorum atque oppoſitionem effectionis poſitiuae et negatiuae tractatione ſcita ac ſolerte perinde in phaenomenis caloris poſſe obſeruari.

peretur, aqua vti poſſes ſalinari, in quam ex vna parte glacies poſſet diminuta coniici. Hac occaſione data monebo, ab hac obſeruatione, quam cuperem inſtitui, veri videri ſimillimum, enodationi frigoris et caloris artificioſi in certis quibusdam ſoluendis materiis mixtis, multum lucis adlatum iri. Mihimet quippe perſuadeo, discrimen horum phaenomenorum maxime in eo poſitum iri, num liquores mixti poſt plenam coalitionem maius minusue volumen capiant, quam ſpatium ante mixtionem totum effecit. Si prius foret, ea fieri calorem aio, ſi poſterius, frigus in thermometro oſtenſura fore. Nam cum iis, in ſuperiori caſu, poſt commiſtionem medium craſſius efficiatur, non ſolum plus materiae attractiuae, quae elementum abſorbet ignis vicini quam antea in ſpatio aequali, verum etiam ſuſpicari poteſt, facultatem attractiuam fieri maiorem, quam pro ratione denſitatis augeſcentis, interim dum fortaſſe vis expanſiua aëris condenſati duntaxat vti in aëre pro ratione denſitatis creſcit, quoniam ex Newtoni ſententia attractionum in magna propinquitate multo maior proportio eſt, quam conuerſarum diſtantium. Hoc modo mixtio, ſi eius denſitas maior ſit, quam ambarum rerum miſcibilium denſitas ante mixtionem coniunctarum, reſpectu corporum vicinorum ſuprapondium monſtrabit attractionis erga ignem elementarem, eumque thermometrum eo priuat, frigus oſtendet. Omnia autem euenient conuerſa, ſi mixtione medium tenuius efficiatur. Dum enim vim ignis elementaris mittit, materiae vicinae attrahunt, oſtenduntque phaenomenon caloris. Euentus experimentorum haud ſemper conuenit cum exſpectatione. Quodſi autem experimenta non mera res caſus fortuiti eſſe debeant, ſuſpicione iis, neceſſe eſt, occaſio praebeatur.

Superficies obliqua Galilaei, perpendiculum Huygenſii, tubus mercurialis Torricelli, antlia pneumatica Ottonis Guericcii clauem nobis magnorum myſteriorum naturae ſuppeditarunt. Efficientia materiarum poſitiua et negatiua, praeſertim in electricitate, videntur adhuc graues cognitiones occultari poſteritasque felicior, cuius pulcros dies nosmet proſpectamus, earum rerum, ſpero, leges vniuerſales cognoſcet, quae nunc nobis videntur in conuenientia ambigua.

SECTIO TERTIA,

NONNULLAS MEDITATIONES CONTINENS, QUAE AD CONCEPTUM HUNC AD VSUM TRANSFERENDUM IN REBUS PHILOSOPHIAE PROPOSITIS POSSUNT PRAEPARARE.

Quae hactenus disputaui, primi tantum oculi ſunt, quos in rem grauiſſimam, ſed itidem difficillimam eonieci. Quodſi ab exemplis adlatis, quae ſatis comprehenſu facilia ſunt, ad enuntiationes adſcendimus vniuerſales, iure maxime timendum eſt, ne in via haud trita hallucinationes fieri queant, quae fortaſſe non niſi in progreſſu innoteſcant. Quamobrem ea, quae hac de re adhuc dicenda ſunt, ſolum tentaminis loco, valde imperfecti habenda eſſe volo, quamquam attentionis, quam in iis collocaturus ſis, variam vtilitatem redundaturam ſpero. Probe ſcio; eiusmodi confeſſionem admodum prauam commendationem eſſe ad adſenſum iis, qui orationem poſtulant audacem dogmaticam, vt in quamcumque duci directionem queant. Verum, ſine vllo doloris de iactura adſenſus ſenſu, in tam lubrica cognitione, qualis metaphyſica eſt, multo conuenientius eſſe duco, vt cogitata antea examini publico in forma incertorum tentaminum proponam, quam ea ſtatim cum omni ornatu ſolidita-tis arrogatae firmitatisque plenae atque abſolutae annuntiare, quoniam tum plerumque omnis emendatio

Digitized by Google

mandatur, malumque quoduis, quod in eo deprehenditur, insanabile redditur.

I.

Quisque facile intelligit, cur aliquid non sit, quatenus nimirum ratio positiua eius desit, sed quomodo, quod adest, id esse desinat, haud ita facile intelligetur. Veluti exstat in praesens, vt hoc vtar, in anima mea repraesentatio solis per vim phantasiae. Momento sequenti desino eam rem cogitare. Haec repraesentatio, quae fuit, desinit in me esse, statusque proximus est zero status prioris. Quodsi caussam eius rei vellem adferre, cogitationem propterea cessasse, quod momento sequenti omisissem eam efficere, tum reiponsio a quaestione foret nullo modo diuersa; nam de eo ipso sermo est, qui fiat, vt, quae reuera fit, actio queat omitti, id est, esse posse desinere.

Quapropter adfirmo: *quisue interitus est actus negatiuus*, id est, ad tollendum quidpiam, quod adest, positiuum pariter opus vera ratione reali, quam ad idem, cum non est, producendum. Caussa superioribus continetur. Ponamus a, tum modo $a-a=0$, id est, non nisi quatenus par ratio realis sed opposita cum ratione τοῦ a coniuncta sit, a potest tolli. Natura corporea vbicumque gentium eius rei nobis exempla proponit. Motus numquam totus vel ex parte cessat, nisi vis motrix par illi, quae motum perditum potuisset producere, in oppositione coniungatur. Verum etiam experientia interna de tollendis, per actionem animae effectis repraesentationibus et cupiditatibus cum his optime conuenit. In nobis ipsis valde distincte persentiscimus, ad tollendam fugandamque cogitationem aegritudinis plenam, plerumque magna actione opus esse. Vera opus contentione est ad cogitationem risum elicientem delendam, si animum velis ad grauitatem componere. Quaeque abstractio nihil aliud est, quam sublatio certarum quarumdam repraesentationum clararum, quae plerumque idcirco

inſtituitur, vt id, quod reliquum eſt, eo clarius repraeſentetur. Quisque autem nouit, quantum actionis ad eam requiratur, atque ita *abstractio* dici poteſt *animi negatiua attentio*, id eſt, vera actio illi actioni, qua repraeſentatio clara redditur, oppoſita per coniunctionemque cum ea zero, ſeu repraeſentationum clararum defectus efficitur. Alioquin enim, ſi ea in negatione defectuque ſimplici conſiſteret, ad eum aeque minus contentione virium opus foret, quam ad id, vt aliquid neſciam, cuius rei numquam ratio aderat.

Eadem neceſſitas rationis poſitiuae ad tollendum accidens internum animae exſerit ſeſe in vincendis cupiditatibus, quam ad rem vti exemplis poteris ſupra adlatis. Omnino vero, etiam praeter eas cauſſas, cum huiusce actionis oppoſitae nobismet adeo conſcii ſumus, quasque enumerauimus, nulla ratio idonea eſt, eius negandae, ſi eam haud clare in nobis animaduertimus. Velut, vt hoc vtar, in praeſens tigrum cogito. Haec cogitatio abit, contraque mihi in mentem venit iaccalis. Sane quidem in ſucceſſione repraeſentationum nulla ſingularis animae contentio poteſt in nobis percipi, quae vim ſuam exſerat, ad vnam ex repraeſentationibus iſtis tollendam. Verum quae mirabilis actuoſitas in profundis ſpiritus noſtri latet abdita, quam in media actione haud animaduertimus, propterea quod actionum permultae ſunt, quaeque vero ſingularis duntaxat obſcure repraeſentatur. Argumenta eius rei cuique nota ſunt, ſiue in his ſolum actiones contempleris, quae ſenſim in nobis fiunt, cum *legimus*, neceſſe eſt, obſtupeſcas. In aliis logica Reimari ea de re conſuli poteſt, quae hanc in rem commentatur. Atque ita iudicandum eſt, luſu repraeſentationum omninoque actionum omnium animae noſtrae, quatenus earum conſequentia, poſteaquam exſtitere, rurſum ceſſant, actiones oppoſitas ſupponi, quarum vna alterius negatiua ſit, pro ratio-

Digitized by Google

nibus certis, quas attulimus, etsi haud semper experientia interna ea de re nos potest edocere.

Rationibus, in quibus regula hoc loco proposita nititur, perpensis, continuo animaduertes, in accidentibus naturarum spiritualium, quod *sublationem* spectat *cuiuspiam* rei exstantis, eatenus nullum posse discrimen esse, respectu consequentium virium agentium in mundo corporeo, scilicet ea numquam tolli, nisi vera vi motrice opposita *alius cuiusdam*, et accidens internum, cogitatio animae, esse non potest desinere, sine vi reapse agente *vnius eiusdemque* subiecti cogitantis. Discrimen hoc loco leges tantummodo diuersas attinet, quibus hoc vtrumque naturarum genus subiectum est; idcirco, quia status materiae numquam aliter potest, quam per caussam *externam* sed status spiritus quoque per caussam *internam* mutari; interim necessitas oppositionis realis praeter discrimen istud semper manet eadem.

Iterum moneo, conceptum fallacem esse, si sublationem consequentium positiuorum actionis animae nostrae putes te intellexisse, cum eas vocaueris *omissiones*. Perquam notatu dignum est, quo magis iudicia tua consueta maxime et confidentia perquisiueris, eo magis eiusmodi praestigias inueniri, vbi in verbis acquiescamus, rebus ne minima quidem ex parte intellectis. Memet iam certam quamdam cogitationem haud habere, inde, si ea antea itidem haud fuerit, sane potest intelligi, cum dico, mitto istud cogitare; quippe quod verbum tum defectum denotat rationis, ex qua defectus consequentis comprehenditur. Quodsi vero quaeras: quid caussae est, cur cogitatio in me haud amplius sit, quae breui ante fuit? tum superior responsio vana est atque irrita. Namque istud non-esse nunc est priuatio, omissionisque iam longe alius sensus est, *) nimirum sublationis

*) Hic sensus ipse verbo ne proprie quidem competit.

actionis quae fuit breui antea. Sed haec quaeſtio eſt, quam propono, et in qua per verbum aliquod non patiar memet mitti. In regula illa ad varias naturae cauſſas transferenda multa opus cautione eſt, ne falſo quidpiam negatiuum pro poſitiuo habeatur, id quod facile fit. Etenim enuntiationis, quam hoc loco attuli, ſenſus ortum ſpectat interitumque eius, quod poſitiuum eſt. Velut exſtinctio flammae, quoniam alimentum exhauſtum eſt, non eſt ortus negatiuus, id eſt, non poſita eſt in vera vi motrice, illi, ex qua oritur, oppoſita. Neque enim duratio flammae duratio eſt motus, qui iam adeſt, aliarum inflammabilium partium euaporantium. *) Quamobrem ceſſatio flammae non ſublatio eſt motus veri, verum defectus motuum nouorum pluriumque ſolutionum, propterea quod cauſſa deeſt, nimirum alimentum ignis alterius, id quod tum non vt ſublatio rei exſtantis, verum vt defectua rationis conſiderandum eſt poſitionis poſſibilis. Sed ſatis de hoc. Haec ita ſcribo, vt in eo genere expertis occaſio naſcatur vlterioris inueſtigationis; inexperti ſane quidem iure poſſent vberiorem illuſtrationem poſtulare.

2.

Enuntiationes, quas iam propoſiturus ſum, ſummi mihimet momenti videntur. Antea vero ad conceptum quantitatum negatiuarum generalem addenda determinatio eſt, quam ſupra deliberato animo omiſi, ne res attentioni intentae ſubiectae praeter modum cumularentur. Hactenus tantummodo rationes perpendi oppoſitionis realis, quatenus determinationes, quarum vna alterius negatiua eſt, *reapſe* in vna re atque eadem ponunt, verbi cauſſa, vires motrices corporis eiusdem, ex directionibus e diametro oppoſitis, et tum rationibus ex vtraque parte conſequentia,

*) Quodque corpus, cuius partes repente conuertuntur in vaporem ideoque repulſionem exſerunt, contextui oppoſitam, ignem eiicit et ardet, quoniam ignis elementaris qui antea comprimebatur, repente liberatus ſeſe extendit.

Digitized by Google

quippe motus, reuera tolluntur. Quapropter in praeſens hanc *oppoſitionem* dicam *actualem*. Contra in praedicatis, quae quidem rebus diuerſis competunt, quorumque vno alterius conſequens proxime haud tollitur, tamen iure vnum alterius negatiuum vocatur, quatenus quodque ita comparatum eſt, vt tamen vel alterius conſequens, vel certe aliquid, quod itidem determinatum eſt atque haec quaeſtio eique aequalis eſt, tollere poſſet. Haec oppoſitio poteſt *potentialis* adpellari. Ambae ſunt reales, hoc eſt, ab oppoſitione logica diuerſae, ambarum in matheſi vſus perpetuus eſt, ambae quoque dignae ſunt, quibus philoſophia vtatur. In duobus corporibus ad ſe inuicem in eadem linea recta paribus viribus motis hae vires, cum in pulſu cum ambobus corporibus communicentur, vna poſſunt alterius negatiua vocari, et quidem ſenſu priori per oppoſitionem actualem. In duobus corporibus in eadem linea recta ex directione oppoſita paribus ſeſe viribus ab ſe inuicem recedentibus, vna alterius negatiua eſt; ſed, cum in hacce cauſſa ſibi vires ſuas aut inuicem impertiant, duntaxat in oppoſitione potentiali verſantur, quoniam quodque tantam vim in eo tolleret, quanta in altero corpore eſt, ſi in iſtud quod ad eamdem directionem velut illud moueretur. Sic etiam in iis, quae ſequuntur de vniuerſis rationibus oppoſitionis in mundo realis intelligam, nec ſolum de iis, quae viribus motricibus competunt. Vt vero etiam reliquorum exemplum proponam, dici poſſet, voluptatem, in qua quis eſt, et taedium, quod alium capit, in oppoſitione potentiali verſari, vti quoque reapſe occaſione data altera alterius conſequens tollit, propterea quod in hac pugna reali ſaepenumero vnus perdit, quod alter voluptati ſuae conuenienter parat. Dum igitur rationes in vtroque ſenſu ſibi inuicem realiter oppoſitas generatim accipio, nolim a me poſtulari vt exemplis in ſingulo et concreto hos conceptus ſemper manifeſtem. Vt enim omnia, quae ad motus pertinent viſioni poſſunt clara reddi et facilia, ſic difficiles atque obſcurae nobis rationes rea-

les ſunt, quae non ſunt mechanicae, vt rationes earum ad conſequentia in oppoſitione conuenientiaque comprehenſibilis reddantur. Quamobrem mihi ſatis erit, haec pronuntiata in ſenſu generali euincere.

Pronuntiatum primum hoc eſt. *In omnibus mutationibus mundi naturalibus ſumma poſitiuorum, quatenus ea iis aeſtimatur, vt poſitiones conuenientes (non oppoſitae) addantur, realiterque oppoſitae ſibi inuicem ſubducantur, neque augetur, neque minuitur.*

Omnis mutatio conſiſtit in eo, vt aut quiddam, quod non fuit, poſitiuum ponatur, aut id, quod adfuit, tollatur. Naturalis vero mutatio eſt, quatenus ratio illius perinde atque conſequens ad mundum pertinet. Cum igitur poſitio, quae non aderat ponitur, mutatio eſt *ortus*. Status mundi ante hanc mutationem reſpectu huiusce poſitionis aequalis eſt τῷ zero = o, et per hunc ortum conſequens reale eſt = A. Ego vero adfirmo, cum A oritur, in mutatione mundana naturali etiam — A oriri oportere, id eſt, nullam eſſe rationem naturalem conſequentis realis poſſe, niſi ſimul ea ratio ſit alius cuiusdam conſequentis, quod negatiuum ſit illius. *) Nam quia conſequens nihil = o eſt, praeterquam quatenus ratio poſita eſt, ſumma poſitionis in conſequente haud plus continet, quam in ſtatu mundi fuit comprehenſum, quatenus illius rationem contineret. Sed hic ſtatus illius poſitionis, quae eſt in conſequente, continebat zero, id eſt, in ſtatu priori poſitio non erat, quae in conſequente deprehenditur, ergo mutatio, quae inde promanat in vniuerſitate mundi, pro conſequentibus actualibus et potentialibus, nec alii cuidam quam τῷ zero poteſt ſimilis eſſe. Cum igitur ex vna parte conſequens poſitiuum ſit et = A, nihilominus autem

*) Velut in pulſu corporis ad aliud productio motus noui cum ſublatione motus, qui antea fuit, aequalis fit. et vti nemo ex ſcapha aliud corpus natans poteſt verſus regionem quamdam pellere, niſi ipſum ad directionem oppoſitam pellatur.

ſtatus vniuerſi totus vti antea reſpectu mutationis A debeat zero =o eſſe, hoc autem fieri non poſſit, praeterquam quatenus A—A coniungendum ſit, ſequitur, vt numquam mutatio poſitiua naturaliter in mundo fiat, cuius conſequens haud in toto conſiſtat in oppoſitione actuali vel potentiale ſe ipſam tollente. Haec ſumma vero efficit zero =o, et ante mutationem itidem erat =o, ita vt eo nec aucta ſit nec deminuta.

Tum autem mutatio cernitur in ſublatione cuiusdam poſitiui, conſequens eſt =o. Sed ſtatus rationis vniuerſae ex iis, quae ſupra docuimus, erat non ſolum =A, ſed A—A=o. Ergo ſecundum aeſtimandi modum, quem hoc loco ſuppono, poſitio in mundo nec aucta eſt nec deminuta.

Hoc pronuntiatum, quod mihi grauiſſimum videtur, conabor illuſtrare. In mutationibus mundi corporei fixum illud iam ratumque ſtat vt regula mechanica dudum probata. Ea ſic effertur: quantitas motus, addendo vires corporum in easdem partes et ſubtrahendo eas, quae vergunt in contrarias, per mutuam illorum actionem (conflictum, preſſionem, attractionem) non mutatur. Verum, quamquam haec regula in matheſi pura haud proxime ex ratione metaphyſica deriuatur, ex qua pronuntiatum vniuerſale deriuauimus, tamen eius veritas reapſe in hac ratione poſita eſt. Lex enim inertiae, quae in probatione vſitata fundamentum conſtituit, veritatem ſuam tantummodo ab argumento adlato mutuatur, vti facile poſſem oſtendere, ſi liceret longum eſſe.

Illuſtratio regulae in qua occupamur in cauſſis mutationum haud mechanicis, velut earum quae fiunt in anima noſtra, aut quae ex ea omnino pendent, per naturam ſuam difficilis eſt, quemadmodum omnino haec effecta perinde atque illarum cauſſae permultum abeſt, vt tam facilia et intuitiue diſtincta queant exhiberi, quam quae fiunt in mundo corporeo. Nihi-

lominus tamen, quoad eius fieri videtur posse, in ea re lucem adferre studebo.

Auersatio pariter aliquid positiuum est, atque cupiditas. Illa est consequens positiuum taedii, quemadmodum haec est consequens voluptatis. Quatenus ex eadem re voluptatem taediumque simul capimus, cupiditates illius auersationesque in oppositione sunt actuali. Verum quatenus eadem ratio, quae in re quadam voluptatem efficit, simul ratio fit verae voluptatis ex *aliis*, rationes cupiditatum simul rationes sunt auersationum, ratioque cupiditatis simul est ratio cuiuspiam, quod cum ea in oppositione reali versatur, quamuis ea tantummodo potentialis est. Quemadmodum motus corporum, ad eamdem lineam rectam in directione opposita ab se inuicem discedentium, quamquam vnum alterius motum ipsum tollere haud cuantur, tamen vnus vt alterius negatiuus spectatur, quoniam potentialiter sibi ipsis oppositi sunt. Quamobrem, quantus cupiditatis gloriae gradus in quodam homine oritur, tantus quoque gradus auersionis simul oritur respectu contrarii, eaque auersio quidem duntaxat potentialis est, quamdiu status non in oppositione reali versantur quoad cupiditatem gloriae, nihilominus per eamdem caussam cupiditatis gloriae ratio positiua aequalis gradus taedii in anima constituta est, quatenus res mundi euenturae fuerint iis oppositae, quae illam promouent. *) Mox videbimus, in ente perfectissimo non sic esse, rationeque voluptatis summae omnem adeo taedii possibilitatem excludi.

In actionibus intelligentiae adeo videmus, quo maiori gradu certa quaedam repraesentatio clara reddatur et distincta, eo magis caeteras obscurari earum-

*)Idcirco philosophus stoicus omnes eiusmodi adpetitus, qui sensum in magnae voluptatis sensibilis perceptione cohibent, debuit exstirpare, quia cum iis simul rationes plantantur magnae perturbationis et aegritudinis, quibus pro vicissitudine rerum mundanarum tota potest dignitas sapientis tolli.

Digitized by Google

que claritatem minui, ita vt positiuum, quod in eiusmodi mutatione actuale fit, cum oppositione reali sit et actuali coniunctum, qua, si cuncta ex illo aestimandi modo coniungantur, gradus positiui per mutationem nec augeatur, nec deminuatur.

Alterum pronuntiatum hoc est: *Omnes vniuersi rationes reales, congregatis, quae conueniunt, et quae sibi inuicem oppositae sunt, ab se inuicem deductis, summam faciunt τῷ zero aequalem.* Totum mundi in se ipsum est nihil, praeterquam quatenus illud per voluntatem alius cuiusdam aliquid est. Quapropter summa omnis realitatis exstantis, quatenus in mundo fundata est, per se ipsa spectata τῷ Zero = o aequalis est. Quamquam autem omni, quae esse potest, realitate respectu voluntatis diuinae summa efficitur positiua, nihilominus eo essentia mundi nullo modo tollitur. Ex hac vero essentia necessario consequitur, vt existentia eius, quod in eo fundatum est per se τῷ Zero esse aequalem. Ergo eorum, quae in mundo exstant, summa respectu rationis illius, quae est extra eum, positiua est, sed ratione rationum realium internarum τῷ Zero aequalis. Cum autem in ratione illa superiori numquam oppositio rationum realium in mundo erga voluntatem diuinam locum habere queat, hoc respectu nulla sublatio est summaque positiua videtur. Quia vero in altera ratione summa est Zero, sequitur, vt rationes positiuae oporteat esse in oppositione, in qua spectatae summatae faciant Zero.

SCHOLION AD NUMERUM SECUNDUM.

Haec duo pronuntiata eo consilio proposui, vt lectorem ad cogitandum ea de re inuitarem. Fateor quoque, ea mihi ipsi haud satis perspicua esse neque cum euidentia idonea ex rationibus suis intelligenda. Interim tantopere ad veritatem mihi est persuasum, tentamina imperfecta, in cognitione abstracta problematice proposita incremento philosophiae sublimioris

valde esse vtilia posse; quoniam saepenumero accidit, vt alius quis quaestionis profunde abditae solutionem inueniat facilius, quam qui ei ansam praebuit, cuiusque nisus conatusque fortasse duntaxat dimidiam difficultatum partem superare potuerunt. Materiae horum pronuntiatorum certa quaedam inesse dignitas videtur, quae sane possit ad examen diligens adcuratumque excitare, si modo sensum eorum bene comprehendas, quod in eiusmodi cognitionum genere haud ita facile videtur.

Interim aliis adhuc calumniis operam dabo vt praeueniam. Nullo memet modo intelligeres, si opinarere, me priori pronuntiato hanc sententiam proposuisse: omnino summam realitatis per mutationes mundanas nullo modo augeri, nec deminui. Quod adeo non mens mea est, vt etiam, quam exempli gratia attuli, regula mechanica ipsum contrarium concedat. Namque pulsu corporum summa motuum modo augetur modo minuitur, si eam in se spectaueris, sed summa, *ad modum*, *quem simul adiunximus*, *aestimata*, id est, quod manet idem. Etenim oppositiones in multis caussis non nisi potentiales sunt, vbi vires motrices se inuicem haud tollunt actualiter, et vbi proinde augmento locus est. Verum aestimatione semel pro regula sumta, etiam hae ab se inuicem sunt deducendae.

Pariter iudicandum est in hoc pronuntiato ad mutationes non mechanicas adhibendo. Eadem foret calumnia, si cogitares, ex eodem decreto perfectionem in mundo nullo modo crescere posse. Neque enim isto pronuntiato negatur summam realitatis in genere non posse naturali modo augeri. Praeterea in hoc rationum realium oppositarum conflictu admodum consistit mundi perfectio in vniuersum, quemadmodum pars eius materialis manifesto per solam pugnam virium in cursu regalari seruatur. Ac semper permagna calumnia est, si summa realitatis cum magnitudine perfectionis pro eadem accipiatur. Supra vidimus, taedium perinde ac voluptatem quod-

Digitized by Google

dam positiuum esse; ecquis illud autem idcirco vocaverit perfectionem?

3.

Iamiam monuimus, saepenumero difficulter posse decerni, vtrum certae quaedam negationes naturae meri defectus sint, ob rationem quamdam deficientem, an priuationes ex oppositione reali duarum rationum positiuarum? In mundo corporeo exempla frequenter obuia sunt. Partes cuiusque corporis cohaerentes premunt versus se inuicem viribus veris (*attractionis*), et consequens istorum nisuum deminutio foret spatii, nisi actiones pariter verae iis gradu aequali reagerent, per repulsionem elementorum, cuius effectum ratio est impenetrabilitatis. Hic est quies, non propterea, quod vires motrices desint, sed quia sibi inuicem reagunt. Pariter quiescunt pondera in vtroque brachio lancis, cum ex legibus aequilibrii in vecte sunt adpensa. Potest hic conceptus longe vltra terminos mundi corporei dilatari. Nec vero necesse est, vt, si putemus nos prorsus in otio spiritus versari, summa rationum cogitandi adpetendique realium minor sit, quam in statu, cum nonnulli gradus huiusce actionis conscientiae sese manifestant. Iubeas virum doctissimum eo ipso temporis articulo, quo otiosus est et tranquillus, vt quidpiam narret, et aliquid notitiae suae audiendum proponat. Nihil nouit, eumque eo in statu vacuum videtis et inanem, certis destitutum deliberationibus et iudiciis. Sed facias illi modo copiam per quaestionem, aut per propria vestra iudicia. Scientia eius se manifestabit cum vi actionum, quae ea directionem tenent, qua illi vobisque conscientia huius notitiae illius redditur possibilis. Sine dubio rationes reales dudum in eo inerant, sed, quia consequens respectu conscientiae erat Zero, necesse erit, vt sibi inuicem antea fuerint oppositae. Sic tonitru istud, quod ars inuenit in perniciem, in armamentario regis ad bellum futurum servatum, in quiete minante est, donec, a fomite ta-

ctus proditorio, cum fulmine adſcendat et circum circa omnia vaſtet. Elateres, ad reſiliendum vsque parati, attractione ingenti in eo tenebantur conſtricti, et ſtimulum exſpectabant ſcintillulae, quo ſeſe liberarent. Magnum quiddam et, ex mea quidem ſententia, perquam verum in ſententia celeberrimi Leibnitii: anima totum vniuerſum comprehendit cum vi ſua repraeſentatiua, quamquam non niſi pars infinite exigua earum repraeſentationum ad claritatem peruenit. Ac profecto quidem omnia conceptuum genera tantummodo in actione ſpiritus noſtri interna oportebit, tamquam in ſuo quodam fundamento, poſita eſſe. Externae res poſſunt quidem in ſeſe cohibere conditionem, qua fit, vt hoc illoue modo ſeſe exſerant, non vero vim eas reapſe producendi. Vis cogitandi animae, neceſſe eſt, vt rationes earum reales in ſe contineat, quod illarum in ea naturaliter debeant oriri, et phaenomena cognitionum orientium et intereuntium videatur ſolum conuenientiae oppoſitioniqae vniuerſae huius actionis tribuenda. Quae quidem iudicia conſiderari poſſunt vt illuſtrationes pronuntiati primi numeri antecedentis.

In rebus moralibus Zero itidem non eſt tamquam negatio defectus conſiderandum et conſequens poſitivum maioris quantitatis non ſemper argumento eſt actionis maioris, in directione ad iſtud conſequens adhibitae. Homini cuidam decem tribuas perpeſſionis animi gradus, in certa quadam cauſſa regulis officii contrariae, velut auaritiae. Fac eum duodecim gradus adhibere niſus ad decreta humanitatis; et conſequens erit duorum graduum, quantum beneficus erit et ad opem ferendam paratus. Cogites alium quemdam duorum graduum auaritiae et ſeptem facultatis ex decretis obligationis agendi. Actio magnitudinem aequabit quatuor graduum, quantum ex pugna cupiditatis ſuae alii homini proderit. Sed poſitum eſt extra controuerſiam, quatenus perpeſſio illa vt naturalis poſſit et inuoluntaria ſpectari, pretium actionis

morale ſuperioris maius eſſe, quam poſterioris, quamquam, ſi ea velles ex viribus *viuis* aeſtimare, conſequens in poſteriori illud ſuperat. Idcirco fieri non poteſt, vt homo gradum mentis honeſtae aliorum ex actionibus eorum certo concludat, isque ſolum ſibi ſeruauit iudicium, qui intimum animorum perſcrutatur.

4.

Quodſi auſis hosce conceptus ad cognitionem transferre tam mancam atque imperfectam, quam homines queunt de deo infinito habere, quibus tum difficultatibus maximi conatus noſtri cinguntur? Cum fundamentum iſtorum conceptuum non poſſimus niſi ex nobis ipſis depromere, in plerisque cauſſis obſcurum eſt, vtrum proprie hanc cogitationem debeamus an ſolum interuentu cuiusdam ſimilitudinis ad hanc rem incomprehenſam transferre. Simonides etiamnunc ſapiens eſt, qui poſt multam cunctationem procraſtinationemque tyranno Hieroni ſic reſpondit: quanto diutius de Deo cogito, tanto mihi ſpes eius perſpiciendi videtur obſcurior. Haec non eſt doctae plebis oratio. Ea nihil quidquam nouit, nihil intelligit, at loquitur de omnibus, et quidquid loquitur, id ſuperbe perhibet. In natura ſuprema nullae rationes priuationis poſſunt, vel oppoſitionis realis locum habere. Quoniam enim in ea et per eam cuncta data ſunt, per poſſeſſionem vniuerſam determinationem in propria exiſtentia eius nulla poteſt fieri ſublatio interna. Idcirco ſenſus taedii non eſt in praedicatis, quae deum decent. Homini numquam ineſt cupiditas rei cuiusdam obiectae, niſi contrarium poſitiue auerſetur, hoc eſt, non ſolum ita, vt relatio voluntatis eius contrarium contradictorium cupiditatis ſit, ſed eius oppoſitum reale (auerſatio) nempe conſequens ex taedio poſitiuo. In vnaquaque cupiditate, quae fidum habet comitem, tyronem bene informandi, quodque euentum, adpetitui eius haud conſentaneum, ei poſitiue contrarium eſt ratioque taedii. Re-

lationes obiectarum rerum ad voluntatem diuinam de genere longe alio sunt. Proprie nulla res externa ratio in eo est nec voluptatis nec taedii; is enim nullo modo pendet ex quodam alio, neque haec voluptas pura ineſt in eo, qui per se ipsum beatus est, quoniam bonum exstat extra illum; sed exstat hoc bonum propterea, quia repraesentatio aeterna possibilitatis suae cum eaque coniunctae voluptatis ratio est cupiditatis satiatae. Quocum si repraesentationum de natura concupiscentiae omnium rerum creatarum comparaueris, intelliges, voluntatem increati parum eius similem esse posse; id quod respectu reliquarum determinationum haud illi inexspectatum erit, qui bene perceperit, discrimen qualitatis esse immensum oportere, si res comparentur, quarum vnae per se ipsae nihil sunt, altera vero per quam solam cuncta adparent.

SCHOLION GENERALE.

Quum philosophorum solidorum, vti se ipsi vocant, numerus in dies crescat, qui, dum tam profunde omnes res perspiciant, vt iis quoque nihil occultum maneat, quod haud explicare queant et comprehendere; animo iam praeuideo, conceptum oppositionis fundamento a me positum, admodum iis tenuem, conceptumque quantitatis negatiuae, in illo exstructum, haud satis solidum visum iri. Equidem, qui imbecillitatem cognitionis meae haud celauerim, qua fit, vt plerumque ea minime comprehendam, quod vniuersi homines facile se putant intelligere, tantum mihi tribuo, vt credam ius mihi competere adiumenti ab his ingeniis magnis exspectandi, vt alta eorum sapientia lacunam expleat, quam non potuit non manca mea cognitio reliquam facere.

Ac probe quidem intelligo, qui consequens per rationem quamdam ex regula identitatis ponatur, idcireo quia per analysin conceptuum in ea comprehen-

Digitized by Google

ſum deprehenditur. Sic neceſſitas ratio eſt immutabilitatis, ſic compoſitio ratio eſt diuidui, ſic infinitas ratio eſt omniſcientiae, et ſic porro, eamque rationis cum conſequente coniunctionem diſtincte poſſum perſpicere, quoniam conſequens reapſe idem eſt atque conceptus partialis rationis, dumque illud iam in ea comprehenditur, per eamdem ex regula identitatis ponitur. Quomodo vero aliquid ex quodam alio, ſed non ad regulam identitatis, promanet, id equidem auerem mihi enodari. Prius rationis genus rationem logicam dico, quoniam eius ad conſequens relatio logice poteſt, id eſt, diſtincte ad regulam identitatis perſpici, rationem autem alterius generis rationem voco realem, ſiquidem ea relatio ad meos quidem conceptus veros pertinet, ſed modus illius nulla modo poteſt diiudicari.

Quod igitur iſtam rationem realem eiusque ad conſequens adfectionem attinet, quaeſtio mea hac ſimplici ſeſe forma exhibet: ecquid cogitem, propterea quod *quidpiam* eſt, aliud quid eſſe? Conſequens logicum reapſe ſolum idcirco ponitur, quia idem eſt cum ratione. Homo poteſt errare et labi; cauſſa ineſt in finitate naturae illius; nam, ſi conceptum ſpiritus finiti diſſoluerim, videbo poſſibilitatem errandi in eo ſitam, id eſt, idem eſſe cum eo, quod ſpiritus conceptu continetur. Sed voluntas dei rationem continet realem exſiſtentiae mundi. Voluntas diuina eſt aliquid. Mundus exſtans atque adparens *longe* quiddam *aliud* eſt. Interim per vnam ponitur alterum. Status, in quo nomen audio *Stagyritae*, eſt aliquid, eo quiddam aliud, quippe mea de philoſopho cogitatio ponitur. Corpus A. in motu eſt, aliud B. in linea illius recta quieſcit. Motus A eſt aliquid, motus B quiddam aliud eſt, et tamen alter altero ponitur. Vtcumque conceptum de voluntate diuina diſſecaueris, numquam in eo mundum deprehendes exſtantem, niſi is eo contentus ſit et propter identitatem eo poſitus, et ſic in cauſſis caeteris. Neque

vocabulis cauſſae effectique, vis actionisque patiar me mitti. Etenim, ſi quidpiam iam vt cauſſam cuiusdam rei ſpectem, eiue conceptum vis virtutisque tribuam, in ea adfectionem rationis realis ad conſequens cogitaui, ac tum poſitio conſequentis facile ex regula identitatis intelligitur. Velut per voluntatem dei omnipotentem perſpicue poteſt exſiſtentia mundi intelligi. Sed hoc verbo iamiam adfectio rationis realis ad conſequens, quam mihi velim explicari, deſignatur. Data hac occaſione, moneo diuiſionem celeberrimi Cruſii in rationem idealem et realem a mea prorſus abhorrere. Eius enim ratio idealis eadem eſt quae principium cognoſcendi, et tum facile intelligitur, me, ſi quidpiam iam pro ratione accipiam, inde poſſe conſequens concludere. Inde ex enuntiatis eius aquilo ratio eſt realis nubium pluuialium, eademque ratio idealis, ſiquidem eas inde cognoſcere poſſum et diuinare. Ex noſtris autem conceptibus ratio realis numquam eſt principium logicum, nec per ventum pluuia ponitur ex regula identitatis. Diſtinctio oppoſitionis logicae et realis ſupra a nobis propoſita ei, cuius nunc mentionem fecimus, de principio reali et ideali aequalis eſt.

Illam ſuperiore diſtincte perſpicio ope decreti repugnantiae, comprehendoque, quomodo, poſita infinitate dei, eo praedicatum mortalitatis tollatur, quippe quod illi repugnat. At quomodo motu corporis cuiusdam motus cuiuspiam alterius tollatur, cum tamen hic cum illa haud quaquam pugnet, longe alia quaeſtio eſt. Poſita impenetrabilitate, quae cuique vi, in ſpatium, quod corpus capit aliquod, penetrare conanti, realiter oppoſita eſt, iam queo ſublationem motuum intelligere; tum vero oppoſitionem realem reuocaui ad aliam. Facias periculum, an oppoſitionem realem generatim definire queas diſtincteque docere, quomodo *idcirco*, *quia quidpiam eſt*, *aliud quid tollatur*, atque an plus dicere poſſis de ea, quam quod egomet dixi, nimirum hoc modo, iſtud fieri

Digitized by Google

non posse nisi per effatum repugnantiae. Equidem naturam cognitionis nostrae respectu iudiciorum nostrorum ex principiis et consequentibus inuestigaui, consectariumque earum inuestigationum aliquando uberius proponam. Ex eo intelligitur, relationem rationis realis ad quidpiam, quod eo ponitur vel tollitur, nullo modo per iudicium, sed solum per conceptum exprimi posse, quem quidem per analysin possis ad conceptus rationum realium simpliciores reuocare, ita tamen, vt omnes cognitiones nostrae de hac relatione tandem in conceptibus simplicibus atque insolubilibus rationum realium finiatur, quorum relatio ad consequens nullo modo possit reddi perspicua. Vsque eo illi, quorum perspicientia arrogata nullos nouit carceres, vias rationesque philosophiae suae tentabunt, quo vsque possint in eiusmodi quaestione pertinere.

V.

IDEA HISTORIAE UNIVERSALIS RESPECTU COSMOPOLITICO *).

Qualem illum cumque de *voluntatis libertate* conceptum reſpectu metaphyſico animo informaueris, tamen illius *phaenomena*, actiones humanae, perinde atque quodque aliud naturae euentum, ex legibus naturae vniuerſalibus determinata ſunt. Hiſtoria, in narrandis iſtis phaenomenis occupatae, vt maxime profunde earum cauſſae lateant occultatae, tamen ſpem facit, ſe, ſi luſum libertatis voluntatis humanae *in magnis* conſideret, iter illius iuſtum aperire poſſe, et hoc modo, quae in ſubiectis ſingularibus perplexa atque inordinata in oculos incurrunt, ea in tota ſpecie tamen vt euolutionem initiorum illius originariorum continuo progredientem, quamuis tardam, poſſe aliquando cognoſci. Sic matrimonia, ex iisque oriundi partus, ac mortes, quibuscum liberae voluntatis hominum cum tanta contagio ſit, nulli ſubiecta regulae videntur ex qua numerus eorum in anteceſſum queat computando definiri: et tum tabulae eorum annuae in magnis prouinciis teſtantur, ea pariter poſſe ex legibus naturae perpetuis fieri, quam quibus tempeſtates tam inconſtantes eueniunt, quarum non poteſt in ſingulum euentum ante determinari, quae vero in vniuerſum haud deſunt in incremento plantarum, curſuque fluminum et alia naturae inſtituta in itinere aequabili haud interrupto conſeruando. Singulis hominibus ipſisque populis vniuerſis non venit in mentem, ſeſe, dum ex ſua quisque ſententia, alterque ſaepius contra alterum, proprium finem perſequuntur, ſenſim quemdam ducem ſequi in eoque promovendo laborare, quod tamen, ſi ipſis adeo innoteſceret, parum forent curaturi.

Cum homines in conatibus ſuis non ſolum ex naturae ſtimulo inſtinctuque, velut bruta, neque

*) In menſtruis Berolinenſib. Vol. IV. parte V.

Digitized by Google

tamen quoque, vti coſmopolitae ratione pollentes, ex conſilio quodam deliberato, in vniuerſum agant; nulla etiam hiſtoria ad formam quamdam atque ordinem dispenſata et compoſita (vti fere de apibus vel caſtoribus) de iis fieri poſſe videtur. Certam a nobis indignationem quamdam non poſſumus arcere, cum actiones omiſſionesque eorum in magno mundi theatro propoſitas intuemur, et praeter ſpeciem ſapientiae ſubinde in ſingulo oſtenſam, tandem cuncta tamen in magnis ex ſtultitia, puerilique vanitate, ſaepenumero quoque ex malitia puerili vaſtandique inſania contexta videmus; vbi poſtremo neſcias, qualem tibi de ſpecie noſtra de laudibus ſuis tantopere ſuperbiente, cogitationem debeas informare. Hic nullus patet exitus philoſopho, quam vt, cum in hominibus eorumque ludo in magnis nullum *proprium conſilium* ſanum poſſit ſupponere, experiatur, anne *conſilium* quoddam *naturae* queat in hoc peruerſo rerum humanarum itinere aperire, ex quo, de rebus creatis, ſine proprio conſilio agentibus, fieri tamen poſſit hiſtoria ad certum quoddam determinatumque conſilium naturae — Videbimus, an nobis ſucceſſurum ſit negotium, in duce eiusmodi hiſtoriae inueniendo, naturaeque tum relinquemus, vel hominem producat, qui ad illum queat eam componere. Sic ea *Keplerum* genuit, qui vias planetarum excentricas inopinato certis determinatisque legibus ſubiiceret; ſic ea genuit *Newtonum*, qui iſtas leges ex cauſſa quadam phyſica vniuerſali enodaret.

PRONUNTIATUM PRIMUM.

Omnia initia creatae rei naturalis deſignata ſunt, ad ſe aliquando plene ac finaliter euoluendum. Id quod in cunctis animalibus obſeruatione cum externa, tum interna, ſiue analytica, confirmatur. Organon, quo haud vti debeas, inſtitutum, quod finem propoſitum haud adſequatur, in pugnis eſt phyſices teleologicae. Quodſi enim ab illo principio receſſerimus, haud am-

plius naturam habebimus legibus conuenientem, sed temere ludentem; tristisque casus fortuitus locum occupat ducis rationis.

PRONUNTIATUM SECUNDUM.

In homine (quippe vna creata re in terris ratione praedita) *ea naturae initia, quae vsum rationis spectant, tantummodo in specie debebant, non vero in singulo atque individuo plene euolui.* Ratio in re creata cernitur in facultate, regulas finesque vsus omnium eius virium longe vltra stimulum instinctumque naturae dilatandi, nullosque nouit terminos consiliorum suorum. Ea vero ipsa haud ex instinctu agit, sed opus habet et periculis, et exercitatione, et institutione, vt ab vno perspicientiae gradu ad alterum pedetentim procedatur. Idcirco quemque hominem necesse foret vitam per tempus immensum propagare, vt disceret, quomodo initiis naturae suis vti perfecte deberet; aut, si natura vitae vsuram tantummodo breuem ei concesserit (vti reuera factum est), opus ea serie generationum habet fortasse haud dinumeranda, quarum altera alteri suam collustrationem tradat, vt tandem surculi in specie nostra ad illum euolutionis gradum perducantur, qui consilio eius prorsus consentaneus est. Atque illud tempus saltem in idea hominis meta debet esse illius conatuum, quoniam alioquin initia naturae maximam partem spectanda forent vt frustranea et temeraria; quo quidem vniuersa principia practica tollerentur, naturaque, cuius alioquin sapientia in cunctis reliquis institutis diiudicandis esse principio debet, in homine solo in lusus puerilis suspicionem vocaretur.

PRONUNTIATUM TERTIUM.

Natura voluit, vt homo cuncta, quae institutum exsistentiae animalis mechanicum superant, prorsus ex se ipse euoluat, nullius que felicitatis perfectionisue parti-

Digitized by Google

ipſi fiat, niſi eius, quam ſibi ipſe ſtimulo inſtinctuque vacuus, per rationem propriam comparavit. Natura ſcilicet nihil agit, quod ſuperuacaneum ſit, neque in inſtrumentis adfines vtendis prodiga eſt. Cum homini rationem dedit libertatemque voluntatis in ea fundatam; id iam iudicium fuit perſpicuum conſilii illius in eo dotibus inſtruendo. Quippe is nunc haud per inſtinctum ductus eſſe, vel cognitione inſita atque innata ornatus et inſtitutus debebat; ſed cuncta potius ex ſe ipſe euoluere. Inuentio alimentorum, veſtimentique, et ſecuritatis externae ac defenſionis (quo illi nec cornua dedit arietis, nec vngues leonis, nec rictum canis, ſed ſolum manus) omnis oblectatio, qua vita reddi iucunda poſſit, ipſaque perſpicientia et prudentia, atque etiam bonitas voluntatis, prorſus eius opus eſſe proprium debebat. Hic ea in ſumma parſimonia ſibi ipſa videtur placuiſſe, dotumque animalium distributionem tam parce, tamque adcurate ad ſummam exſiſtentiae incipientis neceſſitatem dimenſa, quaſi vellet, vt, ſi quando ex ruditate ſumma ad dexteritatem maximam ſolertiamque, internamque ingenii audacis perfectionem, et (quantum in terris fieri poſſit) eo ad felicitatem ſeſe euexerit, hominis laus omnis eſſe, isque ſibi ipſe eam ferre acceptam debeat, quaſi ſibi conſilium fuit potius, vt *ſe ipſe* rationi convenienter *aeſtimet*, quam bene ſeſe habeat. In hocce rerum humanarum itinere vis ineſt laborum, hominem exſpectantium. Verum nullo modo natura videtur ſpectaſſe, vt is bene viuat; ſed vt in eo elaboret, quo ſe per actiones ſuas vita ac felicitate dignum componat. Interim mirum videtur, generationes vetuſtiores videri negotium ſuum moleſtum non niſi propter ſeriores agere, vt ſcilicet his gradum parent, vnde hi materiam, quam ſibi natura propoſuit, altius queant euehere; et tamen tantummodo ſeriſſimis eſſe tam felicibus contingere debeat, vt in domo illa habitent, quam per longam ſeriem maiores (ſane quidem ſine eorum conſilio) exſtruxiſſent, neque tamen, quam praeparaſſent, felicitatis ipſi eſſe compotes

poſſent. Sed vt maxime iſtud obſcurum ſit, tamen nihilominus neceſſarium eſt, ſi ſemel ſumſeris: ſpeciem animalium quamdam vti ratione debere, vtque claſſem naturarum rationalium, quae cunctae moriantur, quarum vero ſpecies immortalis ſit, tamen ad plenam initiorum euolutionem peruenire.

PRONUNTIATUM QUARTUM.

Inſtrumentum, quo ad abſoluendam omnium initiorum euolutionem vtitur, eorum antagoniſmus eſt in ſocietate, quatenus hic nihilominus poſtremo cauſſa ſit iuſti illius ordinis. Equidem *antagoniſmum* hoc loco *ſocialitatem* dico hominum *inſocialem*, id eſt, propenſionem eorum ad ineundam ſocietatem, coniunctam tamen cum reactione perpetua, quae iſti ſocietati continuo minetur diſſolutionem. Cuius quidem initia manifeſtum eſt ineſſe in natura humana. Natura hominem conciliat homini ad vitae *ſocietatem;* quoniam in eo ſtatu magis ſeſe vt hominem ſentit, id eſt, euolutionem initiorum dotumque naturalium. Sed permagna quoque illi inſidet propenſio ad vitam *ſolitariam*, quia in ſe ſimul proprietatem videt a ſocietate alienam, vt omnia velit ex ſuo arbitrio inſtitui ac iudicari, ideoque vndique exſpectat ſibi reactum iri, vti ſe ipſum nouit ad aliis reſiſtendum pronum ferri. Atque hac reactione fit, vt omnes vires hominis excitentur, isque eo adducatur, vt propenſionem ad pigritiam vincat, et, ambitione, imperiique cupiditate et auaritia agitatus, ordinem ſibi inter ſocios comparet, quos aegre poteſt *perferre*, a quibus tamen etiam non poteſt ſeſe *auocare.* Tum igitur primi paſſus veri fiunt ex ruditate ad culturam, quae proprie in dignitate hominis ſociali conſiſtit; tùm omnes dotes ingenii pedetentim euoluuntur, guſtus informatur, ipſaque collustratione continuata initium fit conſtituendi animorum conſilii, quo rudes dotes naturales diſtinctionis moralis tempore in principia certa practica, atque ita conſenſus ad ſocietatem *pathologice* extortus tandem pot-

Digitized by Google

eſt in totum quoddam *morale* conuerti. Sine illis, per ſe quidem haud fere gratis, proprietatibus inſocialitatis, vnde oritur reactio, quam quisque, neceſſe eſt, in ſeſe deprehendat ſui ipſius ſtudioſus, in vita paſtoritia Arcadica, concordiaque perfecta et temperantia ac mutuo amore, omnes dotes aeternum in ſurculis abditae manerent: homines, inſtar ouium, quas pascunt, ſimplices apertique, exſiſtentiae ſuae vix maiorem dignitatem compararent, quam pecoris domeſtici; neque inane creationis reſpectu finis ſibi propoſiti, vt natura ratioque, haud explerent. Igitur grates debentur naturae pro inconuenientia, pro inuida vanitate aemulante, pro adpetitu haud exſatiabili habendi vel etiam imperandi! Sine his cuncta munera naturae eximia in genere humano aeternum ſopirent inexplicata. Homo cupit concordiam; ſed natura melius nouit, quae ſpeciei eius conducant: vult ea discordiam. Homo vult commode viuere et laete; ſed natura vult, vt, torpore otioſaque ſufficientia relictis, in labores ſe moleſtiasque praecipitet, quo contra et remedia excogitet, ſe prudenter rurſum ab iis liberandi. Elateres naturales illius, fontes inſocialitatis reactionis perpetuae, vnde tot mala oriuntur, quae tamen vero etiam rurſus ad nouas virium contentiones, proinde ad euolutionem dotum naturalium maiorem, excitant, ſane proinde produnt inſtitutum creatoris ſapientis, nec fere manum mali ſpiritus, qui eius praeclara inſtituta turbauerit vel per inuidiam corruperit.

PRONUNTIATUM QUINTUM.

Maximum generi humano problema, ad quod ſolvendum ab natura homo cogitur, eſt adſecutio ſocietatis ciuilis vniuerſe ius adminiſtrandi. Cum non niſi in ſocietate, et ea quidem, quae ſumma libertate vtitur, proinde antagoniſmo membrorum perpetuo laborat, et tamen adcuratiſſimam terminorum deſignationem cautionemque huiusce libertatis habet, vt queat

Digitized by Google

cum aliorum libertate consistere, — cum igitur non nisi in ea summum naturae consilium possit, nimirum euolutio dotum omnium, in genere humano, attingi, natura etiam velit, vt eam perinde atque omnes destinationis fines sibi ipsa comparet: necesse est, vt societas, in qua *libertas sub legibus externis* quantum fieri potest maxime coniuncta deprehendatur, id est *constitutio ciuilis* perfecte *iusta*, summum naturae problema sit generi humano propositum; siquidem natura non nisi soluendo illo atque exsequendo potest reliquos fines ipsi cum genere nostros proposito ferire. In hunc statum coactionis vt se conferat, homo alioquin libertatis dissolutae tantopere studiosus necessitate cogitur, eaque omnium maxima, illa quippe, quam sibimet ipsi homines inuicem inferunt, quorum cupiditatibus efficitur, vt nequeant diu iuxta se inuicem consistere. Verum in septo, cuiusmodi coniunctio ciuilis est, iisdem adpetitibus postea optima effecta nascuntur; velut arbores in syluis, eo ipso, quod quaeque alteri aëra et solem demit, ab se inuicem coguntur, vt vtrumque supra se sequantur, eoque pulcrae rectaeque accrescant; cum e contrario illae, quae libere et ab se inuicem separatae frondes edunt, gibbosae crescant, obliquae ac prauae. Omnis cultura et ars, humanam naturam decens, quippe ordo socialis pulcerrimus, fructus sunt insocialitatis, quae per se ipsam ad se conformandam cogitur, atque ita, per artem extortam surculos naturae plenos euoluendos.

PRONUNTIATUM SEXTUM.

Hoc problema omnium simul difficillimum est, et quod ab humano genere seriissime soluitur. Difficultas, quam vel mera idea huius problematis iam ob oculos ponit, haec est: homo est *animal*, *cui*, si inter alia sui generis degat, *opus domino est.* Is enim profecto libertate abutitur respectu sociorum; et, quamquam vt res creata praedita ratione legem desiderat, quod libertati omnium carceres constituat; tamen adpetitu suo ani-

mali ſui ipſius nimium amante deceptus, vbicumque licuerit, ſeſe excipit. Igitur *domini* indiget, qui propriam voluntatem eius conſtringat, eumque cogat, voluntati vniuerſe valenti, in quo quisque poteſt liber eſſe, obediat. Vnde autem hunc dominum capit? Nuspiam aliunde, quam ex genere humano. Verum hic pariter animal eſt, domini indigens. Igitur vtcumque rem inſtituat; tamen non poteſt intelligi, quo modo ſibi comparare queat iuſtitiae publicae ſuperiorem; ſiue hunc in perſona ſingulari quaerat, ſiue ſocietate multorum ad eam rem delectorum. Etenim eorum ſua quisque libertate ſemper abutetur, ſi nullum ſe habet ſuperiorem, qui poteſtatem in eum exerceat ex legibus. Summus vero ſuperior *per ſe ipſe* eſſe iuſtus, et tamen *homo* debet. Haec quaeſtio proinde omnium difficillima eſt; quin fieri nequeat, vt plene ſoluatur: ex ligno tam prauo, quam ex quo homo factus eſt, fabricari nihil poteſt, quod prorſus rectum ſit. Tantummodo adpropinquatio ad hanc ideam nobis ab natura iniuncta eſt. *) Eam autem omnium poſtremam effectum iri, praeterea inde etiam ſequitur, quod ad eam rem opus eſt veris rectisque conceptibus de natura conſtitutionis poſſibilis, magnaque per multas cauſſas exercitata peritia, et, praeterea voluntas bona ad illam accipiendam praeparata; quae quidem tres partes perdifficiliter, et, ſi fiat, non niſi admodum ſero, multis conatibus fruſtra tentatis, aliquando ſimul poſſunt conuenire.

PRONUNTIATUM SEPTIMUM.

Problema conſtitutionis ciuilis perfectae abſolutaeque inſtituendae pendet ex problemate relationis ciuita-

*) Partes hominis proinde perquam officioſae ſunt. Quomodo cum iis, qui alias planetas inhabitant, eorumque natura comparatum ſit, nos fugit; cum autem hocce naturae mandatum naturae bene exſecuti fuerimus, ſane ſperare poteſtimus, nos in vicinis noſtri ſyſtematis coſmici haud humili in ordine futuros eſſe conſtitutos. Fortaſſe in iis quisque ſingulus deſtinationem in vita ſuam omnem adſequetur. Apud nos ſecus eſt; ſola id ſperare ſpecies poteſt.

tum externae legalis, nec solui potest sine hoc posteriori. Ecquid iuuat, in constitutione ciuili legali inter homines singulos, id est, in *republica* constituenda, occupari? Eadem insocialitas, qua homines ad eam cogebantur, itidem in caussa est, cur vnaquaeque respublica in relatione externa, id est, vt ciuitas cum ciuitatibus comparata, in libertate haud circumscripta versetur, ideoque alterique ab altera eadem mala exspectanda sint, quibus homines singuli vexati cogerentur, vt in statum ciuilem legalem conuenirent. Igitur natura insociabilitate hominum, ipsarum societatum magnarum corporúmque ciuitatum huiusce generis rerum creatarum vicissim vsa est instrumento, quo in *antagonismo* illorum ineuitabili status quietis securitatisque inueniretur: nimirum impellit ea bellis, adparatuque ad ea nimio et numquam cessante, calamitateque, quam tandem quaeque ciuitas, vel in ipsa pace media ex iis intus sentiat, necesse est, ad tentamina initio imperfecta quidem, tandem vero post multas vastationes conuersionesque, et ipsam perpetuam virium exhaustionem internam, ad id, quod ratio iis etiam sine tam tristi experientia potuisset aperire, quippe vt statum relinquant legibus solutam ferorum, in foedusque transeant populorum; vbi quaeque ciuitas, etiam minima, securitatem et iura, non a propria potestate, propriaue diiudicatione iuridica, verum tantummodo ab hoc foedere populorum magno (foedere Amphictionum), a potentia coniuncta, atque a diiudicatione ex legibus voluntatis coniunctae, posset sperare. Vt maximo fanatica haec idea videatur, atque vt talis in Abbate *de Sancto Petro* aut *Rousseauio* derisa fuerit (fortasse, quoniam eam propinquiorem in exsecutione putarent); tamen exitus calamitatis ineuitabilis est, in quam homines se inuicem praecipitant, qua ciuitates ad idem consilium (vt maxime inuiti), oportebit, cogantur, ad quod homo ferus atque incultus itidem inuitus cogebatur, nimirum vt, libertate brutali missa, in constitutione legali quietem quaerant atque securitatem. — Quocirca bella omnia to-

Digitized by Google

tidem tentamina ſunt (haud quidem hominum reſpectu, ſed tamen ratione naturae), nouas ciuitatum relationes conſtituendi, vaſtatisque, certe diſectis veteribus, noua corpora formandi, quae vero viciſſim, vel in ſe ipſa, vel iuxta ſe inuicem, non poſſunt ſeſe conſeruare, ideoque nouas, oportebit, conuerſiones ſimiles perpetiantur; donec aliquando, partim conſtitutione ciuili interne, quam fieri poſſit, optime inſtituenda, partim deliberatione communi et legislatione externe, ſtatus ſtabiliatur, qui reipublicae ciuili ſimilis, ſe ipſum poſſit velut *automaton* conſeruare.

Vtrum itaque ab *Epicureo* cauſſarum efficientium concurſu exſpectari debeat, vt ciuitates, velut atomi materiae, concurſu fortuito varias formationes tentent, quae nouo concurſu rurſum euertuntur, donec aliquando *caſu* talis formatio fiat, quae formam queat ſeruare (qui caſus fortuitus vix vmquam eueniet); an potius ſumi debeat, naturam hic viam perſequi conuenientem, ad genus noſtrum inde ab inferiori naturae animalis gradu paullatim ad gradum ſummum humanae naturae, et quidem arte quadam peculiari quamquam homini extorta perducendum, atque in hoc inſtituto ſpecie fero prorſus ad regulam dotes illas originarias euoluere; an malueris, ex omnibus hisce actionibus et reactionibus hominum in magnis nihil omnino quidquam, ſaltem nihil ſani, effici, manſurum fore, vti ſemper fuerit, ideoque non poſſe praedici, anne discordia, quae generi noſtro tam naturalis eſt, poſtremo nobis orcum málorum, in ſtatu maxime morali praeparet, dum fortaſſe hunc ſtatum ipſum omnesque hactenus in cultura factos progreſſus vaſtatione barbara rurſum euerſura ſit (quae quidem ſors eſt, cui ſub imperio caſus caeci non poteſt caueri, quacum reapſe eadem eſt libertas illegalis, niſi illi ducem naturae ſubieceris occultae adiunctam ſapientiae)? haec fere redeunt ad quaeſtionem: num rationi conuenienter fiat, vt *forma finalis* inſtituti naturae in partibus et tamen *temeritatem* in toto ſumas? Quid igitur ſta-

tus ferorum temerarius effecit, vt ſcilicet omnes naturae dotes in genere noſtro retardaret, ſed tandem, quae his contraxiſſet, eos coëgit, vt ex hoc ſtatu egreſſi in conſtitutione ciuili ſeſe coniungerent, in qua omnes poſſunt iſti furculi euolui; id quoque libertas barbara efficit ciuitatum iam conſtitutarum, nimirum vt cunctis viribus rerum publicarum ad adparatus contra ſe inuicem adhibendis, vaſtationibus a bello profectis, multo magis autem neceſſitate promtitudinis ad bellum perpetuae, plenus quidem dotum naturalium euoluendarum progreſſus impediatur, contra ea vero quoque malis, inde oriundis, genus noſtrum cogitur, vt ad reactionem per ſe ſalutarem multarum iuxta ſe inuicem ciuitatum, ex libertate eorum oriundam, legem inueniat aequilibrii, poteſtatemque coniunctam, quae illi vim impertiat, proinde ſtatum cosmopoliticum ſecuritatis ciuilis publicae introducat, qui haud omni *periculo* vacet, ne vires hominum obdormiſcant, ſed tamen quoque haud careat *aequalitatis* principio mutuae *actionis et reactionis*, ne ſeſe inuicem euertant. Antequam hic paſſus vltimus (nempe ciuitatum coniunctio) factus ſit, ergo tantummodo fere in efformatione earum dimidia, grauiſſima mala humana natura tolerat, ſub ſpecie fallaci ſalutis externae; *Rouſſauiusque* haud ita iniuria ſtatum ferorum praetulit, quippe omiſſo hoc gradu ſupremo, ad quem generi noſtro adſcendendum eſt. Nos ſumus maxime arte ſcientiaque *exculti*. Nos ſumus ciuiles facti et faciles, atque vsque ad putidum ad variam elegantiam ſocialem decorumque compoſiti et adſuefacti. Verum permultum abeſt, vt nosmet habeamur *morales*. Namque idea moralitatis pertinet adhuc ad culturam; verum vſu huiusce ideae, qui tantummodo ad ſimilia morum redit in ſtudio honoris ac famae externoque decoro, ſola efficitur ciuilitas. Quamdiu vero ciuitates omnes vires ſuas ad vana ſua violentaque conſilia finium proferendorum impenderint, atque ita tardum ingenii animorum interne formandi laborem civium ſuorum perpetuo impedierint, iisque ipſis om-

Digitized by Google

nem hoc reſpectu ſubleuationem eripuerint, nihil quidquam eiusmodi exſpectandum eſt, propterea quod ad eam rem longus labor internus cuiusque reipublicae ad ciues formandos poſtulatur. Quidquid autem boni haud eſt in conſilio moraliter bono implantatum, nihil niſi mera ſpecies eſt et ſplendida miſeria. In hocce ſtatu, dubium non eſt, genus humanum permanſurum fore, donec modo, quo dixi, ex ſtatu chaotico relationum ciuilium ſeſe proripuerit.

PRONUNTIATUM OCTAVUM.

Hiſtoria generis humani in vniuerſum vt exſecutio conſilii naturae ſecreti poteſt conſiderari ad conſtitutionem ciuitatis interne, atque, hunc in finem, etiam externe perfectam abſoluendam, tamquam ſtatum unum, in quo omnes illius dotes poſſunt in genere humano plene euolui. Quod pronuntiatum conſectarium eſt ex praecedente. Ex quo patet, philoſophiae itidem quemdam *chiliaſmum* eſſe, ſed talem, ad quem arceſſendum idea illius, quamquam tantum admodum e longinquo conferre poteſt, qui proinde nihil minus eſt, quam fanaticus. Id agitur tantummodo, an experientia aliquantum de iſto conſilii naturae itinere aperiat. *Aliquantum* dico; hic enim orbis tam longum tempus poſtulare videtur donec finiantur, vt ex parua particula, quam genus humanum hoc reſpectu abſoluit, pariter incerto poſſit figuram viae partiumque rationem ad totum definire, atque ex omnibus, quae huc vsque exſtitere, obſeruationibus caeli curſum, quem ſol noſter cum vniuerſa turba ſatellitum in magno capit ſyſtemate ſtellarum fixarum; quamquam tamen, ex principio vniuerſali conſtitutionis ſyſtematicae fabricationis mundi, atque paucis iſtis, quae obſervata ſunt, ſatis certo, vt ad exſiſtentiam eiusmodi circuitus orbicularis concludatur. Interim ſic fert humana natura, vel ipſo reſpectu epochae omnium remotiſſimae, quae genus noſtrum debet attingere, vt ne aequos nos praebeamus, ſi modo certo queat exſpectari. Praeſertim

in hac noſtra cauſſa eo minus fieri poteſt, cum videamur per noſtram ipſorum prudentiam poſteris noſtris tam laetum tempus atque acceptum celerius poſſe arceſſere. Propterea ipſa veſtigia tenuia adpropinquationis illius magni nobis momenti videntur. Nunc ciuitates iamiam in relatione ad ſe inuicem tam artificioſa verſantur, vt nulla queat in interna cultura remittere, niſi erga alias quoad potentiam contagionemquem decreſcant; ergo, ſi non progreſſui, tamen conſeruationi huius conſilii naturae, per ipſos fines illarum ambitioſos ſatis prouiſum videtur. Iam vero libertas ciuilis nunc etiam haud facile poteſt laedi, niſi incommodum inde ad omnia commercia, inprimis negotiationem redundet, eoque decrementum virium ciuitatis in relatione externa ſentiatur. Haec libertas autem paullatim longius progreditur. Quodſi civis impediatur, quo minus pro arbitrio ſalutem ſuam modo, qui cum libertate aliorum poſſit conſiſtere, quaerat; impedietur viuacitas ac vigor induſtriae perpetuae, eoque viciſſim vires totius. Idcirco circumſcriptio perſonalis in agendo mittendoque magis magisque tollitur, libertas vniuerſalis religionis conceditur, atque ita, interiectis errore nugisque, paullatim oritur *colluſtratio*, tamquam bonum magnum, quod genus humanum adeo ex conſilio creſcendi intemperante imperantium, neceſſe eſt, percipiat, ſi modo, quae ſibi ipſis proſint, intelligant. Haec autem colluſtratio, cum eaque certa quaedam animi communio, in quem homo colluſtratus quo minus veniat reſpectu boni, quod perfecte comprehendit, non poteſt euitare, pedetentim vsque ad thronos pertineat, oportebit, cum eorumque adeo imperandi principiis contagionem habeat. Quamquam imperantibus noſtris, vt hoc vtar, ad inſtituta educationis publica, omninoque ad vniverſa, quoad ſalutem mundi publicam in praeſens nihil quidquam pecuniae reliquum eſt, quoniam omnia iam in anteceſſum ſunt ad bellum futurum computata; tamen ſuam ipſorum vtilitatem in eo inuenient, ſi proprios labores populi, quamuis tenues tar-

dosque, hac in parte ſaltim haud impediant. Tandem bellum ipſum paullatim negotium fit non ſolum tam artificioſum, euentuque ex vtraque parte tam incertum, verum etiam per dolores ſecundinos, quos ciuitas ex aere alieno in dies accreſcente (inuento quodam nouo) percipit, et numquam diſſoluendo, tam difficile ac lubricum, praeterea vis, quam quaeque ciuitatis concuſſio partis mundi noſtrae adeo per commercia ſua complicatae in aliis ciuitatibus exſerit, tam grauis eſt, vt hae proprio periculo ſuo coactae, quamuis ſine auctoritate legali, ſeſe offerant pro arbitris, atque ita omnia e longinquo ad corpus magnum ciuitatum futurum praeparent, cuius non poteſt ex vetuſtiori mundo exemplum oſtendi. Etſi hoc corpus politicum in praeſentia adhuc in forma admodum rudi conſpicitur, tamen iam quaſi ſenſus quidam in vniuerſis membris, quorum cuiusque intereſt conſeruatio totius, ſeſe mouet; isque ſpem facit, fore, vt poſt multas transformationis conuerſiones, tandem aliquando, quem natura ſibi finem ſummum propoſitum habet, *ſtatus coſmopoliticus* vniuerſalis, velut gremium, in quo omnes generis humani dotes originariae euoluuntur, conſtituatur.

PRONUNTIATUM NONUM.

Tentamen philoſophicum hiſtoriam vniuerſalem ad conſilium formamque naturae, quod coniunctionem ciuilem perfectam generis humani atque abſolutam ſpectet, elaborandi, vt poſſibile adeoque ad hunc naturae finem promouendum vtile, conſiderandum eſt. Eſt quidem conſilium mirabile, ſpecieque abſurdum, *hiſtoriam* inſtituendi ſecundum ideam modi, quo res in mundo euenire oporteret, ſi certis quibusdam ſanis finibus fieri conuenienter deberet; eiusmodi reſpectu non niſi *fabula Romanenſis* effici videtur. Interim ſi liceat ſumi, naturam, in ipſo libertatis humanae luſu, non ſine conſilio ſcopoque agere, ea idea tamen ſane poſſet vtilis fieri; et quamquam acies noſtra breuior eſt, quam vt

mechaniſmum occultum inſtitutorum illius queamus perſpicere, tamen haec idea nobis pro duce poterit, ad *congregationem* actionum humanarum alioquin ſine conſilio ac temerariam, certe in magnis, vt *ſyſtema* exhibendam. Etenim ſi ab hiſtoria *Graeca* incipias, quippe qua quaeque alia vetuſtior vel aequalis nobis ſeruata eſt, ſaltem illi fides concilianda eſt; *) ſi vim illius in formando deformandoque corpore politico populi *Romani*, ciuitatem Graecam deuorantis, huiusque vim in *barbaris*, qui illum viciſſim euerterunt, vsque ad noſtrum tempus perſequare; iam vero hiſtoriam politicam aliorum populorum, vti eorum notitia per has ipſas nationes colluſtratas ad nos peruenit, addas; iter aperies rectum emendatae conſtitutionis politicae in hac noſtra mundi parte (quam, probabile eſt, cunctis aliis aliquando leges laturam eſſe). Dum porro vbiuis ſolum conſtitutio ciuilis eiusque leges, et relatio politica ſpectantur, quatenus vtraque per bonum, quod iis inerat, aliquamdiu ad populos (cum iisque artes quoque ac ſcientias) augendos atque amplificandos, ſed vitioſa, quae iis adhaereret, ratione rurſum euertendos, ita tamen, vt ſemper ſurculus colluſtrationis relinqueretur, quo, per quamque conuerſionem rerum magis euoluto, gradus emendationis ſequens altior praepararetur: filum, opinor, Ariadnaeum quoddam aperietur, quod non ſolum facere ad explicandum luſum rerum humanarum poteſt, vel arti diuinatoriae politicae futurarum mutationum politicarum inſeruire (quae quidem vtilitas iam alias ex

*) Non niſi *populus doctus*, qui inde ab initio ſuo vsque ad nos interrupto ordine, durauit, fidem poteſt hiſtoriae antiquae conciliare. Vltra illum cuncta in terris incognitis verſantur; et hiſtoria populorum, qui extra illum vixere, duntaxat inde ab eo tempore poteſt, quo in illum intrarunt, inſtitui. Id quod in populo *Iudaico* factum eſt tempore Ptolemaeorum, per Graecam ſcripturae ſacrae verſionem, ſine qua narrationibus illius *ſolitariis* parum fidei tribueretur. Inde (iſto initio primum rite aperto) rurſum poteris narrationes illius perſequi. Atque ſic cum cunctis populis reliquis. *Humius* primam, ait, *Thucydidis* paginam vnum eſſe initium vniuerſae verae hiſtoriae.

Digitized by Google

hominum hiſtoria percepta eſt, etiamſi vt effectum haud contextum libertatis temerariae ſpectaretur); verum etiam (quod niſi ſuppoſito naturae conſilio iure non poteſt ſperari) ſpes laeta aperietur futuri, in quo humanum genus ex remota diſtantia depingitur, quomodo tandem tamen ad ſtatum ſeſe proripiat, in quo cuncti, quos natura illi indidit, ſurculi penitus euolui poſſint, eorumque deſtinatio his in terri expleri. Talis naturae vel potius *prouidentiae defenſio* haud tenue momentum eſt, ſingularem locum contemplationis mundi eligendi. Quid enim iuuat, praeſtantiam ſapientiamque creationis in regno naturae bruto celebraſſe, contemplationique commendaſſe, ſi ea pars magni theatri ſapientiae ſupremae, quae finem in ſe iſtorum omnium cohibet, — hiſtoria humani generis — perpetuum contra illam dubium mouere debeat, cuius adſpectu cogamur oculos indignabundi auertere, et, dum deſperemus, vmquam in ea conſilium ſanum abſolutum nos inuenturos eſſe, eo adigamur, vt eam non niſi in mundo alio quodam ſperemus.

Hacce idea hiſtoriae mundi, cuius quodammodo ex anticipatione filum Ariadnaeum eſt, ſi memet putaueris tractationem hiſtoriae propriae ſolum *empiricae* conſcriptae velle expellere; conſilium meum calumniabere: ea non niſi cogitatio eſt de eo, quod iungendum philoſophicum (quod praeterea hiſtoriae valde peritum eſſe oporteret) ex alia ſtatione quadam poſſit tentare. Praeterea diligentia alioquin laude digna, qua nunc hiſtoria noſtri temporis componitur, neceſſe eſt, cuique cogitationem iniiciat: quo tandem modo fieri poſſit, vt poſteri ſeriores molem illam hiſtoriae, quam poſt aliquot ſecula iis reliquerimus, memoria ſint comprehenſuri. Sine dubio hiſtoriam antiquiſſimorum temporum, cuius documenta iis dudum perierint, non niſi ex iis, quae ſua interſint, ex iis quippe, quae populi atque imperia reſpectu coſmopolitico praeſtiterint, vel pernicioſa fecerint, aeſtimatu-

ri videntur. Cuius vero rei, itemque ambitionis ſuperiorum ciuitatis perinde, ac miniſtrorum illorum, quo ad vnum illud inſtrumentum dirigantur, quod memoriam eorum ad ſeram queat poſteritatem propagare, vt ratio habeatur: id praeterea quoque *aliquantum* momenti conferre poteſt ad eiusmodi hiſtoriam philoſophicam tentandam.

VI.

RESPONSIO AD QUAESTIONEM:

QUIDNAM EST MENTIS COLLUSTRATIO? *)

Colluſtratio cernitur in egreſſu hominis ex ſtatu minorennitatis ſuae ſibi culpa contractae. Minorennitas eſt impotentia vtendi intelligentia ſua ſine ductu alius cuiuspiam. *Sua ſibi culpa contractam* eam minorennitatem dico, cum cauſſa illius non in defectu ineſt intelligentiae, ſed conſilii atque animi, vtendi ea ſine ductu alterius. Sapere aude! Cape animum vtendi *propria* intelligentia tua! proinde ſymbolum eſt colluſtrationis.

Pigritia atque ignauia in cauſſa ſunt, quare tam magna pars hominum, naturaliter maiorennium, tamen lubenter per totam vitam minorennis maneat; et cur aliis perinde facile negotium ſit, vt eorum ſeſe tutores declarent. Iuuat admodum minorennem eſſe. Quodſi librum habeam, mei loco intelligentia inſtructum, vel curatorem animarum, cui mei loco religio ſit, aut medicum, qui meo nomine diaetam diiudicet, et ſic porro, non eſt, quod ipſe laborem. Non opus eſt, vt cogitem, ſi modo pecuniam ſoluam; erunt iam alii, qui moleſtum iſtud negotium meo nomine in ſe recipiant. Vt pars hominum longe maxima (in quibus vniuerſus ſexus femininus eſt) gradum ad maiorennitatem, praeterquam quod moleſtus ſit, etiam valde periculoſum iudicent, rei iamiam proſpiciunt tutores, qui curam eorum ſupremam humaniſſimi in ſeſe receperunt. Poſteaquam animalia domeſtica primo ſtupefecerunt, diligenterque cauerunt, ne iſta animantia mitia nullum extra ſerperaſtrum, quo concluſi tenebantur, gradum facere auderent; periculum iis oſtendunt imminens, ſi ſoli incedere expe-

*) In menſtr. Berol. Vol. IV. Parte 6.

riantur. Iam periculum iſtud haud ita quidem magnum eſt, ſi quidem aliquoties lapſando tandem discent incedere; ſed exemplum eiusmodi eos reddit meticuloſos et plerumque a frequentioribus conatibus deterret.

Igitur cuique ſingulari homini difficile eſt, ex minorennitate ſua ſibi propemodum altera natura facta ſeſe proripere. Illius adeo amore captus nunc quidem reapſe non poteſt propria ſua intelligentia vti, quia ei numquam conceſſum fuit, vt eius rei periculum faceret. Traditiones et formulae, haec inſtrumenta mechanica, vſus rationalis vel abuſus potius munerum naturae compedes ſunt minorennitatis perpetuae. Is, qui eos abiiceret, nihilominus tamen trans foueam auguſtiſſimam ſaltum faceret ambiguum, quoniam ad eiusmodi motum liberum non eſt adſuefactus. Quapropter tantummodo pauci fuerunt, quibus obtingeret, vt ſtudio mentis proprio ex minorennitate ſeſe expedirent, et tuto tamen itinere incederent.

Facilius fieri poteſt, vt populus ſe ipſe colluſtret: quin adeo fere ineuitabile eſt, ſi modo ei libertas concedatur. Tum enim ſemper erunt, vel in ipſis conſtitutis multitudinis tutoribus, nonnulli meditabundi, qui, iugo minorennitatis ab ſe ipſis abiecto, ſtudium pretii ſibi ipſi rationi conuenienter ſtatuendi muneriſque hominis cuiusque proprio Marte cogitandi circumcirca diffundant. In quo quidem mirabile eſt, populum, antea ab iis huic iugo ſubiectum, eos poſtea ipſos cogere, vt ſub iſto iugo maneant, ſi a quibusdam tutoribus, qui vniuerſae ſunt colluſtrationis minus habiles, ad eam excitentur; tantum detrimenti emergit ex plantandis opinionibus praeiudicatis, quippe quae tandem ſeſe in iis ipſis vlciſcuntur, qui, quorumue anteceſſores, illarum fuerunt auctores. Vnde fit, vt populus non niſi tarde ad colluſtrationem perueniat. Rerum conuerſione fortaſſe defectio qui-

dem a despotismo personali et vexatione lucri imperii-ve studioso efficietur, numquam autem vera cogitandi rationis instauratio; verum nouae opiniones praeiudicatae, perinde ac veteres, multitudini cogitatione vacuae duces erunt.

Ad hanc collustrationem autem nihil opus est, nisi *libertate*, et omnium quidem, quae libertatis nomine venerint, minime pernicioſa, ea quippe, quae in facultate cernitur, ratione omnibus in rebus *palam etendi.* At vndiquaque vox resonat: *ne opinemini!* Dux militum clamat: ne opinemini, sed armis vos exerceatis! Is qui principis a consiliis est redituum, ne opinemini, ait, sed vectigal pendite! Clericus vociferatur: ne opinemini, verum credite! (Non nisi vnus omnium princeps in populi: *opinemini*, quantum quodque placuerit; sed *obedite!*) Hic vbique circumscriptio adest libertatis. Quaenam vero circumscriptio collustrationi officit? quae non, sed potius eam promouet? — Equidem respondeo: vsus rationis *publicus* semper esse liber debet, isque solus collustrationem potest hominibus adferre; sed vsus illius *priuatus* saepe numero licet angustius coërceri, neque tamen idcirco collustrationis progressus ita impediri. Verum vsum rationis propriae dico, cum quis *vt* homo *doctus* ratione vtitur coram vniuerso populo, qui *oblectatur lectione librorum.* Sed vsum rationis priuatum intelligo, cum eidem in certo quodam sibi demandato *munere ciuili* vel officio vti quodammodo ratione sua licet. Iam ad multa negotia, quae vtilitatem reipublicae attingunt, certo quodam opus est mechanismo, vi cuius nonnulla reipublicae membra agere non nisi ferendo quasique patiendo oporteat, vt artificiosa conspiratione ab imperio ad certos quosdam fines dirigantur, vel certe ab euersione istorum finium arceantur. In quo quidem sane haud licet, vt opinere; sed parendum est. Quatenus vero haec pars machinae simul se vt membrum vniuersae reipublicae, atque etiam societatis cosmopoliticae, proinde vt doctum, considerat,

Digitized by Google

qui ad populum ſenſu proprio ſcriptis verba facit, is profecto poterit opinari, ſed ita tamen, ne quidquam detrimenti negotia capiant, ad quae curanda partim eſt vt membrum negatiuum conſtitutus. Sic valde noxium foret, ſi dux militum, qui quidpiam ab ſuperiore iubetur, in officio de conuenientia vel vtilitate huiusce iuſſi palam vellet argutari; ei parendum eſt. Nec illi vero aequum eſt prohiberi, quo minus vt homo doctus de vitiis in re militari ſententiam ſuam populo diiudicandam proponat. Cui non licet, vectigalia pendenda recuſare; qui adeo, ſi temere eiusmodi tributa vituperet, vt exemplum malum (quo omnes poſſent ad refragandum adduci) poterit puniri. Nihilominus idem haud contra ciuis officium agit, cum, vt homo doctus, contra inconuenientiam vel etiam iniuſtitiam eiusmodi tributorum palam cogitata ſua proponit. Pariter clericus tenetur obſtrictus ad orationem ſuam catechumenis coetuique ſuo conformandam ſymbolo eccleſiae, cui operam praeſtat, conuenienter; quoniam hac lege conſtitutus eſt. Verum, vt docto homini, ei prorſus liberum, atque etiam in officio eſt, cogitata ſua diligenter explorata et ſalutaria de iis, quae in vnoquoque ſymbolo in vitio ſint, conſiliaque de re religioſa atque eccleſiaſtica melius conſtituenda, cum populo communicet. Neque ea in re quidquam eſt, quod religionem poſſet offendere. Etenim, quae pro muneris ratione, vt miniſter eccleſiae, docet, ea tamquam quidpiam proponit, quod ſibi haud liberum ſit vt ex libidine doceat, verum quod vt ex praeſcriptione et nomine alius cuiusdam proponat, conſtitutus ſit. Dicet: eccleſia noſtra haec vel illa docet; his ea argumentis ad probanda illa vtitur. Tum omnem vtilitatem practicam ex traditionibus enucleat, quibus quidem ipſe haud cum firmitate animi ſubſcriberet, ad quas nihilominus proponendas fidem dare poteſt, quoniam tamen non omnino impoſſibile eſt, vt verum in iis lateat, certe nihil religioni internae repugnans in iis inuenitur. Namque ſi hoc putaret in iis ſeſe videre, ſalua religione non poſſet munere ſuo defun-

gi; ab eoque ſibi foret abdicandum. Igitur vſus rationis, qui a doctore conſtituto fit coram ſuo coetu, vſus eſt ſolum *priuatus;* quoniam hic coetus non niſi domeſtica, etiamſi vel maxima congregatio eſt; atque hoc reſpectu, vt ſacerdos, haud liber eſt, nec eſſe licet, ſiquidem mandatum exſequitur alienum. Contra vt homo doctus, qui ſcriptis ad populum proprium, id eſt, ad genus humanum, loquitur, proinde clericus in *vſu* rationis *publico* libertate fruitur haud circumſcripta vtendi ratione propria, ex perſonaque ſua ipſius loquendi. Nam populi tutores (in rebus ſacris) viciſſim ipſos eſſe minorennes debere, abſurditas eſt, rediens ad abſurditates aeternum conſeruandas.

At nonne ſocietati cuidam clericorum, fortaſſe concilio eccleſiaſtico, claſſique cuipiam venerabili (vti ſe ipſam vocat in Belgis) ius competeret, vt iure iurando ſe inter ſe inuicem ad certum quoddam ſymbolum immutabile obſtringeret, atque ita perpetuam cuiusque membri tutelam ſupremam, eaque etiam populi, gereret, eamque adeo redderet aeternam? Equidem, iſtud nullo modo fieri poſſe, contendo. Eiusmodi pactum, quod ad omnem vlteriorem a genere humano colluſtrationem aeternum arcendam iniretur, ſimpliciter vanum eſt atque irritum; etiamſi per poteſtatem ſupremam ſit comitiaque et foedera pacis ſancitum. Vna aetas non poteſt paciſci nec iure iurando confirmare, ad aetatem ſequendam in conditionem adducendum, qua fieri nequeat, vt cognitiones (praeſertim tam neceſſarias) dilatet, ab erroribusque purget, atque omnino in colluſtratione progrediatur. Id quod crimen foret contra naturam humanam, cuius deſtinatio originalis in hoc ipſo progrediendo poſita eſt, poſterisque proinde profecti ius competit decreta iſta, vt temere ac friuole ſtatuta, repudiandi. Lapis Lydius eorum omnium quae de populo poſſunt inſtar legis decerni, in hac latet quaeſtione: num populus talem ſibi ipſe queat legem praecipere? Iam id quidem, quaſi ſpe melioris, ad certum quoddam bre-

ve tempus fieri poſſet, ad res melius conſtituendas; propterea quod ſimul cuique ciui, in primis clerico, permitteretur, vt, qua homo doctus palam, hoc eſt, ſcriptis de vitioſitate conſtitutionis praeſentis cogitata proferret, interea dum ordo inſtitutus etiamnum duraret, donec perſpicientia naturae harum rerum palam tantum progreſſa confirmata fuerit, vt coniungendis ſuffragiis (quamuis haud vniuerſorum) conſilium poſſet ſuperiori proponi, eorum coetuum tuendorum, qui fortaſſe pro cogitatis ſuis perſpicientiae melioris ad mutatam religionis conſtitutionem inter ſe conuenerit, neque tamen eos impedirent, qui res manere vellent ſibi, vt fuerint. Verum vt ad conſtantem a nemine palam dubitandam religionis conſtitutionem, vel modo intra vitae ſpatium hominis, ſeſe coniungant, eoque ſpatium temporis in progreſſu generis humani ad emendationem quaſi deleant, atque inutile, eo vero fortaſſe adeo poſteritati pernicioſum reddant, nullo modo licet. Homo per ſe quidem, et tum quoque non niſi ad aliquod tempus, in iis, quae noſſe debet, colluſtrationem poteſt differre; eam vero omnino mittere, ſiue ſuo nomine, ſiue poſteritatis, idem eſt, ac ſancta generis humani iura violare ac pedibus conterere. Quae vero ne populo quidem licent de ſe ipſo decernere, ea eo minus principi licent decernere de populo; eius enim auctoritas legislatoria eo ipſo nititur, quod vniuerſam voluntatem populi coniungit in ſua. Si hoc modo curet, vt omnis vera vel opinata emendatio conſiſtat cum ordine ciuili, ſubditos pati poteſt agere, quae per ſalutem animorum agenda ſibi neceſſaria duxerint; id nihil ad eum pertinet, verum eius eſt, vt caueat, ne alterum alter per vim impediat, quo minus in ea deficienda promouendaque, quantum in ſe ſit, elaboret. Ipſi eius maieſtati derogatur, cum ſeſe immiſcet, idcirca quia ſcripta, quibus ſubditi ſtudent cognitionem perficere, digna iudicat cura ſua, cum quando id fecerit pro ſummo ſuo intellectu, vbi ſeſe exponit reprehenſioni. Caeſar non eſt ſupra grammaticos, tum quoque et

multo magis, cum poteſtatem ſupremam ſuam tantopere demittit, vt deſpotiſmum clericum quorumdam tyrannorum in ciuitate ſua contra reliquos ſubditos ſubleuet.

Cum igitur quaeritur: nuncne degimus aetatem *colluſtratam?* tum reſpondeo; minime, verum aetatem degimus *colluſtrationis.* Tantum abeſt, vt, pro re nata, in vniuerſum homines iam valeant, vel valere queant in rebus ſacris vti ſua ipſorum intelligentia ſecure beneque, nullo duce quodam alio. At, iis nunc quidem campum aperiri *libere* in eo elaborandi, impedimentaque colluſtrationis vniuerſalis aut egreſſus ex minorennitate ſua ſibi culpa contracta paullatim minui, indicia nobis maxime perſpicua videntur. Atque hoc quidem reſpectu haec aetas noſtra aetas eſt colluſtrationis ſeu ſeculum *Frederici.*

Princeps a dignitate non alienum reputans, dicere: ſeſe in *officio* ponere, vt in rebus religioſis nihil homini quidquam praeſcribatur, ſed plena illis libertas concedatur, qui proinde ipſe ſuperbum iſtud *tolerantiae* nomen deprecatur, ipſe colluſtratus eſt, dignusque, qui ab aetate grata ac poſteris celebretur pro eo, qui primus humanum genus minorennitati, certe a parte imperii, eripuerit, et quemque conceſſerit, in vniuerſis, quae religionem attingunt, propria ſua vti ratione. Sub eius imperio clericis venerabilibus, ſalvo muneris officio ſententias cognitionesque ſuas a ſymbolo accepto paſſim declinantes, vt doctis hominibus, libere palamque populo examinandas licet proponere; ſedmagis cuique alii nullo muneris officio circumſcripto. Atque haec mens libertatis etiam ad exteros dilatatur, ibi adeo, vbi illi cum impedimentis externis imperii ſe ipſum calumniantis conflictandum eſt. Namque huic tamen praelucet exemplum, ex libertate nullum quidpiam detrimentum ad ſecuritatem publicam concordiamque ciuitatis redundaturum. Homines ſe ipſi ſponte paullatim e ruditate liberant, niſi conſulto arguteris, vt in ea ſeruentur.

Caput colluſtrationis, eius nimirum, quae in egreſſu cernitur hominum ex minorennitate ſua ſibi culpa contracta, in primis poſui in *rebus religioſis*: quoniam reſpectu artium ac ſcientiarum nullum imperantium noſtrorum inuitamentum eſt, ad tutorem ſubditorum agendum; praeterea quoque illa minorennibus omnium cum perniciosiſſima eſt, tum vero etiam turpiſſima. Verum ſententia ſuperioris ciuitatis, illam promouentis, vlterius progreditur, atque intelligit, vel ipſo *legislationis* ſuae reſpectu ſine vllo discrimine poſſe ſeſe ſubditis concedere, vt propria ratione *palam* vtantur, cogitataque de meliori illius conſtitutione adeo cum cenſura liberiori iam data, palam populo proponant; cuiusmodi exemplum illuſtre habemus, quo nullus vmquam princeps illi praeceſſit, quem nosmet colimus ac veneramur.

At quoque non niſi is, qui, ipſe colluſtratus, haud vmbras metuit, ſimul vero copioſum exercitum diſciplina bene formatum ſponſorem ſecuritatis publicae in promtu habet, — dicere poteſt, id, quod reipublicae non licet: *opinemini*, *quantum quodque placuerit*; *modo parete!* Sic hic iter rerum humanarum mirabile, haud exſpectatum videmus; quemadmodum et alias, cum illud in magnis contemplatus fueris, in quo fere cuncta mirabilia videntur. Maior libertatis ciuilis gradus libertati *ſententiae* populi vtilis videtur, et tamen eam carceribus arcet haud ſuperandis; contra aliquantum minus illius huic ſpatium parat, vt pro viribus poſſit ſeſe dilatare. Cum tandem natura ſub duro hoc inuolucro furculum, cui tenerrime ea prouidet, nempe propenſionem officiumque *libere cogitandi* euoluerit; tum hic paullatim retro agit in ingenio populi (quo hic *libertatis agendi* pedetentim redditur capacior), et demum etiam adeo ad *principia* imperii, quae illi ipſi intelligit vtilia, vt homo, qui iam *plus* eſt, quam *machina*, dignitati ſuae conuenienter tractetur.

VII.

INITIUM PROBABILE HISTORIAE GENERIS HUMANI *).

In *progreſſu* cuiusdam hiſtoriae vt *inferantur* coniecturae, ad explendas, ſane licuerit, narrationum lacunas: quoniam antecedentia, vt cauſſae remotiores, et conſequentia, vt effecta, duces ſatis certi poſſunt ad cauſſas intermedias aperiendas eſſe, quo transitio comprehenſibilis reddatur. At vero hiſtoriam quamdam totam ex coniecturis *oriundam* facere, haud multo melius videtur, quam formam delineare fabulae Romanenſis. Praeterea haud ea poſſet nomine *hiſtoriae probabilis* deſignari, ſed merae *fictionis*. — Nihilominus, quod in progreſſu hiſtoriae actionum humanarum audere haud licet, id tamen licebit de *primo* illius *initio*, quatenus illud *natura* capit, ex coniectura tentari. Hoc enim non fingi licet, ſed poteſt ab experientia depromi; ſi eam poſueris primo initio nec meliorem fuiſſe, nec deteriorem, quam qualem eam nunc deprehendimus; quae quidem ſuppoſitio analogiae naturae conſentanea eſt nihilque quidquam auſi in ſe cohibet. Proinde hiſtoria primae euolutionis libertatis ex initio originario in hominis natura, longe aliud quid eſt, quam hiſtoria libertatis in progreſſu ſuo, quae non poteſt niſi in narrationibus fundari.

Nihilominus, coniecturarum cum iura in adſenſum haud liceat nimium intendi, ſed fere ſeſe ſolum vt motum phantaſiae a comite ratione ſtipatae, ac recreationem valetudinemque animi conceſſum, non vero vt negotium ſerium debeant adnuntiare; non poſſunt cum ea hiſtoria comparari, quae de eodem euento pro narratione vera propoſita creditur, cuius examinatio in principiis poſita longe aliis eſt, quam merae philoſophiae naturalis. Ob hanc ipſam cauſſam,

*) In menſtr. Berolin. Vol. III. parte 1.

atque idcirco quia hoc loco periculum facio itineris ſolum oblectandi cauſſa per veniam lectoris licebit, vt ſacro quodam documento eum in finem vtar, tamquam catena, mihique ſimul cogitatione informem, quaſi, quam alis phantaſiae, quamuis non ſine filo Ariadnaeo per rationem ad experientiam iuncta facio, via eam ipſam lineam attingat, quam illud hiſtorice deſcriptam continent. Lector documentum illud (Geneſ. II-VI.) euoluet, et pede preſſo ſequetur, an, quam philoſophia ex conceptibus inſtituit, via cum ea, quam hiſtoria indicat, conueniat.

Niſi inſanire coniecturas velis, initium ab eo faciendum eſt, quod nullo modo per rationem humanam poteſt ex cauſſis antegreſſis naturalibus deriuari, proinde ab *exſiſtentia hominis* et quidem quoad *ſtaturam abſolutam*, quoniam ei carendum eſt adiutorio materno; in vno *pari*, vt genus ſuum propaget; etiamque non niſi in *vno* pari, ne continuo bellum oriatur, ſi homines ſibi inuicem propinqui eſſent et tamen alieni, vel etiam ne natura incuſetur, ſe per varietatem generationis conuenientiſſimam ſocialitatis cauſſam neglexiſſe. vt finis maximi deſtinationis humanae; nam vnitas familiae, vnde omnes deberent homines deſcendere, ſine dubio optimum eius rei conſilium fuit. Par iſtud in locum conſtituo contra impetum beſtiarum rapacium munitum omnibusque alimenti ſubſidiis ab natura largiter inſtructum, proinde quaſi in *hortum* quemdam, ſub caelo ſemper miti. Quid? quod iſtud duntaxat conſidero, poſteaquam iam multum profecit dexteritate vtendi viribus ſuis, ideoque non a ruditate naturae eius incipio; facile enim coniecturarum lectori fieri nimium, ſed probabilitatum parum, ſi iſtam lacunam, quae, vt videtur, permagnum temporis ſpatium complectitur, vellem explere. Igitur primus homo *ſtare* valuit atque *incedere*; poterat *loqui* (Geneſ. II. 20.) *), adeo-

*) *Adpetitu ſeſe communicandi* hominem, adhuc ſolum, erga naturas viuas extra ſe, praeſertim eas, quae ſonum edunt,

Digitized by Google

que *dicere*, id eſt, ex conceptibus loqui connexis (*r. 23*), proinde *cogitare*. Quae cuncta in artibus ſunt, quas ſibi ipſe comparare deberet (ſi enim forent connatae, etiam haereditate venirent, quod vero pugnat cum experientia); quibus autem illum in praeſens iamiam ornatum ſumo, vt tantummodo euolutionem naturae moralis in agendo mittendoque, quae dexteritatem illam neceſſario ſupponit, conſiderem.

Inſtinctus, haec *vox dei*, cui omnia animalia parent, nouitium initio ſolus debuit ducere. Hic ei nonnullas res alimento conceſſit, alias vetuit (III. 2. 3.). — Nec vero neceſſe eſt, peculiarem inſtinctum quemdam, nunc perditum, eam ad rem ſumi; ſolo iſtud ſenſu odoris, eiusque cognatione cum organo gulſus, huiusce vero nota cum inſtrumentis concretionis contagione, ideoque quaſi facultate praeſentionis vtilitatis vel inutilitatis cibi cuiusdam ad fruitionem, qualem etiamnunc percipimus, fieri potuit. Neque adeo hic ſenſus in primo pari acutior, quam nunc eſt, ſumi debet; ſatis enim notum eſt, quantum in arte percipiendi discrimen inter homines inueniatur, ſolis ſenſibus occupatos, eosque qui ſimul in cogitatione verſantur, eo vero a ſenſationibus auertuntur.

Homo imperitus, quamdiu huic naturae voci obtemperaret, bene ſe habuit. Sed *ratio* mox coepit moueri, comparatisque fruendo perceptis cum iis, quae ſenſu alio, quam eo, ad quem adſtrictus eſſet inſtinctus, ſenſu fere viſus, ſibi iis, quae fruendo

quem imitari poteſt, quique poſtea eſſe pro nomine poteſt, primo, neceſſe eſt eſſe commotum ad exſiſtentiam ſuam manifeſtandam. Effectum ſimile huiusce adpetitus videmus quoque etiamnunc in paruulis hominibusque ſtupidis, qui ſtrepitu, clamore, ſibilo, cantuque et aliis occupationibus ſonoris (ſaepenumero etiam deuotionibus) cogitantem reipublicae partem perturbant. Neque enim vllum aliud momentum video, quam quod exſiſtentiam longe lateque circum circa velint manifeſtari.

percepiſſet, ſimilia repraeſentabantur, alimentorum cognitionem vltra inſtinctus cancellos dilatauit (III. 6.). Quod periculum caſu potuiſſet ſatis ſuccedere, quamvis inſtinctus haud fuaſerit, modo ne repugnaret. Verum hoc proprium rationis eſt, vt cupiditates queat per phantaſiam adiuta, non ſolum *ſine* adpetitu naturae, ſed etiam adeo *contra* illum, arte prouocare, quae initio nomine denotantur *libidinis*, qua vero ſenſim paullatimque vis inclinationum inutilium atque etiam naturae contrariarum, nomine *luxuriae*, excluduntur. Cauſſa, ab adpetitu naturae ſeſe alienandi, tantummodo res parua eſſe poterat; verum euentus primi tentaminis, nimirum rationis ſuae vt facultatis ſibi ſe conſcium reddendi, quae vltra cancellos, quibus omnes belluae tenentur, ſeſe poſſit dilatare, grauiſſimus fuit ac vitae genus determinans. Si igitur vel modo fructus fuiſſet, cuius adſpectus per ſimilitudinem aliarum rerum iucundarum, quas alias guſtaſſent, ad tentandum inuitaret; cui ſi forte exemplum acceſſiſſet animalis cuiusdam, cuius naturae eiusmodi fruitio conueniret, contra eo vero homini noceret, vt proinde in hoc naturalis inſtinctus ineſſet repugnans: hoc iam ſatis poterat rationem mouere, vt naturae vocem luderet (III. 1.), et quamuis haec maxime repugnaret, primum optionis liberae periculum faceret, quod vt primum, probabile eſt, non exſpectationi conuenienter ſucceſſit. Vt maxime autem exiguum damnum fuerit, tamen eo homini oculi aperiebantur (v. 7.). Inuenit in ſe facultatem, ſponte vitae genus deligendi, neque, vti reliqua animantia vni ſe cuidam adſtrigendi. Hanc complacentiam momentaneam, quae hoc principatu percepto in ſe excitaſſet, continuo, neceſſe fuit, vt angor aegritudoque ſequerentur; quo tandem modo, qui nondum rem vllam ex proprietatibus eius occultis effectisque remotis nouerat, facultate recens aperta vti deberet. Stetit quaſi in margine voraginis; namque ex rebus ſingularibus cupiditati propoſitis, illi huc vsque inſtinctu monſtratis, patefacta earum erat infinitas, in qui-

bus deligendis adhuc parum verſatus erat; atque ex hoc libertatis ſtatu ſemel guſtato nihilominus nunc haud poterat in ſtatum ſeruitutis (ſub imperio inſtinctus) rurſum reuerti.

Proximus inſtinctui alimenti, per quem quodque individuum natura conſeruat, *inſtinctus* eſt *ſexus*, quo cuique ea generi conſeruando proſpicit. Ratio ſemel excitata nunc non deerat, quo vim ſuam in hoc quoque exſereret. Homo breui inuenit, illecebras ſexus, quae in beſtiis ſolum in impulſu poſitae ſunt transitorio, maximamque partem ad certum tempus adſtricto, ab ſe dilatari poſſe atque etiam augeri per phantaſiam, quae rem ſuam cum maiori quidem temperantia gerit, ſed ſimul tamen conſtantius et aequabilius, quo magis res obiecta ſenſibus *ſubducitur*, eoque taedium euitari, quod ſatiatio cupiditatis adfert ſolum animalis. Folium ficus (v. 7.) igitur effectum erat rationis multo plus exſertae, quam in primo gradu euolutionis. Namque inclinationem eo reddere ardentiorem et conſtantiorem non poteris, niſi iam tibi conſcius ſis imperii rationis in inſtinctibus; neque ſolum, vti in primo gradu, vt facultate polleas eos plus minusue explendi. *Recuſatio* artificium fuit, quo ab illecebris ſolum ſenſu perceptis ad ideales, a cupiditate ſolum animali paullatim ad amorem, cum eoque a ſenſu mere iucundi ad ſenſum pulcri, initio duntaxat in homine, tum vero etiam in natura rerum, transitus fierit. *Modeſtia*, quae cernitur in inclinatione per decorum (occultationem eorum, quae excitare poſſent contemtum) aliis aeſtimationem erga nos inſtillandi, vt fundamentum proprium vniuerſae verae ſocialitatis, praeterea nutum dedit primum ad efformandum hominem, vt rem creatam moralem. — Paruum id quidem initium, ſed inſigne, propterea quod ingenio mentis prorſus nouam directionem impertit, grauius eſt, quam vniuerſa ſeries immenſa dilatationum culturae illud conſequentium.

Tertius tum rationis gradus, poſteaquam ea ſe in primas proxime ſenſu perceptas neceſſitates im-

miſcuiſſet, deliberata fuit *futuri exſpectatio*. Haec facultas, non ſolum praeſenti vitae momento perfruendi, verum tempus futurum, ſaepenumero valde remotum, ſibi praeſens reddendi, nota maxime inſignis eſt principatus humani, vt deſtinationi ſuae conuenienter poſſit ad fines remotos ſeſe praeparare, ſed ſimul quoque fons inexhauſtiſſimus curarum atque ſollicitudinum, quas in certum tempus futurum excitat, quibusque cuncta animalia carent (v. 13-19.). Vir, qui ſe vxoremque, cum prole futura, alere debebat, creſcentem laboris moleſtiam videbat; femina moleſtias, quibus ſexum ſuum natura ſubieciſſet, praetereaque eas, quas maritus valentior ſibi impoſiturus, praeuidebat. Ambae poſt vitam aerumnoſam praeterea in poſteriori parte tabulae id quod omnia quidem animalia manet, quamuis nullis premantur aerumnis, nempe mortem, cum timore praeuidebant; ſibique vſum rationis haec cuncta mala adferentis reprehenſioni ducere criminique videbantur. Fortaſſe ſpes vna laeta, qua erigerentur, erat exſpectatio, fore, vt in poſteris viuant, quorum forte melior conditio eſſe poſſit, aut qui fere etiam vt membra familiae, moleſtias ſuas ſubleuaturi ſint.

Tandem quartus gradus atque vltimus, quem ratio fecit hominem ſupra ſocietatem cum beſtiis prorſus eleuans, verſabatur in eo, quod (quamquam tantummodo obſcure) comprehenderet, ſe proprie *finem* eſſe *naturae*, nihilque quidquam eorum, quae degunt in terris, ea in re contra ſeſe eſſe poſſe competitorem. Prima vice, cum ad ouem diceret: *pellis, quem geſtas, natura tibi dedit non tibi, ſed mihi*, eumque illi detraheret, ſibique indueret (v. 21.); principatum animaduertit, quem, per naturam ſuam, prae omnibus animalibus obtinebat, quae nunc haud amplius vt ſocios creationis, verum vt inſtrumenta voluntati ſuae ad fines conſequendos arbitrarios permiſſa conſideravit. Hac repraeſentatione cogitatio contrarii (quamvis obſcure) concluditur. Sibi tale quidpiam *non*

licere ad vllum *hominem* dicere, verum hunc vt aequalem munerum naturae participem debere contemplari: quae quidem praeparatio eſt e longinquo facta ad circumſcriptiones, quas ratio aliquando voluntati reſpectu alterius ſtatuere deberet, et quae longe magis ad conſtituendam ſocietatem neceſſaria eſt, propenſione animi atque amore.

Atque ita homo *aequalitatem* adeptus eſt *naturarum omnium ratione praeditarum*, cuius illae cumque ordinis fuerint (III. 22.), nimirum reſpectu iuris, vt *ipſe finis eſſet*, atque a quouis alio vt talis aeſtimaretur, nec ab vllo tantummodo vt inſtrumentum variarum cupiditatum explendarum ſpectata, cauſſa ineſt aequalitatis hominis tam illimitatae, cum ipſis naturis celſioribus, quae naturae muneribus alioquin eo longe fuerint praeſtantiores, quarum vero nulli idcirco ius competit de eo, vti in libidinem venerit, ſtatuendi. Qui proinde gradus ſimul coniunctus eſt cum *dimiſſione* illius ex gremio naturae: atque ea mutatio honorifica quidem eſt, ſed ſimul admodum periculoſa, propterea quod ea ex ſtatu tutelae aerumnis vacuo ſecuroque, quaſi ex quodam horto, quo nulla data opera aleretur, expulſus (v. 23), in mundum immenſum tenderetur, vbi tot ſolicitudinum, laborumque ac malorum ignotorum eum maneat. Olim aerumna vitae ſaepius illi deſiderium eliciet paradiſi, idoli phantaſiae, vbi otio quiete et pace perpetua exſiſtentiam ſomniando poſſit nugandoue perdere. Verum inter eum illamque putatitiam gaudiorum ſedem ratio indefeſſa atque ad euoluendas in ſe inditas facultates ſumma vi cogens, neque ei concedit, vt in ſtatum ruditatis ſimplicitatisque, vnde eam traxerat (v. 24.), reuertatur. Ea illum incitat ad laborem, quem fugit, nihilominus patienter ſuscipiendum crepundiasque, quas deſpicit, perſequendas, et mortem ipſam, quam auerſatur, prae vniuerſis minutiis iſtis, quarum iacturam multo magis pertimeſcit, obliuiſcendam.

SCHOLION.

Ex hac descriptione primae generis humani historiae manifestum est, egressum hominis ex hoc paradiso, per rationem ei, vt primum generis illius domicilium repraesentatum non nisi transitum fuisse ex ruditate creatae rei solum animalis in formam humanam, ex serperastro instinctus ad ductum rationis, vno verbo, ex tutela naturae in statum libertatis. Vtrum ex hac mutatione homo quidpiam lucri ceperit, an detrimenti, nunc haud amplius quaeri potest, cum destinatio eius generis spectatur, quae non nisi in *progressu* consistit ad perfectionem, vt maxime vitiosa fuerint tentamina prima, vel per longam membrorum seriem sibi inuicem succedentia, ad hancce metam perueniendi. — Interim istud iter, quod generi *progressus* est a deteriori ad melius, haud fere idem est singulo seu indiuiduo. Antequam ratio expergisceret, nondum vllum praeceptum fuit aut vetitum, nec proinde vllum peccatum; cum ea vero negotium institueret, et cum natura animali eiusque robore vniuerso, pro virium tenuitate conflictaretur, non poterant non mala inde, et, quod prius est, ratione magis exculta, vitia exsistere, statui inscitiae, proinde innocentiae, prorsus aliena. Primus ergo ex hoc statu gradus a parte morali fuit *casus*; a parte physica hunc casus vis malorum vitae numquam cognitorum, proinde poena, sequebatur. Itaque historia *naturae* incipit a bono, siquidem ea *opus dei* est; sed *libertatis* historia a malo, quoniam *opus* est *hominum*. Singulo seu indiuiduo, quod in libertate vtenda solum se ipsum spectat, eiusmodi mutatio detrimento cessit; sed naturae, consilium cum homine ad genus regentis, lucro fuit. Est igitur, cur illud omnes, quas perpetitur, miserias, malaque, quae perpetrat, omnia, sibi ipsi culpae tribuat, sed simul quoque vt membrum vniuersi (generis) sapientiam conuenientiamque ordinationis admiretur ac celebret. — Hoc modo adsertiones *Ioannis Iacobi Rousseauii* tam crebro calumniam

expertae, et ſpecie ſecum inuicem pugnantes et ſecum ipſis poſſunt et cum ratione conciliari. In libris eius *de contagione ſcientiarum*, et *de hominum inaequalitate* pugnam culturae cum generis humani natura, vt generis *phyſici*, cuius quodque ſingulum ad deſtinationem ſuam debeat totam pertinere, veriſſime demonſtrat; in *Aemilio* autem, et *contractu ſociali*, aliisque ſcriptis rurſum tentat problema enodare difficilius: quomodo progredi cultura debeat, vt initia humanae naturae dotesque vt generis cuiuspiam moralis, ad deſtinationem ſuam rite euoluantur, ita, vt hoc illi, vt generi phyſico haud amplius repugnet. Ex qua pugna (cum cultura, ex veris *educationis* ad hominem ſimul et ciuem, fortaſſe nondum plene inſtituta ſit nedum abſoluta) omnia vera mala oriuntur, quibus hominum vita vexatur, et vitia omnia, quibus ea dehoneſtatur *); interea dum inuitamenta vitio-

*) Vt nonnulla modo exempla adferam huiusce pugnae inter conatum humanae naturae ad deſtinationem *moralem* legum rudi ſtatui atque animali in naturam illius inditarum immutabilem obſeruationem, haec monebo.

Epocham maiorennitatis, id eſt, cum adpetitum, tum facultatis, ſui generis procreandi, natura aetatem ſtabiliuit ſedecim vel ſeptemdecim annorum: in qua quippe aetate iuuenis in rudi naturae ſtatu ad literam vir euadit; tum enim facultatem habet ſe ipſum alendi, genusque ſuum procreandi, et hoc quoque, vna cum vxore alendi. Simplicitate neceſſitatum hoc illi facile redditur. Contra in ſtatu exculto multis ad hoc opus eſt acquirendi ſubſidiis, cum artibus, tum vero etiam rebus proſperis externis, ita vt haec epocha, in ciuitate, ſaltem in vniuerſum decem annis longius proferatur. Interim natura tempus maturitatis non ſimul cum progreſſu politurae ſocialis mutauit, ſed legem conſtanter ſequitur, quam ad conſeruandum genus humanum, vt genus animale propoſuit. Ex quo fini phyſico per mores, et his per illum, detrimentum ineuitabile enaſcitur. Nam homo naturalis iam certa quadam aetate vir eſt, cum homo ciuilis (qui tamen haud deſinit homo naturalis eſſe) tantummodo adoleſcens, quin adeo paruulus eſt; ſic enim commode dici poterit, qui propter aetatem (in ſtatu ciuili) ne ſe ipſum quidem, multo minus genus ſuum tueri poteſt, quamuis adpetitum habeat facultatemque, proinde vocem naturae ſubolis procreandae. Neque profecto natura adpetitus facultatesque naturis viuis indidit, quos im-

rum, in quae culpa confertur, per ſe bona ſunt atque vt munera naturae conſentanea, his vero mune-

pugnarent atque ſupprimerent. Ergo initia eorum nullo modo ſpectabant ſtatum moratum, ſed ſolum conſeruationem generis humani, vt generis animalis; ſtatusque proinde politus cum hoc non poteſt non in pugnam incurrere, quae non niſi conſtitutione ciuili abſoluta (vltimo culturae fine) tolli poſſet, cum nunc quidem interſtitium iſtud vitiis ſoleat, eorumque effectu, varia miſeria humana, occupari.

Aliud exemplum, quo veritas confirmatur ſententiae: natura in nobis duo duorum diuerſorum finium initia, quippe generis humnni vt generis animalis, atque eiusdem, vt generis moralis conſtituiſſe, iſtud Hippocratis eſt: *ars longa, vita breuis.* Scientiae artesque ingenio poſſent, ad eas facto atque idoneo, ſi ſemel ad iuſtam iudicii maturitatem longo vſu partaque cognitione peruenerit, multo longius prouehi, quam vniuerſis doctorum generationibus ſucceſſiue fieri poteſt, ſi illud modo eadem vi ſpiritus iuuenili per tempus, hisce generationibus ſimul conceſſum, vitam propagarent. Iam natura conſilium de vitae humanae duratione manifeſto alio reſpectu cepit, quam artium promouendarum. Quodſi enim ingenium vel praeſtantiſſimum in margine verſetur inuentorum, quam de dexteritate ſua experientiaque ſperare poſſit, maximorum, ſenectus adeſt, hebeſcit, alterique generationi (quae rurſus ab elementis inſtituit, vniuerſumque tractum, quam profligatum, denuo, oportebit, percurrat) cogitur relinquere, vt ſpithamam addat in progreſſu culturae. Quapropter iter generis humani ad totam deſtinationem ſuam conſequendam perpetuo videtur interruptum, continuoque in periculo verſari in veterem ruditatem relabendi; nec plane ſine iniuria Graecorum philoſophus conqueſtus eſt: *dolendum eſt, tum nos mori oportere, cum modo coeperis intelligere, quo modo reapſe viuere debuiſſes.*

Tertium denique exemplum eſto hominum *inaequalitas*, et quidem non reſpectu dotum naturae aut fortunarum, ſed *iuris humani vniuerſalis*: qua de inaequalitate veriſſime queritur *Rouſſauius*, quae vero non eſt a cultura ſeparanda, quatenus ea quaſi ſine conſilio ac temere progreditur (quod itidem non poteſt aliquamdiu euitari), atque ad quam natura hominem profecto haud deſtinauerat, cum ei libertatem impertiret, et rationem, vt iſtam libertatem non niſi propria ſua legalitate vniuerſali et quidem externa, quae *ius ciuile* dicitur, coërcendam. Homo ex ruditate initiorum naturalium ſe ipſe debuit proripere, et, dum ſuper ea ſe elevat, tamen cauere, ne contra illa impingat; quam quidem habilitatem non poteſt niſi ſero et multis poſt conatibus infauſtis exſpectare, dum interea humanum genus ſub malis ingemiſcit, quae ſibimet ipſa per imperitiam contraxit.

Digitized by Google

ribus siue naturae initiis, cum solum spectent statum naturae, per progredientem culturam derogatur, eaque vicissim huic derogent, donec ars perfecta rursum conuertitur in naturam: id quod finis vltimus est destinationis generis humani.

CONCLUSIO HISTORIAE.

Initio periodi insequentis homo e periodo commoditatis pacisque in periodum *laboris* transiret et *discordiae*, tamquam praeludium coniunctionis in societate. Hic rursum magnus faciendus saltus est, vt eum continuo in possessionem transponamus animalium mansuefactorum herbarumque, quas ipse serendo plantandoue in alimentum sui poterat multiplicare (IV, 2.); quamquam transitio ex fera vita venatoria in statum primum, atque ex vago radicum fodiendarum colligendarumque frugum in statum secundum satis tarde profecerit. Hic igitur, necesse erat, vt discordia inter homines eo vsque tranquille iuxta se inuicem viuentes iamiam inciperet, cuius effectum separatio esset eorum, qui diuersum vitae genus sequerentur, eorumque in terris dissipatio. *Vita pastoritia* non solum commoda est, sed etiam, quoniam in territorio longe lateque deserto pabulum deesse non potest, alimenta praebet certissima. Contra *agricultura*, plantatione, valde laborioſa est, aptaque ex inconstantia tempestatis, et proinde incerta, postulat quoque domicilium perpetuum, dominiumque territorii, et potestatem idoneam ad illud defendendum; sed pastor odit istud dominium, quod libertatem circumscribit pascuorum. Atque agricola quidem pastori vt magis a caelo amatus videri poterat (v. 4.); reapse vero pastor, quamdiu in vicinio maneret, ei facessit molestiam; siquidem pecus pascens plantationibus suis haud parcit. Cum igitur pastori, pro damno, quod fecit, nihil negotii est, cum armentis ac gregibus longius recedere, quoniam nihil relinquit, quod idem haud vbique locorum deprehenderet; sane fuit agricola, qui contra istas iniurias, quas alter haud illicitas pu-

taret, vim adhibere, et (cum occaſio numquam penitus poſſet ceſſare), niſi fructus diuturnae induſtriae vellet perdi, tandem quoad eius fieri poſſet, ab iis, qui vitam ſectarentur paſtoritiam, ſeſe cogeretur remouere (v. 16.). Atque hac ſeparatione tertia epocha efficitur.

Solum, a cuius tractatione et plantatione (inprimis arboribus) alimenta pendent, domicilia poſtulat perpetua; eiusque contra omnes violationes defenſio opus habet multitudine hominum ſibi inuicem opitulantium. Proinde in hoc vitae genere non poterant homines ſeſe per familias diſſipare, ſed cogebantur ad concordiam ſeruandam, pagosque (qui improprie *vrbes* dicebantur) conſtituendos, vt poſſeſſionem tuerentur contra venatores feros vel nomadas paſtorum vagabundorum. Nunc primae neceſſitates vitae, quae non ſunt niſi per *diuerſitatem generis vitae* comparandae (v. 20.) inter ſe poterant *permutari*. Inde neceſſe fuit, vt exſiſteret *cultura*, *artisque* initium, cum temporis fallendi, tum diligentiae (v. 21, 22.); quod vero caput eſt, nonnullum inſtitutum conſtitutionis ciuilis, publicaeque iuſtitiae, primo ſane quidem non niſi propter maximas iniurias, quarum vltio nunc quidem haud amplius, vti in ſtatu fero, ſingulis, ſed poteſtati legali commiſſa erat, quae vniverſitatem contineret, id eſt, generi cuidam imperii, in quod ipſum haud liceret poteſtatem exerceri (v. 23, 24). — Ab hoc igitur primo rudique initio vniuerſa ars humana, praeſertim *ſocialitas ſecuritasque ciuilis*, quae vtiliſſimae artium ſunt, paullatim poterant euolvi; humanumque genus multiplicari, atque ex loco quodam, velut apiaria, colonis iam efformatis emittendis vbique dispergi. Atque cum hacce epocha primordia cepit hominum *inaequalitas*, qui fons eſt vberrimus tot malorum, ſed omnium etiam bonorum, porroque increuit.

Quamdiu autem a populis nomadibus paſtoritiis, ſolis deum dominum ſuum agnoſcentibus, vrbium

Digitized by Google

habitatores atque agricolae, qui hominem (magiſtratum) dominum habent (VI. 4.) *) infeſtaretur, eosque velut hoſtes capitales omnis dominii terrarum viciſſim odio haberent; bella quidem inter vtrosque continua, certe periculum bellorum, fuere, atque vtrique populi proinde intus laetari de bono incomparabili libertatis potuerunt — (nam periculum bellorum etiamnunc vnum eſt, quo deſpotiſmus temperetur; quoniam diuitiis opus eſt, vt ciuitas nunc potens ſit, ſine *libertate* autem nulli induſtriae, quae parare diuitias poſſet, locus videtur. In populo paupere loco illius permagna communio eſſe debet reipublicae conſeruandae; quae viciſſim eſſe non poteſt, niſi in ea ſe liberum ſentiat). — Tempore autem nihilominus luxus exoriens vrbicolarum, in primis vero ars placendi, qua mulieres vrbanae ſordidas deſertorum feminas, obſcurarent, neceſſe fuit, vt paſtores iſtis admodum ineſcaret (v. 2), vt ſeſe cum his coniungerent, ſplendidaque oppidorum miſeria traherentur. Vbi tum duobus populis quondam ſibi inuicem inimicis conflandis, cum fine omnis bellorum periculi, ſimul finis vniuerſae libertatis, proinde deſpotiſmus tyrannorum potentium, ſed cultura vix adhuc inſtituta in animis luxuries in ſeruitute abiectiſſima, cum vniuerſis ſtatus rudis vitiis mixta, genus humanum a progreſſu initiorum boni excolendorum ab natura ſibi praeſcripta genus humanum abduxit, eoque illud ipſa exiſtentia illius, vt generis ad imperandam terram, non ad beſtiis modo perfruendum nec ſeruiliter miniſtrandum deſtinati, reddidit indignum (v. 17.).

*) *Beduini* Arabici etiamnunc liberos ſeſe vocant priſtini cuiuspiam *Schechi*, auctoris ſtirpis ſuae (vel *Beni Haled* et ſimilium). Hic neutiquam eorum dominus eſt, neque pro arbitrio poteſt vllam in iis poteſtatem exercere. Etenim in populo paſtoritio, cum nemini ſundi dominium ſit, quod ei relinquendum foret, quaeque familia, cui ibi commoratio displicet, facillime ab ſtirpe poteſt ſeſe ſegungere, aliamque augere.

SCHOLION FINALE.

Homo cogitabundus aegritudinem in ſe percipit, quae adeo poteſt in prauitatem morum conuerti, quam prorſus ignorat temerarius, nimirum indignatio animi de prouidentia, mundum regente in vniuerſum; cum mala ad calculum reuocat, quibus genus humanum, et (vti videtur) ſine ſpe melioris, premitur. Sed res eſt maximi momenti, vt *prouidentia ſimus contenti* (quamquam ea nobis in hac terra noſtra viam deſignavit tam laborioſam): partim vt in moleſtiis ſemper animum capiamus, partim vt ne, cum in fatum transferentes, propriam culpam noſtram, quae fortaſſe vna omnium eorum malorum cauſſa fuerit, ex *oculis* mittamus, atque in nobismet ipſis emendandis remedia illorum negligamus.

Fatendum eſt, maxima, quibus populi morati premuntur, mala a *bello* nobis, et non tam eo quidem, quod eſt fuitue, quam ab *adparatu* belli futuri, numquam ceſſante, adeoque perpetuo aucto contrahi. Quo quidem omnes ciuitatis vires, fructus culturae omnes, qui ad culturam maiorem adhiberi poſſent, impenduntur; libertati multis in locis maxime derogatur, curaque ciuitatis materna membrorum ſingularium in ſummam petitionum ſeueritatem commutatur, interea dum haec quoque per metum periculi externi defenditur. Sed num haec cultura, num arcta ordinum reipublicae coniunctio ad ſalutem mutuo promouendam, num multitudo hominum, atque etiam is libertatis gradus, qui, quamuis legibus admodum circumſcriptis, relinquitur, deprehenderetur, niſi bellum iſtud ſemper exſpectatum ipſis ciuitatum ſuperioribus hanc *generis humani veneration*em extorqueret? Contempleris modo *Sinam*, cui pro ſitu ſuo ſane quidem aliquando oppreſſio improuiſa exſpectanda eſt, numquam vero hoſtis potens, atque in qua proinde omne libertatis veſtigium deletum eſt, — Igitur in eo culturae

gradu, in quo humanum genus etiamnunc verſatur, bellum eſt inſtrumentum neceſſarium culturae augendae; et non niſi cultura (neſcio quando) confecta abſolutaque, pax ſempiterna nobis ſalutaris foret, et fieri quoque per illam ſolam poſſet. Ergo, hoc quidem reſpectu, malorum culpa in nobismet ipſis haeret; de quibus tantopere querimur; ſanctumque documentum coniunctionem populorum in vna ſocietate, eorumque liberationem plenam a periculo externo, cum cultura eorum vix inſtituta eſſet, vt impeditionem vniuerſae culturae vlterioris, ac demerſionem in perniciem inſanabilem veriſſime repraeſentauit.

Altera deinde hominum *indignatio* ordinem naturae ſpectat ratione *breuitatis vitae*. Is male, oportebit, vitae pretium ſtatuerit, qui, vt ea longior, quam reuera eſt, debeat eſſe, optauerit; ea enim non niſi prolongatio foret luſus cum meris moleſtiis adſidue conflictantis. Sed iudicio puerili fortaſſe condonandum fuerit, mortem metuenti, nec amanti vitae, quod, dum grauatur vitam per quemque diem ſingulum animo aliquantum contento degere, tamen numquam ſatis dierum habet, ad iſtud onus repetendum. Quodſi autem tantummodo cogites, quot curis cruciemur, de adiumentis huiusce tam breuis vitae tolerandae, quantum iniuſtitiae ſpe fruitionis futurae, quamvis tam parum durantis perpetretur; ſana ratione commotus, neceſſe eſt, credas, ſi homines vitam poſſent 800, et quod excurrat, annorum proſpicere, patrem prae filio, fratrem prae fratre, amicumue prae amico vix certum amplius de vita futurum, vitiaque humani generis tam diu viuentis tanta incrementa captura, vt nulla meliori ſorte digni forent, quam ex inundatione vniuerſali de terra deleri (v. 12. 13.).

Tertium tum optatum, vel potius deſiderium inane (neque enim vmquam deſideratum nobis poſſe obtingere, nobis conſcii ſumus) vmbra eſt *aetatis aureae* a poëtis tantopere concelebratae; vbi liberati

ab omni neceſſitate putatitia, qua per luxuriam oneramur, fieri debeat, animus ſola neceſſitate naturae contentus, perpetua hominum aequalitas, pax inter eos ſempiterna, verbo vera finitio vitae curis ſolutae ſomniando per deſidiam confectae, aut puerili luſu perditae: — quod quidem deſiderium Robinſonos atque itinera ad inſulas marinas auſtrales tam gratos reddit, omnino autem taedium probat, quod cogitabundus homo ex vita polita percipit, cum pretium eius tantummodo in *fruitione* quaerit, contraque rationem habet *deſidiae*, ſi forte per rationem moneatur, vt vitae pretium impertiat *actionibus*. Vanitas huiusce deſiderii ad tempus illud ſimplicitatis innocentiaeque revertendi ſatis manifeſta erit, ſi per ſuperiorem ſtatus originarii deſcriptionem edoceamur: hominem in eo non poſſe ſeſe tueri, propterea quod ſibi haud ſufficiat: multo minus velle vmquam ad eum reuerti, ita vt ſtatum praeſentem aerumnarum tamen ſemper ſibi ipſi optionique ſuae propriae debeat tribuere.

Igitur homini eiusmodi exhibitio hiſtoriae ſuae ſalutaris eſt et vtilis ad inſtitutionem et emendationem, qua edocetur: non oportere de malis, quibus prematur, vllam ſeſe prouidentiae culpam tribuere: nec ſibi competere, vt propria peccata ſua crimini cuidam originario parentum primorum tribuat, quo fortaſſe propenſio ad ſimilia peccata in poſteris effectum ſit vt haereditate propagetur (namque in actionibus voluntariis nihil quidquam ineſſe poteſt, quod haereditate transferatur); verum ſeſe, quae ab illis facta ſunt, iure optimo debere tamquam ab ſe ipſo facta agnoſcere, ideoque malorum omnium, ex abuſu rationis oriundorum culpam ſibi ipſi totam tribuere, idcirco quia ſibi probe fieri conſcius poteſt, iisdem ſeſe temporibus itidem geſturum, primumque ratione vſurum fuiſſe, ad ea (contra ipſum naturae nutum) abutenda. Propria mala phyſica, ſi res fuerit de moralibus confecta, tum in comparandis merito et culpa, haud facile cumulum poſſunt in noſtram vtilitatem efficere.

Digitized by Google

Atque ita momentum antiquiſſimae humani generis hiſtoriae per philoſophiam tentatae pax eſt cùm prouidentia curſuque rerum humanarum in vniuerſum, qui haud profectus a bono ad malum pergit, ſed a deteriori ſeſe paullatim ad melius euoluit; ad quem quidem progreſſum vt quisque, quantum in ſe eſt, conferat, iam per naturam ipſam iubetur.

VIII.

DE VSU PRINCIPIORUM TELEOLOGICORUM IN PHILOSOPHIA. *)

Si *naturam* dicas complexum omnium, quae ex legibus determinata exſtent, mundo (vt natura proprie ſic dicta) cum cauſſa ſuprema coniuncto, inueſtigatio naturae (priori loco phyſica vocata, altero metaphyſica) via poteſt duplici tentari, ſcilicet aut *theoretica*, aut *teleologica*, in hac poſteriori autem, vt *phyſica* tantummodo tales fines, qui nobis innoteſcere per experientiam poſſunt, contra vt *metaphyſica*, deſtinationi ſuae conuenienter, non niſi vnum finem, per rationem puram fixam ac ſtabilitam, poteſt ad conſilium ſuum adhibere. Alio loco oſtendi, rationem in metaphyſica ad viam naturae theoreticam (reſpectu cognitionis dei) *vniuerſum* non poſſe ex ſententia adſequi, eique proinde ſolum adhuc reliquam eſſe teleologicam, ita tamen, vt haud finibus naturae, poſitis tantummodo in argumentis experientiae, ſed fine ex anticipatione per rationem puram practicam definite dato (in idea ſummi boni) defectus debeat theoriae imperfecte expleri. Ius ſimile, quin adeo neceſſitatem, a principio quodam teleologico proficiſcendi, vbi a theoria deſtituimur, in paruo quodam ſpecimine de formis hominum euici. Vtraque cauſſa vero continetur petitio, cui inuito ſeſe intelligentia ſubiicit, et quae ſatis poteſt anſam praebere calumniae.

Iure in omni inueſtigatione phyſica primo natura theoriam expetit, et non niſi ſerius finium conſtitutionem. Defectum theoriae nulla teleologia poteſt, nec forma finalis practica ſupplere. Reſpectu cauſſarum efficientium ſemper manemus ignari, quamuis conuenientiam ſuppoſitionis noſtrae cum cauſſis finalibus, ſiue naturae ſiue voluntatis noſtrae, poſſimus ad oculos demonſtrare. Maxime autem haec querela

*) In Mercurio theodiſco 1788. Ian. et Febr.

Digitized by Google

tum vera esse videtur, cum (vti in casu illo metaphysico) adeo leges oportet practicas antecedere, vt finis demum indicetur, cuius gratia conceptum caussae cogito determinare, qui tali modo naturam rei obiectae nullo modo videtur attingere, sed solum in occupatione in finibus nostris propriis ac necessitatibus versari.

Semper difficulter possumus *conuenire* in principiis, cum duplex rationis inuitamentum est, mutuo sese coërcens. Verum adeo difficulter possumus nosmet de principiis huiusce generis *intelligere*, siquidem viam attingunt et methodum cogitandi ante determinationem obiectae rei iuribusque rationis secum pugnantibus locus redditur ambiguus, ex quo res obiecta considerandа est. In hocce *libello periodico* *) duo sunt meorum speciminum de duabus rebus maxime diuersis et pondere valde inaequali subtili examini subiecta. In vno *haud intellectus* sum, quamuis exspectaram, sed in altero omni spe *melius mens mea percepta* est; vtrumque a viris dote praeclara, vigoreque iuuenili et fama efflorescente. In illo in suspicionem incidi, quasi ad quaestionem inuestigationis naturae *physicae* ex documentis vellem religionis respondere: in altero suspicione liberatus sum, ac si, argumento imperfectionis *metaphysicae* inuestigationis naturae, vellem religioni quidquam detrahere. In vtroque impedimentum, ne intelligar, nititur iure nondum satis euidenter demonstrato, vbi fontes cognitionis theoretici haud sufficiunt, principio vtendi teleologico, hac tamen vsus illius circumscriptione, vt inuestigationi theoretico-contemplatiuae de iure caueatur *praecedentiae*, vt primo vniuersam eius facultatem in eo experiamur (in quo quidem in metaphysica iure a ratione pura postulatur, vt hoc, omninoque, quae sibi de vlla re quapiam arrogat decernere, antea probet, praeterea *statum facultatum suarum* totum aperiat,

*) Scilicet in Mercurio theodisco.

quo certa eſſe queat de fiducia) itemque, vt, in progreſſu, ea libertas ſemper illi integra maneat. Maxima hic pars discordiae poſita eſt in metu detrimenti, quod liber rationis vſus capere poſſe videbatur; qua ſublata, impedimenta concordiae facile mihi videor memet poſſe remouere.

Contra illuſtrationem ſententiae meae iam dudum propoſitae de conceptu atque origine *formarum humanarum*, in *menſtruis Berolinenſibus* Nov. 1785 inſertam, Georgius Forſterus, is qui regis Boruſſorum a conſiliis eſt intimis in Mercurio theodiſco Octob. et Nov. 1786. dubia profert, quae ſolum ex principio, vnde proficiſcor, perperam intellecto orta eſſe arbitror. Ac videtur quidem viro celeberrimo ſtatim initio lubricum, antea *principium* ſtabiliri, quo ſcrutator naturae in *inueſtigando* debeat obſeruandoque duci, ac tale praeſertim, quo obſeruatio ad *hiſtoriam naturalem* eo promouendam, vt a ſola discernatur *naturae deſcriptione*, dirigatur, quemadmodum haec ipſa diſtinctio, locum non habere. Verum ea discrepantia facile tolli poteſt.

Quod prius dubium attinet, ſane certum eſt ſine dubio, ſola palpatione empirica, ſine principio quodam duce, ex quo inueſtigandum ſit, nihil vmquam quidquam conueniens inuentum iri; namque *obſeruare* non eſt, niſi experientiam ad viam quamdam ac *methodum* inſtituere. Non curo peregrinantem mere empiricum, nec narrationem eius, praeſertim ſi de narratione contexta agatur, vnde ratio quidpiam in vſum theoriae efficere debeat. Plerumque, ſi quidpiam quaeras, reſpondet: noc ſane potuiſſem obſervare, ſi noſſem, iſtud quaeſitum iri. Ipſe celeberrimus Forſterus ducem ſequitur principium *Linneanum* conſtantiae characteris in partibus fecundantibus plantarum, ſine quo *deſcriptio naturae* regni vegetabilis non tam praeclare ordine potuiſſet conſtitui atque dilatari. Nonnullos tam temerarios eſſe, vt ideas ſuas

in obſeruationem ipſam inferant (et, quod etiam ipſis magnis naturae peritis accidit, ſimilitudinem illorum characterum, propter certa quaedam exempla, pro ſigno ſimilitudinis accipiant virium in plantis) id ſane quidem veriſſimum eſt, quemadmodum monitio *argutatoribus* facta *temerariis* (quae nos, opinor, vtrumque nihil attinet) veriſſima videtur; ſed hoc abuſu tolli non poteſt valor regulae.

Quod autem discrimen dubitatum, quin adeo ſimpliciter repudiatum ſpectat inter deſcriptionem naturae et hiſtoriam naturalem, ſi hiſtoriam naturalem diceres narrationem de euentis naturae, quo nulla ratio humana pertinet, veluti primum plantarum atque animalium ortum, talis ſane, vti ampliſſimus Forſterus ait, ſcientia foret ſolis diis propria, qui praeſentes, vel ipſi auctores eſſent, non vero hominibus. Verum tantummodo in contextu certarum quarumdam, quae nunc ſunt, qualitatum rerum naturalium cum cauſſis ſuis tempore antiquiori ex legibus effectionis, quas haud fingimus, verum e viribus naturae, vti ſeſe nunc nobis offert, deriuamus, ſolum retro perſequendo, quatenus per ânalogiam licet, *hiſtoria naturalis* verſaretur, et ea quidem, quae non modo poſſibilis eſt, verum etiam, velut in theoriis telluris (in quibus *Linneanae* itidem locus eſt), a ſcrutatoribus naturae ſolis ſatis crebro tentata, ſiue plus ea re ſiue minus effecerint. Ipſa quoque celeberrimi Forſteri de prima origine *nigri* hominis coniectura profecto haud deſcriptionem naturae attingit, ſed modo hiſtoriam naturalem. Quod discrimen ſitum eſt in rerum natura, neque quidquam eo noui cupio, ſed ſolum diligentem vnius negotii ab altero ſeiunctionem, quoniam prorſus *heterogenea* ſunt, et cum vna (naturae deſcriptio) vt ſcientia, in tota pompa prodit magni ſyſtematis, altera (hiſtoria naturalis) non niſi fragmenta poteſt, vel vagas hypotheſes, proferre. Hac ſeparatione atque exhibitione ſcientiae alterius, vt cuiuspiam peculiaris, quamquam in praeſens (fortaſſe quoque in

aeternum) magis in vmbra, quam in opere accipiendae (in qua plerisque quaeſtionibus ſignum vacui fuerit inuentum), ſpero tantum effici, vt ne per cognitionem putatitiam vni quidpiam tribuatur, quod proprium reapſe alterius eſt, ambitusque cognitionum verarum et actualium in hiſtoria naturali (quasdam enim earum habemus) ſimul quoque carceres illius in ratione ipſa ſitos, vna cum principiis, quibus ea, quantum fieri queat, optime dilatetur, certius ac finitius cognoſcantur. Quae quidem anxietas mihi condonanda eſt, cum tam multa incommoda ex negligentia ſcientiarum terminos confundendi, in aliis cauſſis expertus ſim, et, haud quidem ad cuiusque ſententiam, indicauerim; praeterea prorſus ad veritatem fuerit mihi perſuaſum, ſola ſeparatione disſimilium, antea promiſcue ſumtorum, artibus ſaepenumero facem nouam accendi, qua quidem multa aperitur tenuitas, quae quondam poterat in notitiis heterogeneis deliteſcere, verum etiam multi veri cognitionis fontes aperiuntur, vbi nullo eas modo exſpectaſſes. Maxima difficultas in hac nouitate putatitia ſolum ineſt in nomine. Vocabulum *hiſtoriae* eo ſenſu, quo idem denotat atque Graecorum *ἱστορία* (narrationem, deſcriptionem), nimium iam ac diutius in vſu eſt, quam vt aliam illi vim facile conceſſeris, quae inueſtigationem naturalem originis poſſit deſignare praeſertim, cum itidem haud ſine difficultate queat aliud vocabulum technicum, quod aptum ſit, reperiri. *) Sed difficultate grammatica in discernendo non discrimen rerum poteſt tolli. Sine dubio eadem discrepantia, per neceſſitatem quamdam a dictione *claſſica* inuitabilem, etiam in conceptu formae (*d'une Race*) cauſſa fuit diſſenſionis de re ipſa. Nobis accidit, quod *Sternius* occaſione data concertationis cuiuspiam phyſiognomicae, qua, ſecundum eius facetias, omnes vniuerſitatis literarum Argentoratenſis facultates excitarentur, logicos rem, ait, diremturos fuiſſe,

*) Equidem deſcriptioni naturae vocabulum *phyſiographiae*, et hiſtoriae naturali verbum *phyſiogoniae* ſuaderem.

nisi incidissent in definitionem. Quid ergo forma (*une Race*)? Hoc vocabulum in nullo descriptionis naturae systemate legitur, nec proinde sine dubio nuspiam omnino res ipsa est in rerum natura. Verumtamen *conceptus*, qui hoc verbo designatur, in ratione cuiusque naturam obseruantis verissime fundatus est, qui ad proprium quiddam variorum animalium commiscendo procreantium, quod non inest in conceptu generis illorum, cogitando addit communionem caussae, et caussae quidem in stirpe generis ipsa originarie sitae. Quod istud vocabulum nuspiam occurrit in descriptione naturae (sed eius loco verbum varietatis), nihil impedire potest, quo minus respectu historiae naturalis necessarium videatur. Verum sane quidem hunc in vsum perspicue definiendum est; idque hoc loco experiemur.

Nomen *d'une Race*, vt proprietatis cuiusdam radicalis, ortum indicantis communem, et simul plures eiusmodi characteres constantes et haereditate venientes, non solum speciei animalium, sed etiam eiusdem stirpis, admittentis, haud incommode excogitatum est. Eam per progeniem *classificam* verterem, quo a progenie *specifica*, hoc est, degeneratione *) distingueretur, quae non potest concedi, quoniam legi naturae (in conseruanda speciei forma immutabili) repugnat. Verbo progeniei indicatur, characteres esse haud originarios, per totidem *stirpes*, quot species eiusdem ge-

*) Denominationibus *classium* et *ordinum* minime ambigue solum separatio *logica* exprimitur, quam ratio instituit in conceptibus suis in vsum solius *comparationis*: sed genera et species etiam separationem *physicam* denotare possunt, quam *natura* ipsa in rebus creatis suis instituit respectu earum *procreationis*. Ergo character progeniei classificae esse satis potest ad res creatas ex eo ordine disponendas, non vero ex iis singularem quamdam *speciem* efficiendam, quia haec quoque posset peculiarem deriuationem notare, quam nolumus intelligi nomine progeniei classificae. Per se intelligitur, nos hoc loco vocabulo classis non vti significatione illa laxiori qua istud sumitur in systemate *Linneano*; sed nosmet quoque longe alio respectu illo vtimur ad diuisionem.

neris, distributos, sed successu demum generationum sese euoluentes, proinde haud diuersas *species*, sed *progenies classificas*, sed tamen adeo determinantes et constantes, vt potestatem faciant discriminis classifici.

Ex hisce conceptibus praeuiis *genus humanum* (secundum criteria vniersalia sumtum in descriptione naturae) in systemate historiae naturalis in *stirpem* (vel stirpes), *progeniemque classificam*, et *varietatem natiuam* posset describi, qua posteriori haud necessaria, secundum certam quamdam legem haereditate venientia, nec proinde ad descriptionem classificam idonea criteria continerentur. Verum haec omnia adhuc in mera idea versantur modo, quo maxima varietas in generando sit cum maxima vnitate deriuationis per rationem coniungenda. An reapse talis cognatio sit in genere humano, obseruationes, quae vnitatem distinguunt deriuationis, oportebit, decernant. Atque hic perspicuum, nos certo quodam duci oportere principio determinato, ad tantummodo *obseruandum*, id est, ad illud animaduertendum, quod deriuationem iudicare possit, characterum similitudinem impertire, quoniam tum nobis de problemate agitur historiae naturalis, non vero physiographiae, solumque denominatione methodica. Quodsi quis inuestigationem suam haud ex principio illo instituerit, iterum quaerat, necesse est; sponte enim, quibus opus est, non offerentur, ad statuendam, vtrum rerum creatarum realis communio sit, an mere verbalis.

De varietate stirpis originariae multa certa possunt criteria esse, nisi impossibilitas posteritatis fecundae per commixtionem duarum partium hominum oriundae obesset. Quodsi autem hoc successerit, vel maxima figurae diuersitas nihil impediet, quo minus deriuatio eorum communis saltem fieri possit; quemadmodum enim, hac diuersitate nihil impediente, tamen procreatione possunt in vno effecto, quod vtriusque characteres contineat, *coniungi;* ita quoque potuere ex

vna ſtirpe, quae initia euoluendorum characterum amborum in ſeſe originari occultaret, procreatione in totidem *progenies claſſificas* diſpeſci; ratioque haud temere ex duobus principiis progredietur, ſi peti poſſit ab vno. Certa autem nota proprietatum haereditate venientium, velut ſignorum totidem progenierum claſſificarum, iam laudata eſt. Iam quidem adhuc notandum aliquid eſt de *varietatibus* haereditariis, quae anſam praebuere huius alteriusue hominum (familiarum et populorum) varietatis denominandae.

Varietas cernitur in proprietate haereditaria, quae non eſt *claſſifica*, quoniam haud neceſſario propagatur; talis enim conſtantia characteris haereditarii poſtulatur, vt fieri deſcriptio claſſium queat in ipſa naturae deſcriptione ſeu phyſiographia. Forma, in propagatione tantummodo *nonnumquam* characterem parentum proximorum (patrem exprimendo matremve) reproducens, haud nota eſt, qua deriuatio queat ab vtroque parente cognoſci, velut discrimen flauorum et fuſcorum. Pariter progenies claſſifica proprietas eſt neceſſario haereditaria, quae poteſtatem quidem facit deſcriptionis in claſſes, ſed tamen haud ſpecifica eſt, quoniam ex expreſſione dimidium vária (proinde *conflandis* characteribus characterum diſtinctionis) ſed haud poteſt vt impoſſibile iudicari, quo minus diuerſitas quoque haereditaria in ſtirpe originarie, vt in meris initiis *coniuncta* ſolumque in propagatione pedetentim euoluta ac *ſeparata*, ſpectetur. Neque enim ſexus animalis referri ad ſpeciem peculiarem poteſt, ſi cum alio quodam ad vnum idemque propagationis ſyſtema naturale pertineat. Ergo in *phyſiogonia* genus ſpeciesque idem denotarent, nimirum proprietatem originariam cum progenie claſſifica communi coniunctam. Ea vero, quae cum hac poteſt conſiſtere, aut neceſſario haereditaria, aut minus. Ac haereditaria neceſſario character efficitur *progeniei claſſificus*, ſed minus neceſſario haereditaria character *varietatis*.

De eo, quod in genere humano dici *varietas* potest, hoc loco moneo, etiam illius respectu naturam non esse vt summa libertate formantem, sed pariter, atque in characteribus progenierum classificarum, solum vt euoluentem, ad easque ex initiis originariis determinatam spectandam esse, siquidem in *hac* quoque forma finalis eique consentanea mensura deprehenditur, quae non potest opus esse casus fortuiti. Quod iam *Shaftsbury* monuit, nimirum, in vnaquaque humana facie certum quoddam exemplar (verum quasi consilium) inueniri, quo indiuiduum vt ad singulares fines, quos non habet cum aliis communes, certo distinguitur, quamquam vim nostram superat facultatemque, vt haec signa explicentur, id quisque pictor imaginum, de arte sua cogitans, potest confirmare. In imagine ad viuum depicta ac bene expressa veritas conspicitur, id est, eam non esse ex phantasia depromtam. Quanam vero in re consistit haec veritas? Sine dubio in certa definitaque proportione vnius multarum partium faciei ad cunctas alias, ad exprimendum characterem indiuidualem, qui finem continet obscure repraesentatam. Nulla faciei pars, etiamsi nobis male proportionalis videatur, in depingendo potest, seruatis reliquis, mutari, ita vt oculus peritus, quamuis exemplar non viderit, comparata imagine ab natura descripta haud sentiat, vtra naturam meram contineat, et vtra fictionem. Varietatem in hominibus eiusdem progeniei classificae, maxime probabile est, pariter conuenienter sitam fuisse in stirpe originaria, ad maximam varietatem in gratiam finium infinite diuersorum, ac progenierum classificarum discrimen, ad vtilitatem ad fines pauciores, sed magis essentiales, constituendam atque successu temporis euolvendam; in quo quidem hoc discrimen obtinet, vt initia posteriora, posteaquam semel sese euolucrint (quod iam antiquissimis temporibus factum sit, oportebit) nullas nouas huiusce generis vlterius oriri patiantur, nec veteres exspirari; contra priora, saltem ex nostra notitia, naturam nouis characteribus (cum

Digitized by Google

externis tum internis) inexhauſtam indicare videantur.

Ac varietatibus quidem natura videtur a *conflando* cauere, quoniam hoc fini ſuo, nimirum characterum varietati aduerſatur; contra discrimina progenierum quidem claſſificarum quod attinet, conflationem certe ea permittit, quamuis haud promouet, quia eo res creata pluribus climatibus apta redditur, quamquam nulli eorum illo gradu conſentanea, quo prima eam progenies reddiderat. Nam communi quidem ſententiae, qua liberi (de claſſe noſtra alborum) notae, ad varietatem pertinentes (velut ſtatura, facies, color cutis) ipſa quaedam vitia (cum interna tum externa), a parentibus ad dimidium haereditate transferri creduntur (vti ferunt: hoc patris eſt in filio, iſtud matris), equidem, varietate familiarum adcuratius animaduerſa, non poſſum ſubſcribere. Etſi haud patrem matremue exprimunt, tamen vnius alteriusue familiam pure referunt; et, quamquam auerſatio miſcendorum corporum in cognatis propinquioribus maximam partem poteſt e cauſſis moralibus exſiſtere, et ſterilitas eorum non ſatis probata eſſe; ea tamen inde, quod ad rudes vsque populos dimanauit, anſam praebet ſuſpicioni, cauſſam illius remote ſitam eſſe in natura ipſa, quae non vult, vt priſtinae ſemper formae denuo producantur, ſed vt omnis exſiſtat varietas, quam in ſurculos humanae ſtirpis originarios indidiſſet. Neque certus quidem aequabilitatis gradus, qui in varietate familiae vel adeo populi inuenitur, characteribus eorum ex dimidio adnatis (quod ex mea quidem ſententia reſpectu varietatum nullo modo locum habet) debet attribui. Etenim ſuperpondium facultatis procreandi in vna alteraue parte perſonarum matrimonio iunctarum, cum nonnumquam propemodum omnes liberi paternam, vel omnes maternam ſtirpem referant, in varietate characterum initio magna, per actionem et reactionem, eo quippe, vt ſimilitudines ex vna parte fiant ſemper rariores, varietatem minuere-pot-

Digitized by Google

eſt, et certam quamdam aequalitatem (non niſi alienis oculis conſpicuam) producere. Sed hanc ſententiam meam arbitrio lectoris relinquo. Iſtud grauius eſt, quod in aliis animantibus, cuncta quae in iis varietatem dixeris (velut magnitudinem, qualitatem cutis et ſimilia) ex dimidio adnaſcuntur, idque, ſi hominem, vti par eſt, ex analogia animalium (reſpectu procreationis) ſpectaueris, quod ſtatui, discrimen progenierum claſſificarum a varietatibus reddere dubium videtur. Vt ea de re ferre iudicium poſſis, altior quaedam enodandi huiusce inſtituti natura ſtatio capienda eſt, haec nimirum, quod animalia bruta, quorum exſiſtentiae non niſi inſtrumenti pretium eſſe poteſt, propterea ad vſum diuerſum diuerſimode iam in initiis (veluti diuerſae canum progenies claſſificae, quae et *Buffonii* ſententia a communi ſtirpe canis paſtoritii deriuandae ſunt) exornata eſſe debebant, contra maior finis conſpiratio in genere humano tantam formarum naturae adnaſcentium haud poſtulabat; proinde neceſſario adnaſcentes non niſi ad conſeruándam ſpeciem in paucis quibusdam climatibus ab ſe inuicem praecipue diuerſis eſſe inſtitutae poterant. Attamen, cum ſolum conceptum *progenierum claſſificarum* voluerim defendere, non eſt, quod de ratione varietatum explicandarum caueam.

Hac discrepantia grammatica, quae ſaepius magis in culpa eſt controuerſiae, quam quae ineſt in principiis, ſublata, nunc minus impedimenti ſpero adſerendae meae explicandi rationis obfuturum. Celeberrimus Forſterus in eo mecum conuenit, quod ſaltem proprietatem haereditariam in diuerſis hominum formis, quippe *nigrorum* hominum et reliquorum, ſatis magnam cenſet, vt eos haud merum naturae luſum effectumque impreſſionum fortuitarum reputet, ſed initia eius ſtirpi originarie inſerta, inſtitutionemque naturae poſtulet ſpecificam. Atque haec conceptuum noſtrorum conſpiratio iam grauis eſt, atque efficit, vt reſpectu vtriusque explicandi principii fieri queat ad-

propinquatio; cum e contrario vulgari tenuique repraeſentandi modo, quo omnia generis noſtri discrimina eadem ratione, quippe caſus, ſumuntur, eaque etiamnum ſemper orientia et euaneſcentia ponuntur, pro rerum externarum ratione, omnes huiuscemodi inueſtigationes ſuperuacaneae, eoque ipſo conſtantia ſpeciei in eadem forma conueniente irrita, declarantur. Duae modo conceptuum noſtrorum diuerſitates relinquuntur, quae tamen non adeo ab ſe inuicem abhorrent, vt discrepantia numquam componenda neceſſaria reddatur: *vna* eſt, quod illae proprietates haereditariae, quippe *nigrorum*, quo ab omnibus aliis hominibus discernantur, vnae debeant dignae eſſe, quae originarie implantatae habeantur; cum ego contra plures (*Indorum* et *Americanorum* ad proprietatem *alborum* additas) ad plenam inſtitutionem claſſificam iure poſſe iudicem referri: altera deinde *aberratio*, quae vero non tam obſeruationem (phyſiographiam) quam theoriam deligendam (phyſiogoniam) attingit, poſita in eo eſt, quod celeberrimus Forſterus ad hosce characteres enodandos, duabus opus eſſe ſtirpibus originariis cenſet; cum ex mea ſententia (qui eos cum Forſtero itidem characteres originarios cenſeo) fieri poſſit, et explicationi philoſophicae conuenientius ſit, vt tamquam euolutio primorum initiorum ſpectentur conuenientium in ſtirpe implantatorum; quae nulla quoque tanta discrepantia eſt, vt ne ratio ea de re itidem ſeſe adiuuet, ſi cogitaueris, primam originem phyſicam naturarum organicarum, nobis vtrique, omninoque rationi humanae, manere inperſcrutalem perinde atque varietatem ex dimidio adnaſcentem in iis propagandis. Cum ex ſyſtemate ſurculorum ſtatim initio ſeiunctorum, in duabusque ſtirpibus ſolitariorum, nihilominus vero poſtea in commixtione antea ſeparatorum, concorditer rurſus coëuntium, ne minima quidem ſubleuatio ad comprehenſionem ex ratione magis redundet, quam e ſyſtemate ſurculorum in vna eademque ſtirpe originarie implantatorum diuerſorum, poſtea *conuenienter* ad ſurculos *primae hominum multipli-*

rationi similitudo inclusionem reluctat: et pollutionis hypothesim (nonnemo hoc fit pudendum in cognitionem venit) ipsa ratio, quæ ejus est, ut ejusmodi vitia evitabilem reddant: ideoque, quæ pollutæ comprehendi in natura exigunt, reliquiis earum, quæ conclusionem impediunt (quales sunt, vitiis modo cognitæ) delatæ, pathologiæ omnimodo præcidere oportebit. Quæ cum ita sint, ad ipsum naturæ tergum, qua conveniunt ac librari pleni, sinemus ut se in se non sibi *perspicua forma* lectent; cum etiam forsitan regio illum invenire sinat loci, exhibentis ac philosophi nostrum, *Anonymique* personam. Ut ut sit, ejusmodi vitia, quæ ad ipsum usque culmen, quem se fecisti ipsorum, ex ingenio tot naturalia claudentem luxuriabunt, utilitate quæ naturalium, quæ ad ipsum vitia fecundum, ad malevolæ, et his se præstabilissimæ, qui a periculo. Sic conjecturæ ipsæ, quæ ex hoc tempore ad reliquiis fuit ortum petit, cum interim unum in ipsa ratione, quæ ejus est, ut ejusmodi vitia evitabilia reddat, ut ejusmodi vitia, quæ ad ipsum usque aequalitatem, magnitudo inflexerunt curam ancisum, sunt e fungosa, ut ita dicam, *Anonymique*, ac, quoniam ipsa in naturali reliquiis naturæ illustrat conclusionem, ipsa ratio, quæ ejus est, ut ejusmodi vitia intelligere videatur. Quæque falsa et natura modo per principium anastomosis proponi, dubitationi Fracturæ, a profundum fit, ut ulna proponatur ulnæ naturæ hæmorrhagia venarum, per dependentiam. Quæ cum ita sint, ad ipsum naturæ tergum, qua ulna, quæque conclusionem, librari, quæque hæmorrhagia arteriæ sinemus ut se in se non sibi *perspicua forma* lectent. Quæ cum ita sint, ad ipsum naturæ tergum, qua conveniunt ejusmodi vitia

ad ſententiam meam accedat, non tam ratione principii, quam potius difficultatis, rite illud vniuerſis vſus caſibus aptandi. In ſectione prima tractationis ſuae, Octob. 1786. pag. 70. Forſterus ſcalam colorum cutis recenſet inde ab incolis Europae ſeptemtrionalis per Hiſpaniam, Aegyptum, Arabiam, Habeſſiniam vsque ad aequatorem, inde vero viciſſim, degradatione conuerſa, cum progreſſu in Zonam temperatam auſtralem, per terras Caffrorum et Hottentottorum, (ex mente ſua) cum ſucceſſione conſtitutiva climati terrarum tam proportionata fuſci vsque ad nigrum et rurſum retro (in quo quidem, quamuis ſine argumento, ſumit, colonias e Nigritia profectas, quae verſus cuſpidem Africae migraſſent, paullatim, ſola climatis vi, in Caffros eſſe et Hottentottos mutatos, vt ſibi mirum videatur, quomodo iſtud potuerit negligi. Verum merito multo magis mirandum eſt, quomodo criterium neceſſariae procreationis ad dimidium variae, ſatis determinate, et iure ſolum pro decernente habendum negligi potuerit. Neque enim Europaeus vel maxime ſeptemtrionalis in miſcendis corporibus cum Hiſpanicis, neque Mauritanus vel Arabs (ſine dubio quoque, qui his proxime adfinis eſt Habeſſinus) in commiſcendo corpore cum feminis Circaſſiis, huic legi vel vlla ex parte ſubiecti ſunt. Neque eſt, cur color eorum, iis, quae per ſolem terrae illorum cuique indiuiduo poſteriorum imprimuntur, in medio relictis, aliquid aliud habeatur, quam fuſcus color in varietate hominum alba. Quod autem in Caffris ſimilitudinem attinet nigrorum, minorique gradu in Hottentottis in eadem mundi parte, qui, opinor, periculum confirmaturi ſint generationis ex dimidio variae; maxime probabile eſt, eam non niſi generationes ſpurias populi nigri eſſe, ex Arabibus inde ab antiquiſſimis temporibus hanc oram frequentantibus. Quid enim in cauſſa eſt, cur eiusmodi colorum ſcala putatitia, non etiam in ora Africae occidentali inueniatur, vbi potius natura ab Arabe fuſco aut Mauritano ad Nigritiae incolam atriſſimum

Digitized by Google

iuxta Senegalem ſaltum facit repentinum, via Caffe-rorum media antea haud peragrata? Qua quidem re, quod pag. 74. ſuaſit, experimentum tollitur, quo probari debeat falſitas principii mei, nimirum Habeſſinum fuſcum cum femina mixtum Cafferia, colore nullam varietatem mediam effecturum fore, quoniam vterque color idem eſt, nempe fuſcus. Quodſi enim Forſterus ſumſerit, colorem fuſcum eo modo, quo in Caffers eſt, Habeſſinis eſſe innatum, atque ita quidem, vt eo in generatione mixta cum alba muliere neceſſario color medius oriatur; tum ſane experimentum ex Forſteri ſententia ſuccederet; ſed illud quoque nihil quidquam contra me probaret, ſiquidem diverſitas progenierum claſſificarum non iudicatur ex iis, quae eadem in iis ſunt, ſed quae ſunt in iis diverſa. Tantummodo dici poſſet, progenies claſſificas eſſe maxime fuſcos, quae ab nigro eiusque ſtirpe deſcendente *aliis criteriis* (velut ſtructura oſſium) diſtingueretur; earum enim ſolum reſpectu generatio obliqua foret, meusque colorum catalogus non niſi vno augeretur. Sin vero color altior Habeſſini in terra ſua editi haud haereditate acceptus ſit, ſed velut Hiſpani, in eadem terra a paruulo educati; e colore eius natiuo ſine dubio color efficeretur medius inter colorem Cafferi, qui vero, quoniam color fortuitus accedit ex ſole, occultaretur, varietasque (quoad colorem) homogenea videretur. Ergo hoc experimento excogitato nihil quidquam efficitur contra vtilitatem coloris cutis neceſſario hereditarii ad diſtinguendas progenies claſſificas, verum modo difficultatem, qua fit, vt is, quatenus adnatus eſt, in locis adcurate queat determinari, in quibus ſol eum praeterea fuco contegit fortuito, et ius confirmatur petitionis meae, vt *generationes* ex iisdem parentibus in *terris exteris* hunc in vſum praeferantur.

Harum poſteriorum illuſtre nobis exemplum eſt in colore Indico cutis popelli ex aliquot ſaeculis in terris noſtris ſeptemtrionalibus ſeſe propagantis, quippe

Zganis. Hos populum esse Indicum, lingua eorum euincit, nulla habita ratione coloris cutis eorum. In quo vero conseruando natura tam obstinata manſit, vt, quamquam eorum commorationem in Europa vsque ad generationes duodecim retro poteris persequi, tamen etiamnunc adpareat is tam plenus vt, ſi in Indis adolescerent, probabile ſit, inter eos atque illarum terrarum indigenas nullum omnino discrimen deprehendi. Si hoc loco diceremus, adhuc duodenas duodecim generationes exſpectandas esse, donec aëre ſeptemtrionali color eorum haereditarius prorſus exalbuerit, inuestigatorem responsionibus dilatoriis aleremus atque effugia quaereremus. Qui vero colorem eorum pro mera varietate venditaret, veluti Hiſpani fuſci comparatio cum Dano, is de ſigno naturae dubitaret. Illi enim ex noſtris veteribus indigenis neceſſario liberos procreant ex dimidia parte varios, cui quidem legi progenies claſſifica alborum reſpectu nullius cuiuspiam varietatum ſuarum characteriſticarum obnoxia eſt.

Verum pagina 155-156 grauiſſimum argumentorum prodit, quo quidem, ſi verum eſſet, euinceretur, etiamſi *initia originaria* illa mihi conceſſa fuerint, tamen conuenientian hominum cum terris eorum patriis in *disperſione illorum* in ſuperficie terrae, non poſſe cum eo conſiſtere. Poſſe ſane quidem, Forſterus ait, defendi, *eos ipſos homines, quorum initia huic illiue climati* apta ſint, hic vel illic ſapienti prouidentiae directione naſci: at quo tandem modo, ait, haec prouidentia facta eſt tam hebes, vt ne de *transplantatione altera* cogitaret, vbi ille ſurculus, qui vni tantummodo climati aptus erat, factus eſſet prorſus temerarius.

Quod priorem locum attinet, recorderis, memet prima illa initia non tamquam *inter diuerſos* hones *distributa*, —. alioquin enim totidem *ſtirpes* exſtitiſſent diuerſae, — verum in primo hominum pa-

ri vt *coniuncta* ſumſiſſe; atque ita proles eorum, in quibus adhuc *tota* initia origmaria cunctis progeniebus claſſificis futuris integra ſunt, ad cuncta climata aptae forent (in potentia) nimirum ſic, vt ille ſurculus, quo illi regioni, in quam ipſi vel poſteri maturiores inciderent, conſentaneae redderentur, ibi poſſet ſeſe euoluere. Igitur haud opus fuit peculiari quadam ſapienti directione, vt in eiusmodi loca deferrentur; quibus initia eorum apta eſſent; verum, quo fortuito delaberentur, diuque generationem continuarent, ibi ſurculus euoluebatur, ad hanc terrae regionem in organiſatione illorum inditus, qui ad eiusmodi clima eos aptaret. Euolutio initiorum ſequebatur loca, neque, vti Forſterus calumniatur, loca deligenda erant pro initiis iam euolutis. Haec omnia vero intelliguntur non niſi de tempore antiquiſſimo, quod ſatis diu (ad ſucceſſiuam hominum in terris multiplicationem) durauit, vt demum populo, qui nullam ſedem fixam haberet, contagiones ad euoluenda initia illi conſentanea neceſſariae et climatis et ſoli impertirentur. Sed qui factum eſt, pergit, vt eadem mens, quae hic tam adcurate calculum ſubduxit, quae terrae, quique ſurculi deberent conuenire (eos *oportuit*, pro iis quae ſupra docuimus, *ſemper* conuenire, etiamſi velis, eos non ab intelligentia quadam, ſed ab eadem modo natura, quae organiſationem animalium perpetuo conuenienter interne conſtituerat, etiam ad conuerſationem ſuam pari diligentia inſtructos eſſe) ſubito facta tam hebes ſit, vt ne caſum quoque *transplantationis alterius* praeuideret? Eo quippe proprietas adnata non niſi vni climati apta prorſus temeraria redditur, et ſic porro.

Quod igitur hanc alteram dubitationis partem attinet, concedo, illam mentem, vel, ſi malueris, illam naturam ſponte conuenienter agentem, ex urculis iam euolutis, nullam omnino reapſe ratio eam habuiſſe transplantationis, neque tamen idcirco debere de inſipientia et hebetudine accuſari. Ea potius

per inſtitutam cum climate conuenientiam, permutationem illius praeſertim calidi cum frigidiori, prohibuit. Namque haec eadem mala noui caeli adaptatio ad ingenium incolarum veteris iam adnatum ſe ipſam ab eo arcet. Et vbinam Indi vel Nigri ſe in regionibus ſeptemtrionalibus disperſerunt? — Qui vero eo relegati ſunt, poſteritatem ſuam (velut Nigri Creolii vel Indi, nomine *Ziganorum*) numquam colonis inquilinis vel mercenariis idoneam varietatem effecerunt.

Verum id ipſum, quod Forſtero difficultas inuicta videtur contra principium meum, ſi rite eo vtare, vtiliſſimum erit difficultatesque expediet, contra quas nulla alia theoria vmquam quidpiam valet. Equidem ſumo, multas generationes, inde a tempore incipientis humani generis, ad euolutionem ſucceſſiuam initiorum in eo praeſentium ad totam ad clima quoddam compoſitionem opus fuiſſe, praetereaque, disperſionem illorum maximam partem violentis conuerſionibus extortam per maximam terrae partem, ſpecie modo tenuiter augenda fieri potuiſſe. Etiamſi his cauſſis factum ſit, vt popellus mundi veteris ex regionibus auſtralibus in ſeptemtrionales pelleretur; ratio illa oportebit, — quae, vt priſtinis conſentanea fieret, fortaſſe nondum abſoluta erat, — paullatim quieſcat, contra euolutioni initiorum oppoſitae, nempe climati ſeptemtrionali, locum ceſſerit. Fac igitur, iſtam hominum varietatem verſus auſtrum et orientem longius vsque ad Americam manaſſe — quae quidem ſententia maxime probabilis videtur, — antequam ſeſe in hac mundi parte rurſum aliquantum poſſet verſus auſtralem regionem diffundere, initia eius naturalia iam tantum euoluta eſſent, quantum fieri poſſet, eaque euolutio, nunc vt abſoluta effeciſſet, neceſſe eſt, vt omnis vlterior euolutio ad clima nouum fieri nullo modo poſſet. Nunc igitur conſtituta foret progenies, quae verſus auſtrum progrediendo vniuerſis climatibus ſemper eadem, reapſe proinde, nulli rite conue-

niens eſt, quoniam ratio auſtralis ante egreſſum ſuum dimidio euoluta eſt interrupta, atque ita conſtans huius hominum cateruae ſtatus conſtitutus eſt. Reuera celeberrimus *Ulloa* (qui inprimis teſtis grauis eſt, qui incolas Americae in vtroque hemiſphaerio probe nouit) adſeuerat, formam characteriſticam eorum, qui eam mundi partem incolunt, perpetuo ſeſe vidiſſe ſimillimam. Atque colorum quidem, quidam peregrinantium recentiorum, cuius nomen non ſuccurrit, velut *rubiginem* depingit *mixtam* oleo. Ingenium eorum autem ad nullam conuenientiam *plenam* cum vllo quopiam climate peruenisſe, ex eo quoque poteſt alia ratio adferri, quare haec progenies debilior grauiori labori, induſtriis aequa atque indifferens, ineptaque ad vniuerſam culturam (ad quam in vicinitate tamen exemplorum ſatis atque inuitamenti eſt) alte adhuc ſub Nigro ſit, qui tamen omnium reliquorum gradum capit infimum, quos vt progenierum varietates recenſuimus.

Iam cum hoc phaenomeno cunctas alias, quae eſſe poſſunt, hypotheſes compares. Niſi, quam iam Forſterus ſuaſit, ſingularem Nigri creationem creatione altera Americani augere velis, nulla alia reſponſio relinquitur, quam Americam *frigidiorem* eſſe, vel nimium *nouam*, quam vt fuſcos Nigros, flauosue Indos vnquam queat producere, vel tam breui tempore, quo hominibus conſita eſt, iam produxerit. Superior ſententia, quantum clima calidum huiusce mundi partis attinet, nunc ſatis confutata eſt; et, quod *alteram* ſpectat, ſcilicet, ſi modo nonnulla adhuc ſaecula exſpectare velis, Nigros (certe quoad haereditarium cutis colorem) aliquando forte ſucceſſiua ſolis contagione exſtituros fore: primo nos oporteret certos eſſe, ſole atque aëre eiusmodi implantationes fieri poſſe, vt per euentum tale tam longinquum, et ſemper pro arbitratu longius proferendum, ſolumque ex coniectura confectum, tantummodo contra *dubia* nosmet defenderemus; quanto minus, cum iſtud ipſum adhuc admo-

dum dubibetur; coniectura mere arbitraria *rebus* potcrit *in facto positis* opponi.

Grauis confirmatio varietatum deriuandarum necessario haereditariarum, per euolutionem initiorum originarie conuenienterque in stirpe humana ad conseruandam speciem adparentium, cernitur in eo, quod progenies inde euolutae non *sporadice* (in omnibus mundi partibus, eo denique climate, ac modo eodem) dispersae, sed *cycladice* in cateruis coniunctis, intra lineam regionis terminalem, in qua quaeque earum sese potuit formare, dispertitae reperiuntur. Sic *pura flauorum* deriuatio intra *Hindostanorum* terminos tenetur inclusa, atque *Arabia* haud inde procul remota, quae maximam partem eamdem caeli plagam capit, nihil eorum quidquam continet; vtrisque vero nulli *Nigri* continentur, quippe qui solum in *Africa Senegalum* inter et *Caput Nigrum* (et sic porro in intestino huiusce partis mundi) inueniuntur; cum vniuersa *America* neque hos neque illos, quin nullos omnino progenierum characteres veteris mundi continet (si ab *Esquimis* discesseris, qui pro diuersis cum a figura, tum ab ipsa dote ingenii depromtis characteribus, seriores aduenae ex vna quadam veterum mundi partium esse videntur). Quaeque earum progenierum quasi solitaria est, cumque in aequali climate tamen ab se inuicem, et quidem per characterem facultati procreandi cuique illarum arctissime adhaerentem distinguantur: fit, vt sententia de ortu characteris ex effecto climatis iis valde improbabilis reddatur, contraque confirmetur suspicio procreationis perpetuo quidem per vnitatem deriuationis, sed simul caussae in iis ipsis, non solum in climate sitae discriminis eius classifici, ad quod diuturno tempore opus fuerit, necesse est, vt effectum edat loco propagationis conuenienter, et, hac semel perfecta, nullis transpositionibus nouas fieri posse progenies pateretur, quae proinde non nisi pro *initiis* reputanda est *originariis*, paullatim sese conuenienter euoluentibus,

in ſtirpe inditis ad certumque numerum pro diuerſitatibus contagionum aëris praecipuis adſtrictis. Cui quidem argumento derogare videtur illa in inſulis ad Aſiam auſtralem et ſic porro verſus orientem ad oceanum tranquillum pertinentibus diſſipata progenies Papuarum, quos *Forreſterum* ſecutus, Cafferos vocavi (quoniam ſine dubio partim in colore cutis partim in crinibus capitis et barbae, quos contra, quam Nigro naturale eſt, ad magnam prolixitatem poſſunt pectinare), cauſſam nactus eſt, eos haud Nigros denominandi. Verum, quae praeterea deprehenditur, mira aliarum quoque progenierum diſperſio, nimirum Haraforarum certorumque hominum plurium purae ſtirpi Indicae ſimilium, rem compenſat, quoniam ea quoque argumentum pro effecto climatis in proprietate eorum haereditaria infirmat, propterea quod huius in vna eademque caeli plaga permagna diſſimilitudo eſt. Idcirco iure optimo non aborigines, ſed alienigenae, neſcio qua de cauſſa, (fortaſſe per magnam terrae conuerſionem, ab occidente verſus orientem graſſantem) e ſedibus ſuis expulſi (illi Papuae fortaſſe e Madagaſcare) habendi probabiliter videntur. Igitur vtcumque cum incolis *inſulae Freuillianae*, de quibus *Cartereti* narrationem memoriter (fortaſſe parum adcurate) adlegaui, comparatum ſit, argumenta pro euolutione diſcriminum progenierum in domicilio probabili ſtirpis eorum in *continenti*, non vero in *inſulis*, quae ſine dubio videntur demum poſt effectum naturae dudum abſolutum hominibus occupatae, quaerenda erunt.

Haec ſufficiant ad tuendum conceptum meum de varietate haereditaria rerum creatarum organicarum vnius eiusdemque *ſpeciei naturalis* deriuanda, (quatenus per facultatem procreandi coniunctae ſunt, ab vnaque ſtirpe poſſunt ortae eſſe *) vt diſtinguatur

*) Ad vnam eamdemque ſtirpem pertinere, non denotat continuo ab vno *pare* ſingulo originario procreatum eſſe: hanc

Digitized by Google

a *ſpetie artificiali* (quatenus notae ſubſunt communi meae comparationis), quarum illa prior ad phyſiogoniam pertinet, haec altera ad phyſiographiam. Iam liceat quaedam addi de peculiari Forſteri ſyſtemate ſuper origine illius. In eo quidem inter nos conuenit, quod in ſcientia naturali omnia ſint *naturaliter* explicanda, quoniam alioquin haud ad hanc ſcientiam pertinerent. Quod principium ita diligenter ſecutus ſum, vt adeo vir quidam acutiſſimus (celeberrimus Bueſchingius in recenſione iſtius mei libelli) propter voces de finibus, ſapientiaque et prouidentia, id genus aliis, naturae, memet vnum fecerit de grege *naturaliſtarum*, hoc tamen cum additamento *generis peculiaris*, quia in tractandis iis, quae ſolas attingunt cognitiones naturales, et, quam late hae pateant, (vbi plane conuenit, vt *teleologice* loquamur) non e re eſſe duco oratione *theologica* vti, vt ſui cuique cognitionum generi termini diligentiſſime deſignentur.

Verum idem principium, omnia in phyſica explicanda eſſe naturaliter, ſimul illius terminos denotat. Namque ad extremum illius terminum peruentum eſt, cum vltima omnium explicandi rationum vſurpatur, quae adhuc per *experientiam* poteſt euinci. Vbi haec ceſſauerit, viribusque materiae ſponte exco-

tantummodo vim habet, vt varietates, quae nunc in certo quodam animalium genere deprehenduntur, propterea non debeant pro totidem diuerſitatibus accipi. Quodſi igitur prima ſtirps hominum (ſexus vtriusque), qui vero cuncti fuere homogenei, ex perſonis vt maxime multis conſtitit, eodem iure poſſum, qui nunc ſunt, homines ab vno pari, quam a totidem paribus deriuare. Celeberrimus Forſterus memet in ſuſpicionem vocat, quod hanc poſteriorem ſententiam, tamquam rem in facto poſitam, et quidem propter quamdam auctoritatem, obtinerem; verum ea non niſi idea eſt, quae per naturam rei ex theoria conſequitur. Quam vero mouet, difficultas quidem, ex eo quod generi humano primordio ſuo a pari vno parum cautum fuerit ac proſpectum, propter vim beſtiarum dilanientium, illi haud ita cedere honori poteſt. Namque tellus eius cuncta pariens potuiſſet eos ſerius quam homines produxiſſe.

gitatis, ex legibus inauditis nullorumque argumentorum capacibus, inſtituendum fuerit, ibi iamiam phyſica transmigrata eſt, quamuis etiamnunc res naturales ſemper pro cauſſis recenſentur, ſed ſimul iis vires attribuuntur, quarum exſiſtentia nulla re probari poteſt, atque etiam poſſibilitas earum difficulter cum ratione conciliari. Quoniam conceptus naturae organicae iam ſic fert, vt ea in materia verſetur, in qua omnia mutuo vt fines et adiumenta ad ſeſe inuicem ſunt adfecta, adeoque ea non niſi vt *ſyſtema* poteſt *cauſſarum finalium* cogitari, proinde poſſibilitas eius tantummodo explicandi rationem teleologicam, nullo modo vero phyſico-mechanicam reliquam facit, ſaltem rationi *humanae:* non poteſt in phyſica quaeri, vndenam vniuerſa organiſatio ipſa originarie exſiſtat? Reſponſio ad hanc quaeſtionem, ſi omnino nobis pateat, manifeſto extra phyſicam in *metaphyſica* ſita foret. Equidem vniuerſam organiſationem a *naturis* deriuo *organicis* (per procreationem), ſerioresque formas (huiusce generis rerum naturalium) ſecundum leges euolutionis ſucceſſiuae *dotum* atque initiorum *originariarum* (cuiusmodi in transplantationibus herbarum crebro deprehenduntur), quae in organiſatione ſtirpis inerant. Quomodo vero haec ipſa ſtirps *orta* ſit, quaeſtio eſt prorſus vltra terminos vniuerſae phyſicae, quae homini eſſe poteſt, intra quos tamen cenſui oportere memet contineri.

Quamobrem celeberrimi Forſteri ſyſtemati nihil metuo quidquam a iudicio in haereticos, (hoc enim pariter ſibi iurisdictionem adrogaret extra territorium ſuum), etiam, ſi res poſtulet, ad *iudicium* prouoco philoſophicum (pag. 166.) merorum naturae ſcrutatorum ſententiam illi patrocinaturam eſſe. „Parturiente tellure (p. 80.) quae animalia et plantas ſine procreatione a ſui ſimilibus ex gremio materno ſuo molli, a limoque marino fecundato emitteret, procreationibusque localibus in eo conſtitutis cum *Africa* ſuos homines (Nigros) ſuosque *Aſia* (cuncta caetera)

Digitized by Google

(pag. 158.) produceret, et inde deriuata cognatio omnium in degradatione inſtituta inde ab homine vsque ad cetum (pag. 77.) et hic porro deorſum (ſine dubio vsque ad muſcos et lichenes, non ſolum in ſyſtemate comparatiuo, ſed educationis ex ſtirpe communi) manante naturae catena *) naturarum organicarum.“ His quidem non efficeretur, vt ſcrutator naturae ea, tamquam monſtrum aliquid (pag. 75.) exhorreſceret, (namque ludus eſt, quo ſine dubio multi vllo quodam tempore oblectarat, quem vero miſit, quia nihil eo quidpiam efficitur), ſed tamen cogitatione ab eo deterreretur, ſeſe eo ſenſim a fecundo inueſtigationis naturae territorio in deſerta metaphyſices aberrare. Praeterea metum quoque noui (pag. 75.) haud ita *viro indecorum*, nimirum vt cuncta ea abhorreas, quibus ratio a primis principiis ſuis liberatur, eique conceditur, vt in ſomniis infinitis circumuagetur. Fortaſſe quoque Forſterus cuipiam *hy-permetaphyſico* (id enim genus hominum inuenitur, qui ſcilicet conceptus elementares ignorant, eosque etiam ſimulant ſeſe contemnere, et tamen heroum more occupationes aucupantur) voluit gratum facere, materiam praebere illorum phantaſiae, quo poſtea eos rideret.

Vera et genuina metaphyſica nouit terminos rationis humanae, et inter alia huiusce vitium haereditarium, quod ea numquam poteſt diſſimulare: quod nullo modo *vires conſtitutiuas* ex anticipatione nec poteſt excogitare, nec debet (quoniam tum non niſi conceptus inanes pareret), ſed nihil aliud valet, quam vt, quos eam experientia docet (quatenus ſolum ſpecie diuerſi ſunt, reapſe vero identici), ad numerum,

*) De hac idea, inprimis per *Bonnetum* admodum increbeſcente, lectu dignum eſt monitum ampliſſimi *Blumenbach* (compend. hiſt. nat. 1779. praefat. 3-7.). Hic vir doctiſſimus *inſtinctum formatiuum*, per quem tantam lucem doctrinae attulit generationum, non materiae inorganiſatae, ſed modo membris naturarum organicarum attribuit.

qui fieri poſſit, minimum reuocet, *vimque* huc pertinentem *conſtitutiuam*, ſi phyſicam res attineat, in *mundo*, ſi vero *metaphyſicam* attingat (vt nimirum, quae haud vlterius pendeat, indicetur) fere *extra mundum* quaerat. Sed de vi conſtitutiua (cum eam non niſi ex relatione cauſſae cuiusdam ad quodpiam effectum norimus) nullum alium conceptum ſuppeditare poſſumus, nullumque nomen illius excogitare, quam quod ab effecto depromtum ſit, et hanc ipſam relationem exprimat *). Iam conceptus naturae organicae hic eſt: eam naturam eſſe corpoream, quae non niſi per relationem eorum omnium, quae *in eo* continentur, ad ſe inuicem vt fines et inſtrumenta fieri poſſunt (vti etiam reuera quisque anatomicus, vt phyſiologus, ab hisce conceptibus proficiſcitur). Ergo *vim primitiuam*, qua efficeretur organiſatio, neceſſe eſt vt cauſſam ex *finibus* agentem cogitandam eſſe, atque ita quidem, vt hi fines poſſibilitati effecti fundamento ſubſternantur. Nouimus autem eiusmodi vires, *ſecundum rationem earum determinantem*, per experientiam, *non niſi in nobis ipſis*, nimirum in intelligentia noſtra

*) Velut *formatio* in homine effectum eſt, quod cum aliis animi effectis haud vt idem cognoſcimus. Vis, quae eo refertur, proinde non poteſt niſi phantaſia vocari. Pariter verbo virium motricium vires repulſiua et attractiua, vis continetur *vis primitiua*. In vnitate ſubſtantiae fuere, qui crederent, *vnam* vim primitiuam accipiendam eſſe, atque etiam eam ſeſe putarent cognoſcere, dum ſolum *nomen commune* diuerſarum virium primarum indicarent, velut vnam vim primitiuam animae vim eſſe mundum repraeſentandi; quaſi dicerem: vna vis primitiua materiae eſt vis motrix, quia repulſio et attractio vtraque conceptus motus ſubſunt communi. Sed ſcire volumus, an etiam ab hac poſſint deriuari, quod fieri non poteſt. Namque conceptus *inferiores*, pro iis, quae inſunt in iis diuerſa, numquam poſſunt ab *altioribus* deriuari; et quod vnitatem attinet ſubſtantiae, quae iam in conceptu ſuo ſubſtantiae vnitatem continere, haec illuſio poſita eſt in falſa definitione *vis* ſiue virtutis. Haec enim non id eſt, quod rationem continet exiſtentiae accidentium (id enim ſubſtantia eſt), ſed ſolum *relatio* ſubſtantiae ad accidentia, *quatenus* ea principium in ſeſe cohibet exiſtentiae illius. Poſſunt vero ſubſtantiae (ſalua illius vnitate) variae relationes commode attribui.

et voluntate, vt cauſſa poſſibilitatis certorum quorumdam productorum prorſus ad fines compoſitorum, nempe *operum technicorum*. Intelligentia et voluntas in nobis vires primitiuae ſunt, quarum haec poſterior, quatenus per illam priorem determinatur, in facultate conſiſtit, aliquid *ideae*, quae finis dicitur *conuenienter* producendi. Verum ab omni experientia libere nullam nouam nobis licet vim primitiuam excogitare, cuiusmodi tamen ea foret, quae in natura quadam ex conſilio ageret, neque tamen rationem determinantem in quadam *idea* haberet. Ergo conceptus de facultate naturae cuiusdam ex ſe ipſa *cum conſilio*, ſed ſine *fine* et conſilio, quae in ſe vel in cauſſa ſua ineſſet, agendi, — vt vis primitiua ſingularis, cuius nullum experientia exemplum oſtendit, — prorſus commentitius et atque inanis, id eſt, ſine minima cautione de eo, quod ſibi omnino vlla res quaepiam obiecta queat reſpondere. Igitur cauſſa naturarum organicarum ſiue *in* mundo deprehendatur ſiue *extra* mundum, aut ab omni nobis temperare determinatione cauſſae illius debemus, aut *naturam intelligentem* cogitatione nobis informare; non, quaſi (velvt beatus Moſes Mendelii aliique crediderunt) *intelligeremus*, eiusmodi effectum ex cauſſa alia *fieri non poſſe:* ſed, quoniam, ad cauſſam aliam, cauſſis finalibus excluſis, fundamento ponendam, notis vim primitiuam *fingere* deberemus, cuius quidem nulla prorſus rationi poteſtas eſt, quia tum ea facile *quaecumque* et *quomodocumque* voluerit poſſet explicare.

* * *

Ac nunc quidem horum omnium calculum ſubducamus. *Finium* eſt recta iuſtaque ad *rationem*, ſiue aliena ſit ſiue noſtra, relatio. Verum ad eam quoque in ratione aliena ponendam, propriam noſtram, ſaltem tamquam eius analogon, fundamento debemus conſtituere; ſiquidem ſine hac nullo modo poſſunt repraeſentari. Atqui fines vel fines *naturae* ſunt, vel

fines *libertatis*. In natura rerum fines esse *oportere*, nemo homo potest ex anticipatione perspicere: contra bene potest ex anticipatione intelligi, in ea coniunctionem esse caussarum et effectorum oportere. Ergo vsus principii teleologici respectu naturae semper empiricus est. Pariter cum finibus libertatis comparatum foret, si huic antea res voluntati obnoxiae per naturam (in necessitatibus et inclinationibus) vt rationes determinantes dari oporteret, ad id solum iis inter se inuicem et cum summa earum comparandis per rationem determinandum, quod nobis pro fine proponimus. Verum critica rationis practicae docet, principia practica pura esse, quibus ratio ex anticipatione finem illius indicent. Si igitur vsus principii teleologici in explicationibus naturae, idcirco, quia ad conditiones empiricas adstrictum est, principium primitiuum coniunctionis conuenientis numquam plenum potest ad omnesque fines satis determinatum indicare: hoc e contrario a *teleologia pura* (quae nulla esse alia potest quam libertatis) exspectandum est, cuius principium ex anticipatione relatio rationis in genere ad vniuersum omnium finium continet er non nisi practica esse potest. — Quoniam vero teleologia practica pura, id est, philosophia moralis, ad fines suos in *mundo* actuales reddendos destinata est, ea *possibilitatem* illorum in eo, cum quoad *caussas finales* in eo datas, tum vero etiam quoad conuenientiam *caussae mundi supremae* in toto quodam finium omnium, vt effectum, proinde et *teleologiam* naturalem, et possibilitatem naturae rerum in genere, id est philosophiam transscendentalem, haud debebit negligere, vt teleologiae practicae purae realitas obiectiua, respectu possibilitatis rei obiectae in vsu, nimirum realitas finis, quem in mundo efficiendum praescribit, caueatur.

Vtroque autem respectu *auctor epistolarum super philosophia Kantiana* dotem ingenii animique prae-

Digitized by Google

ſtantiam in illa ad fines vniuerſe neceſſarios vtiliter adhibenda, exemplariter demonſtrauit.

Hac occaſione data paucis modo crimen attingam crimen repugnantiarum putatitiarum in opere ambitus ſatis magni, priusquam totum bene intellectum fuerit. Cunctae ſponte euaneſcunt, in contextu ſpectatae cum caeteris. In nouis litteraris Lipſicis 1787 No. 94. id quod in critica rationis purae et genuinae edit. 1787. in inſtitutione pag. 3. lin. 7. legitur, cum eo, quod breui poſt pag. 5. lin. 1. etc. inuenitur, vt egregie pugnans indicatur; etenim priori loco dixeram: ex cognitionibus a priori ductis eae *purae* vocantur, quibus nihil omnino quidquam empirici *immixtum* eſt, et pro exemplo contrarii enuntiationem attuleram: omne *mutabile* cauſſam habet. Contra pag. 5. eamdem enuntiationem exemplo protuli cognitionis purae ex anticipatione, id eſt, eiusmodi, quae non ſit ex vlla re quapiam empiricam *apta;* — en duas ſignificationes vocabuli *puri*, quarum quidem per totum opus tantummodo in poſteriori occupatus ſum. Sane quidem calumniam exemplo prioris generis enuntiationum potuiſſem euitare: omne *fortuitum* cauſſam habet. Hic enim nihil omnino quidquam empirici admixtum eſt. Eccui vero in mentem veniunt omnes occaſiones calumniandi? — Idem mihi accidit in nota quadam ad praefationem *elementorum phyſices metaphyſicorum* pag. XVI et XVII. vbi deductionem categoriarum grauem quidem dico, ſed *non ſumme neceſſariam*, hoc vero poſterius in critica rationis purae diſerte obtineo. Sed facile intelligitur, illic eas tantummodo reſpectu *negatiuo* conſideratas eſſe nimirum vt vinceretur, iis *ſolis* (ſine viſione ſenſitiua) *nullam* omnino poſſe rerum cognitionem effici, vbi tum iam pateſcit, etiamſi ſolum *expoſitio* categoriarum (vt functionum logicarum ſolum ad res obiectas in genere adhibitarum) vſurpetur. Quoniam iis tamen ſic vtimur, quaſi ad *cognitionem* rerum ob-

iectarum (experientiae) vere pertineant, etiam possibilitas valoris obiectiui talium conceptuum ex anticipatione respectu rationis empiricae singulatim probanda fuit, ne omni omnino significatione destitutae, vel etiam haud empirice *ortae* iudicarentur; idque finis *positiuus* erat, cuius respectu *deductio* illa sane absolute necessaria videatur. —

Digitized by Google

IX.

DETERMINATIO CONCEPTUS DE PROGENIE HOMINUM *).

Notitiae, quas recentiora itinera de varietatibus in genere humano largiuntur, huc vsque magis ad intelligentiam ea de re ad indagationem incitandam fecerunt, quam ad eam exſatiandam. Permultum interest, vt *conceptus*, quem obſeruationibus illuſtrare velis, ante ipſum probe determinaueris, quam experientiam de eo conſulas; in ea enim, quae opus ſunt, tum demum reperiuntur, cum antea quid quaeri debeat didiceris. Multa de variis *hominum progeniebus* dicuntur. Alii iis fere adeo diuerſas hominum *ſpecies* intelligunt. Contra alii ad anguſtiorem ſeſe ſignificationem adſtringunt, verum hoc discrimen videtur iis haud multo grauius eſſe, quam, quod homines inter ſe ſtatuunt, quod corpus coloribus illinunt aut veſtimentis contegunt. Mihi iam tantummodo propoſitum eſt, hunc *progeniei conceptum*, ſi qua ſit in genere humano, adcuratius determinare. Explicatio originis earum, quae vere ſunt, quae hoc nomine dignae iudicantur, tantummodo *πάρεργον* eſt, de quo, vti placet, ſtatuere poſſis. Et tamen video, homines caeteroquin acutos in diiudicandis iis, quae annis abhinc aliquot tantummodo illo conſilio dicta ſunt, ad hocce *πάρεργον* nimirum vſum principii hypotheticum ſolum animum aduertiſſe, ipſum vero principium, ex quo tamen omnia pendent, leui manu attigiſſe. Quam quidem ſortem plures inueſtigationes, ad principia redeuntes, expertae ſunt; quae proinde omnem et disputationem et defenſionem poteſt in rebus, quae ſub contemplationem cadunt, diſſuadere, contra ea vero propiorem determinationem colluſtrationemque eorum, quae male intellecta ſunt, ſolum vt ſalutarem commendare.

*) In menſtruis Berolin. Nouemb. 1795. p. 390-417.

1.

Id ſolum, quod in genere animalium haereditate transfertur facere poteſtatem poteſt discriminis in eo claſſifici.

Mauritanus, qui, in patrio aëre ac ſole exuſtus fuſcoque colore indutus, cutis colore a Theodiſco Suecoque adeo diſtinguitur, vt *Creolus* Francogallicus et Anglicus in India occidentali, qui, velut ex morbo quodam vix reſtitutus, faciem pallidi atque exhauſti refert, propterea aeque minus poſſunt ad claſſes diverſas generis humani referri, ac ruſticus Hiſpanus de *Mancha*, qui, inſtar ludi magiſtri, atra veſte ornatus incedit, quoniam ouium prouinciae ſuae omnium omnino lana nigra eſt. Si enim Mauritanus in conclauibus, et Creolus in Europa adoleuerit, ambo non poſſunt ab habitatoribus noſtrae mundi partis discerni.

Demanetus miſſionarius tantum ſibi tribuit, vt, quia in *Senegambia* per aliquod tempus commoratus ſit, de atro Nigri colore ſolus queat recte iudicare, priuatque populares ſuos, Francogallos, omni ea de re iudicio. Ego vero contendo, in Francogallis, de colore Nigrorum, qui ibi diu commorati ſint, quatenus inde discrimen claſſicum eorum velis ab aliis hominibus determinare, multo verius iudicari poſſe, quam in ipſa patria Nigrorum. Id enim, quod in Africa cuti Nigri ab ſole impreſſum, ideoque illi fortuitum eſt, in Francogallia, neceſſe eſt, euaneſcere, ſolamque nigritudinem relinqui, per naturam illi impertitam, quae proinde ſola poteſt ad discrimen claſſificum adhiberi. De proprio *inſulanorum oceani auſtralis*, ex omnibus quae adhuc exſtant deſcriptionibus, tamen nullam nobis certam poſſumus cogitationem animo informare. Nam, quamquam iis ab nonnullis color ligni Mahagonici tribuitur, tamen, quantum de hocce colore fuſco ſoli per ſolem et aëra colorationi, quantumque natalibus tribuendum ſit, neſcio. Par-

Digitized by Google

vulus, ab eiusmodi pari in Europa procreatus, ſolus proprium cutis colorem *ab natura* profectum haud ambigue declararet. Ex loco quodam in itinere *Cartereti* (qui vtique in itinere maritimo exiguam terrae partem pedibus vſurpatus eſt, ſed tamen plures inſulanos viderat in nauigiis) concludo, plerosque inſularum habitatores eſſe albos oportere. Etenim in *inſula Freuilliana* (in vicinitate inſularum ad aquas Indicas relatarum) ſe vidiſſe, ait, primum *veram flauedinem* in colore cutis Indico. Vtrum formatio capitum in *Malicollanis* naturae tribuenda ſit, an artificio nimio, aut quatenus color naturalis cutis *Caffrorum* differat a cutis colore naturali Nigrorum, aliaeque plures proprietates definitae et characteriſticae, vtrum hereditariae ſint ab ipſaque natura in partu, an modo fortuito impreſſae, proinde nondum poterit certo diiudicari.

2.

Reſpectu coloris cutis quatuor poſſunt claſſium discrimina in hominibus ſumi.

Certo haud plura colorum cutis discrimina hereditaria nouimus, quam *alborum*, *Indorum flauorum*, *Nigrorum*, et Americanos *rubros colore cyprino*. Notabile eſt, iſtas notas et characteres primo propterea ad deſcriptionem claſſium generis humani inprimis aptas videri, quod quaeque earum claſſium reſpectu domicilii paene ſolitaria eſt (id eſt, a reliquis ſeparata, per ſe vero coniuncta): claſſis *Alborum* inde a capite Finis terrae, per promontorium finis terrae, flumen Obyum, Buchariam minorem, Perſiam, Arabiam felicem, Habeſſiniam, terminos ſeptemtrionales deſertorum Sarae, vsque ad promontorium album Africae, vel oſtium Senegali; *Nigrorum* in vsque ad promontorium Nigrum, et, excluſis Cafferis, retro ad Habeſſiniam; *Flauorum* in Hindoſtania propria vsque ad promontorium Comorcinum (ſpecies eorum hyprida in altera India peninſula eſt inſulisque quibusdam vi-

cinis); *ruforum colore cyprino* in mundi parte prorſus ſeparata, nimirum America. *Altera* deinde *ratio*, cur haec nota inprimis apta ſit ad deſcriptionem claſſium, quamuis coloris discrimen nonnullis poſſit admodum leue videri, cernitur in eo, quod ſeparatio per exhalationem in munere grauiſſimo naturae providae ſit, neceſſe eſt — quatenus res creata in variis climatibus et zonis, vbi aëre et ſole varie adficitur, translocata — modo minime artis egente perſtare debeat, cutemque, vt organon illius ſeparationis ſpectatam, in ſeſe ferre veſtigium huiusce diuerſitatis notae naturalis, quod poteſtatem faciat humani generis in claſſes manifeſte varias deſcribendi. — Caeterum velim, vt discrimen iſtud coloris in cute haereditarium, nonnumquam impugnatum tamdiu concedatur, donec re explicata naſcatur occaſio eius confirmandi; itemque mihi liceat ſumere: nullas eſſe notas populorum *haereditarias* reſpectu huiusce cultus naturalis amplius, niſi, quas diximus, illas quatuor; tantummodo idcirco, quia numerus ille probari poteſt, praeter illum vero nullus alius certo euinci.

3.

In claſſe Alborum, praeterquam quod ad genus humanum generatim pertinet, nulla alia proprietas definita et characteriſtica neceſſario haereditaria eſt; et ſic quoque in reliquis.

In nobis albis multae ſunt habitudines haereditariae, quae non pertinent ad characterem generis, quibus familiae, atque etiam populi inter ſe inuicem diſtinguuntur; ſed nulla earum *neceſſario* adnaſcitur, ſed ii, qui iis adfecti ſunt, ex aliis de claſſe alborum etiam liberos procreant, quibus ea qualitas diſtinguens deeſt. Sic discrimen coloris flaui in Dania, contra in Hiſpania (magis vero in Aſia, in populis, qui ad Albos referuntur) color cutis badius (cum conſequentia, colore oculorum et crinium) obtinet. Adeo in

populo ſeparato poteſt hic color poſterior ſine vlla exceptione adnaſci (vti in Sinenſibus, quibus oculi caeſii ridiculi videntur), quoniam in iis nemo flauus inuenitur, qui colorem poſſet ad procreationem transferre. Verum, cum horum badiorum quispiam vxorem habet flauam, et badios procreat liberos et flauos, prout ad vnam alteramue partem propendent, et ſic quoque vice verſa. In certis quibusdam familiis tabes ineſt haereditaria, obliquitas, veſania, et alia generis eiusdem; ſed nullum iſtorum innumerabilium malorum haereditariorum *neceſſario* haereditate venit. Etſi enim melius foret, eiusmodi coniunctiones in faciendis nuptiis, adhibita nonnulla ad genus familiae cura, diligenter euitari; tamen ſaepius ipſe animaduerti: maritum integrum ac valentem ex vxore tabida parvulum procreare, omnibus lineamentis ſibi ſimilem, et praeterea valentem, et alium quemdam, qui vultu matrem referret, et, vt ea, tabidus eſſet. Pariter in matrimonio viri ratione pollentis cum vxore, quae tantummodo ex familia eſſet, in qua veſania haereditaria eſt, ipſa vero rationis particeps eſſet, in pluribus ſanis liberis, vnum modo vidi veſanum. Hic *ſimilitudo* adnata eſt: verum ea in iis, quibus ambo parentes differunt, haud neceſſaria eſt. — Haec eadem regula etiam in reliquis claſſibus fidenter poteſt fundamento conſtitui. Nigrorum, Indorum, vel Americanorum ſuae quoque cuiusque varietates perſonales ſunt, vel familiares, aut prouinciales; nulla vero earum in permixtione cum iis, qui ſunt *eiusdem claſſis* ſuam proprietatem neceſſario in procreationem transferet et propagabit.

4.

In permixtione iſtarum quatuor claſſium cum ſe inuicem cuiusque nota atque character neceſſario adnaſcitur.

Albus cum Nigra, et vice verſa, producit *Mulattum*, cum Indis feminis *flauum* Meſtitium, et cum

Americano *nigrum Caraibum*, et verſa vice. (Permixtio Indi cum Nigro nondum tentata eſt). Character claſſium in permixtionibus heterogeneis *neceſſario* adnaſcitur, nullaque omnino ea in re exceptio eſt; vbi autem exceptiones narrantur, error fundamento eſt, propterea quod *Albinus* aut *Eaquerlauius* (vterque partus obſcoenus) pro Albis habiti ſunt. Sic is ſemper ab vtraque parte adnaſcitur, numquam ſolum ex vna, in vno eodemque paruulo. Pater albus ei characterem imprimit claſſis ſuae, et ſuam mater nigra. Igitur ſemper, neceſſe eſt, varietatem mediam oriri ſeu ſpuriam; quod genus nothi, in pluribus vel paucioribus generationis membris cum vna eademque claſſe, paullatim exſpirabit, ſin vero ad ſui ſimile ſeſe adſtrinxerit, ſine vulla exceptione porro propagabit, atque immortalem reddet.

5.

Meditatio de lege generationis neceſſario hybridae.

Profecto phaenomenon valde memorabile eſt, cum in genere humano characteres ſint tam multi ex parte graues atque etiam per familias haereditarii, tamen ne vnum quidem inter claſſem hominum ſolo cutis colore definitorum inueniri, qui neceſſario haereditate transferatur; hunc characterem, poſteriorem e contrario, vt maxime leuis videatur, tamen cum intra hanc claſſem, tum vero etiam in ea cum vna trium reliquarum commiſcenda, vniuerſe *neceſſarioque* adnaſci. Fortaſſe ex hoc miro phaenomeno aliquid de cauſſis earum proprietatum adnaſcentium, quae haud neceſſario ad genus pertinent, ſolum idcirco poteſt, quia neceſſariae ſunt, coniectura duci.

Ac primo quidem, quid conferat, vt omnino quidpiam, quod haud ad eſſentiam generis pertineat, *haereditate propagari* queat, vt ex anticipatione decernatur, conatus dubius eſt atque ambiguus; atque

Digitized by

in hac obſcuritate fontium cognoſcendi libertas hypotheſium adeo haud circumſcripta eſt, vt omnis opera et oleum in confutando perierit, propterea quod ſuo quisque conſilio in rebus eiusmodi vtitur. Equidem in talibus cauſſis tantummodo rationem habeo *normae* peculiaris *rationis*, vnde quisque proficiſcatur, et ex qua plerumque etiam res ſcit in facto poſitas conquirere, quae illi ſuffragantur; et poſthac meam quaero, quae memet contra omnes explicationes iſtas reddit incredulum, priusquam rationes contrarias valeam perſpicue cogitare. Perſpecta igitur norma mea probata, vſuique rationis in phyſica adcurate conſentanea, et ad rationem ſibi conſtantem ſolum idonea; ſequor eam, factis illis ſic dictis poſtpoſitis, quae fidem ſuam et ſufficientiam ad ſumtam hypotheſin propemodum a ſola norma illa ſemel optata mutuantur, quibus praeterea ſexcenta alia facta poſſunt opponi. Propagatio per efficacitatem phantaſiae in mulieribus gravidis, vel etiam adeo in equabus equilium; euulſio barbae vniuerſorum populorum, quemadmodum truncatio caudarum in equis Anglicis, qua natura cogatur, vt ex generationibus ſuis partum, ad quem originarie organis inſtructa eſſet, pariter omittat; nares depreſſae, quae ab initio in infantibus recens natis arte effectae, poſtea vero ab natura in vim genitricem ſuam receptae eſſent; hae aliaeque explicandi rationes ſane difficulter per res in facto poſitas in ſubſidium earum memoratas, quibus longe melius probatae poſſunt opponi, auctoritatem conſequerentur, niſi ab norma rationis alioquin veriſſima commendarentur, ſic nimirum, *vt potius omnia in coniectura ex datis phaenomenis facienda experiare, quam in eorum ſubſidium peculiares vires naturales vel initia ingenita ſumas* (ſecundum decretum: principia praeter neceſſitatem non ſunt multiplicanda). Verum alia mihi norma obſtat, illam, de parcendo principiis ſuperuacaneis, circumſcribens, nimirum, *per vniuerſam naturam organicam in omnibus mutationibus rerum creatarum ſingularium ſpeciem earum non mutatam atque integram manere* (ſecun-

dum ſcholarum formulam: quaelibet natura eſt conſervatrix ſui). Iam planum eſt, ſi vi magicae phantaſiae, aut hominum in corporibus animalibus argutiis facultas concederetur vim ipſam procreandi, immutandi, exemplarque naturae originarium transformandi, aut additamentis deformandi, quae nihilominus poſthac conſtanter in generationibus poſteris adſeruarentur; haud poſſe amplius ſciri, a quo exemplari natura profecta fuerit, aut quo vsque illius immutatio pertineret, et cum hominum opinio nullos agnoſcat terminos, in quam formam deformen, genera et ſpecies poſtremo efferatura forent? Huic cogitationi conuenienter ſtatuo, *nullam omnino vim phantaſiae oput generandi naturae corrumpentem concedendam eſſe*, nullamque facultatem hominum artificio externo mutationes in vetere generum ac ſpecierum exemplari efficiendi, eamque in vim gignendi inferendi, haereditariamque reddendi. Namque, vno modo huiusmodi caſu conceſſo, perinde erit, ac vel vnam modo de ſpectris narrationem vel incantationem conceſſerim. Carceres rationis tum ſemel perfricti ſunt, opinionisque error per eamdem rimam penetrat ad ſexcentos. Neque eſt, quod metuam, hoc ſtatuto conſilio de induſtria memet erga veras experientias occaecaturum fore, aut, quod idem eſt, *contumaciter incredulum* futurum. Namque omnia eiusmodi euenta portentoſa promiſcue in ſeſe notam oſtendunt, ea *nullum* omnino *experimentum* concedere, ſed non niſi exceptis perceptionibus fortuitis velle probari. *Quod autem huiusmodi eſt, quamquam ad experimentum ſatis aptum eſt, tamen ne vllum quidem ſustinet, aut vario praetextu illud effugit; id nihil eſt, niſi opinio et commentum.* En rationes meas, quibus ductus non poſſum explicandi rationi adſentire, quae fanaticae ad artem magicam propenſioni, cui quodque vel minimum praetextum exoptatum eſt, reapſe facem praefert, ſcilicet propagationem, vel ipſam modo fortuitam, haud ſemper ſuccedentem, vmquam poſſe effectum eſſe cuiusdam

Digitized by Google

cauſſae alius, quam germinum initiorumque in ipſo genere ſitorum.

Verum etiamſi characteres concedere vellem ex impreſſionibus fortuitis oriundos et tamen euadentes haereditarios; tamen fieri non poſſet, vt eo explicaretur, qui fiat, vt quatuor illa colorum discrimina omnium, qui haereditate veniunt, *vni* ſint, neceſſario ſeſe *propagantes*. Ecquaenam eius eſſe alia cauſſa poteſt, quam quod in germinibus ſtirpis originariae nobis ignotae humani generis, et quidem vt talia naturae initia neceſſe eſt ſita fuiſſe, quae ad conſeruandum genus, certe primo tempore propagationis illorum, neceſſario pertinerent, ideoque in generationibus poſteris neceſſario oporteret contingere?

Quocircà cogimur, vt ſumamus, quondam *varias* hominum *ſtirpes* fuiſſe, fere in domiciliis, in quibus eos nunc inuenimus, quae, vt genus ſeruaretur, ab natura plagis ſuis diuerſis, diligenter adcommodatae erant, proinde varie organiſatae; cuius quidem rei criterium externum colore cutis quadruplici efficitur. Hic igitur in vnaquaque ſtirpe non ſolum in domicilio propagabitur, verum, genere humano iam ſatis aucto (ſiue euolutio plena pedetentim abſoluta fuerit, ſiue paullatim rationis vſu ars potuerit naturam adiuvare), verum etiam in quouis alio climate per omnes generationes eiusdem claſſis conſeruabitur. Hic enim character vi gignendi adhaeret neceſſario, ſiquidem ad conſeruandam ſpeciem eo opus fuit. — Quodſi vero iſtae ſtirpes eſſent *originariae*, nullo modo explicari poſſet et comprehendi, quare in permixtione earum in ſe inuicem mutua character diuerſitatis ipſe neceſſario propagetur, vti tamen reuera fit. Namque natura cuique ſtirpi characterem, originarie reſpectu climatis atque illi conuenienter, impertiit Itaque organiſationi vnius longe alius finis deſignatus eſt, quam organiſationi alterius; et, nihilominus vires vtriusque genitrices, reſpectu ipſius varietatis de-

finitae et characteriſticae, ita congruere, vt inde genus quoddam medium non ſolum oriri *poſſit*, verum adeo certo ſequi *oporteat*; id quidem per diuerſitatem ſtirpium originariarum nullo modo poteſt comprehendi. Tum modo, cum ſumſeris, in germinibus *vnius cuiusdam ſtirpis primae* initia vniuerſae huiusce varietatis claſſicae neceſſario oportuiſſe ineſſe, vt ad hominum frequentiam in variis climatibus paullatim accreſcentem idonea eſſet, intelligi poteſt, cur, ſi haec initia opportune, et huic quoque conuenienter varie ſeſe euoluerent, variae hominum claſſes orirentur, quae ſuum quoque characterem definitum poſtea neceſſario in generationem cum quauis claſſe alia inferre congerentur, quoniam is ad poſſibilitatem exiſtentiae propriae, proinde quoque ad poſſibilitatem propagandae ſpeciei pertineret, atque ab neceſſariis primis initiis in genere originario deriuatus eſſet. Igitur ab huiusmodi, certo et quidem in ipſa cum aliis claſſibus commixtione, tamen hybride propagandis proprietatibus cogitur, vt ad hanc earum ab vna ſtirpe deriuationem concludamus, quoniam ſine hac *neceſſitas* propagationis non poſſet comprehendi.

6.

Id ſolum, quod in discrimine generis humani claſſifico neceſſario haereditarium eſt, poteſtatem facere poteſt denominandae peculiaris, cuiusdam hominum progeniei claſſificae.

Proprietates, quae ad genus ipſum neceſſario atque eſſentialiter pertinent, proinde omnium hominum ſunt vt talium communes, certo quidem haereditariae ſunt; ſed, quia in eo nullum discrimen ineſt hominum, illius ratio in deſcribendis *progeniebus claſſificis* non habetur. Characteres phyſici, quibus homines (nullo ſexus discrimine) inter ſe inuicem *diſtinguuntur*, et ii quidem duntaxat, qui haereditate propagantur, cadunt ſub contemplationem (vid. §. 3.) ad deſcriptio-

Digitized by Google

nem *generis* in *classes* in iis constituendam. Sed hae *classes* non nisi tum *progenies classificae* dicendae sunt, cum illi characteres *certo* ac *necessario* (cum in eadem classe, cum in permixtione cum quauis alia) propagantur. Igitur *conceptu progeniei classificae* primo conceptus stirpis communis, deinde characteres *necessario haereditarii* discriminis classici posterorum illius inter se inuicem continentur. Hoc posteriori certae discernendae rationes stabiliuntur, quibus genus possimus in classes describere, quae tum, propter priorem rationem, nempe vnitatem stirpis, nullo modo *species*, sed solum *progenies classificae* vocandae sunt. Classis *Alborum* non vt singularis quaedam generis humani species differt a Nigris; et *nullae omnino sunt hominum species diuersae.* Quippe quo vnitas stirpis, ex qua potuissent oriri, negaretur; cuius quidem, vti ex certa ac necessaria characterum classicorum propagatione probatum est, nulla ratio adest, sed potius grauissima in contrarium. *)

Igitur conceptus progeniei classificae cernitur *in discrimine classico animalium vnius eiusdemque stirpis, quatenus certo necessarioque haereditarium est.*

Quam quidem definitionem hac in disputatione proprie mihi propositam habeo; cetera vt cum consi-

*) Initio, si solum characteres comparationis (similitudinis et dissimilitudinis ratione) spectaueris, *classes* exsistunt rerum creatarum vni generi subiectae. Si porro rationem habueris eorum deriuationis atque originis, planum fiat, oportebit, vtrum illae classes totidem sint species *diuersae*, an modo *progenies classificae* Lupus, vulpes, schacalus, hyaena et canis domesticus totidem classes sunt quadrupedum. Quae, si sumseris, quamque earum singulari opus habuisse ortu ac deriuatione, totidem *species* sunt; sin eas vero concesseris etiam potuisse ab vna stirpe oriri, non nisi *progenies* eius *classificae* sunt. *Species* et *genus* in *physiogonia* (in qua non nisi de generatione atque origine agitur) per se nihil quidquam differunt. Sed in *physiographia*, in qua duntaxat de comparandis notis et criteriis agitur, solum istud discrimen locum habet. Quod hic *species* vocatur, illic saepius duntaxat *progenies classifica* adpellandum est.

lio coniuncta poſſunt, aut mera additamenta ſpectari, eaque vel accipi, vel repudiari. Prius modo probatum duco, et praeterea ad inueſtigationem in phyſiogonia vt principium vtile, quoniam *experimento* poteſt firmari, quo vſus conceptus illius certo duci queat, qui ſine illo vagus foret atque ambiguus. — Si homines varie formati eo adducerentur, vt ſeſe commiſcerent, iam, generatione hybrida, magna naſcitur ſuſpicio, eos ſane ad progenies claſſificas diuerſas pertinere; ſin vero opus commixtionis illorum ſemper *hybridum* ſit, ea ſuſpicio conuertitur in veritatem exploratam. Contra, ſi ex vna modo generatione nullum genus medium producatur, eſſe certus poteris, vtrumque parentem generis eiusdem, vt maxime diverſa forma eorum ſit, tamen ad vnam eamdemque progeniem claſſificam pertinere.

Tantummodo quatuor humani generis *progenies claſſificas* feci; non quaſi prorſus certus forem, nullibi vllum plurium veſtigium adparere; ſed quoniam ſolum in his id, quod ad characterem progeniei claſſificae poſtulo, nempe generatio hybrida, *certum* et *expeditum* eſt, in nulla vero alia claſſe hominum ſatis probatum. Sic celeberrimus *Pallas* in deſcriptione populorum *Mongolicorum*, prima generatione, ait, Ruſſi ex femina eiusmodi populi (*Buraeta*) iam continuo pulcros liberos naſci; neque tamen ſignificat, an nullum omnino veſtigium originis Calmuquicae in iis deprehendatur. Res ſane grauiſſima, ſi permixtione Mongoli et Europaei lineamenta definita et characteriſtica illius prorſus delerentur, quae tamen in commixtione cum populis magis auſtralibus (ſine dubio cum Indis) in *Sinenſibus*, *Auanis*, *Malaiis*, aliisque plus minusue inſignia etiamnunc inueniuntur. Sed proprietas Mongolica reapſe attingit figuram, non vero colorem; de qua ſola, quae huc vsque innotuit, experientia, certam ac neceſſariam propagationem, tamquam characterem progeniei claſſificae, docuit. Nec vero certo poteſt ſtatui, an *figura Caſſerica* Papuarum

variarumque oceani pacifici insulanorum iis similium, singularem quamdam progeniem classificam indicet, siquidem, quod ex earum commixtione cum Albis proveniat, nondum constat; namque a Nigris per barbam sparsam, quamuis crispatam, satis distinguuntur.

SCHOLION.

Haec theoria, quae certa quaedam *germina* originaria in prima hominum stirpe et communi sumit, ad progenierum discrimina, quae nunc sunt, classificarum proprie institutа, tota posita est in *ratione certa* propagationis eorum, quae in quatuor illis, quas diximus, progeniebus classificis per vniuersam experientiam confirmatur. Is qui hanc explanandi rationem esse inutilem putat principiorum in physiogonia multiplicationem, atque specialibus eiusmodi initiis naturalibus facile existimat posse superfederi, et, prima parentum stirpe alba sumta, reliquas sic dictas progenies classificas ex impressionibus per aëra et solem factis in posteris serioribus explicari, tum nondum quidquam euicit, cum ponit, quasdam proprietates alias solum ex diuturno populi cuiusdam domicilio in zona eadem etiam fere tandem factas esse haereditarias et characterem populi physicum constituere. Exemplum, oportebit, proferat *rationis certae* eiusmodi proprietatum propagandarum et quidem haud in eodem populo, sed in commixtione cum quouis alio (in eo ab illo abhorrente) ita vt generatio sine vlla exceptione hybrida fiat. Verum istud non potest efficere. Siquidem nullius alius characteris, quam eius, cuius mentionem fecimus, cuiusque initium vniuersam historiam excedit, eam in rem exemplum inuenitur. Sin maluerit diuersas *stirpes hominum primas* cum eiusmodi characteribus haereditariis sumere; *primo* ea re parum philosophiae consultum foret, quae tum cogeretur ad varias res creatas confugere, ipsaque praeterea semper perderet generis vnitatem. Namque animalia, quarum tanta varietas est, vt ad exsistentiam eorum

totidem creationibus diuerſis opus foret, poſſunt quitem ad *genus nominale* (ad ea ſecundum quasdam ſimilitudines in claſſes deſcribenda) pertinere, numquam vero ad *genus reale*, quippe ad quod vtique ſaltem poſſibilitas originis ab vno pari poſtulatur. Vt hoc poſterius inueniatur, proprie propoſitum eſt phyſiogoniae; priori illo phyſiographus poteſt eſſe contentus. Sed tum quoque *deinde* ſemper tamen ſingularis illa virium genitricium conuenientia in duobus diuerſis generibus, quae, cum reſpectu originis ſibi inuicem prorſus aliena ſint, tamen fecunde poſſunt inuicem commiſceri, prorſus fruſtra, et ſine omni cauſſa alia, quam quod naturae ſic placuerit, ſumeretur. Quodſi, vt hoc euincatur, animalia nominentur, in quibus, nulla ratione habita ſtirpis primae, tamen eueniat; quisque in talibus cauſſis hanc ſuppoſitionem negaturus foret, potiusque inde, quod eiusmodi fecunda permixtio locum habeat, ad vnitatem ſtirpis concluſurus, velut ex commiſcendis canibus cum vulpibus, et ſic porro. *Propagatio certa* et neceſſaria ambarum proprietatum in parentibus proinde vnice vera et ſimul ſufficiens obruſſa eſt diuerſitatis progenierum claſſificarum, ad quas pertinent, argumentumque pro vnitate ſtirpis, vnde primordia cepere, nimirum germinum originariorum in hanc ſtirpem inditorum et in generationibus ſequentibus ſeſe euoluentium, ſine quibus varietates illae haereditariae non ortae forent, nec praeſertim potuiſſent *neceſſario haereditariae* fieri.

Forma finalis in organiſatione nihilominus principium generale eſt, ex quo ad adparatum originarie in naturam creatae rei hoc reſpectu inditum, et, ſi hic finis non niſi ſeriori tempore poterat attingi, ad *germina ingenita* concludimus. Iam haec quidem forma finalis, fieri non poteſt, vt in proprietate vllius cuiuspiam progeniei claſſificae tam dilucide euincatur, quam in *Aethiopum progenie claſſifica;* ſed exemplum, ab hac ſola depromtum, nobis poteſtatem facit, per analogiam idem de reliquis certe ſuſpicandi. Nunc quip-

pe nouimus, ſanguinem humanum, ſolum eo, quod phlogiſto obruitur, nigreſcere (quemadmodum in inferiori parte placentae ſanguineae videre licet). Iam grauis, nullaque munditia euitandus odor Aethiopum copiam facit ſuſpicandi, cute eorum multum *phlogiſton* ex ſanguine tolli, cutemque illorum ita ab natura eſſe contextam oportere, vt ſanguis in iis longe maiori copia poſſit per eam phlogiſto liberari, quam in nobis fit; vbi iſtud potiſſimum eſt munus pulmonum. Sed veri Aethiopes habitant etiam in regionibus, in quibus aër ſyluis denſis locisque paluſtribus atque obductis adeo phlogiſto obruitur, vt ex *Lindii* narratione periculum mortis ad remiges Anglicanos redundet, ſi vel diem modo flumine aduerſo *Gambiam* vehantur, ad carnes ibi emendas. Ergo inſtitutum fuit ſapientiſſime ab natura factum, vt cutem earum ita contexeret, vt ſanguis, qui per pulmones parum ſatis phlogiſti emittit, per illam multo copioſius poſſit, quam in nobis, phlogiſto liberari. Igitur ad extremas arteriarum partes permultum phlogiſti deferret, proinde in eo loco, id eſt, ſub ipſa cute, obrutus eſſe deberet, atque ita atre perlucere, etſi in inteſtino corpore ſatis ruber ſit. Praeterea varietas organiſationis cutis Aethiopum a noſtra, quoad ipſum tactum, iamiam inſignis eſt. — Ac forma finalis quidem organiſationis aliarum progenierum claſſificarum, vti ea colligi ex colore poteſt, ſane quidem pari poterat probabilitate euinci: nec vero plane deſunt rationes coloris explicandi cutis, quibus illa ſuſpicio formae finalis queat adiuuari. Si verum eſt, quod *Fontana* abbas aduerſus *Landrianum* equitem contendit, ſcilicet, aërem fixum, qui in quaque exſpiratione ex pulmonibus expellitur, non ex atmoſphaera praecipitatum eſſe, ſed ex ipſo ſanguine veniſſe; poſſet quidem quaedam hominum progenies claſſifica ſanguinem habere hoc acore aëreo obrutum, quod ſolis nequeat pulmonibus eiici, et quo vaſa cutis adhuc conferre debeant (ſane quidem haud in forma aëris, ſed cum alia quadam materia exhalata coniunctum). Ita *acore* illo *aëreo* particulis ferreis

in ſanguine color rubidus ferruginoſus impertiretur, quo cutis Americanorum diſtinguitur; propagatioque huiusce qualitatis in cute neceſſitatem inde ſuam nanciſci poteſt, quod praeſentes huiusce mundi partis habitatores ex regione Aſiae aquilonali, proinde non niſi in oris, et fortaſſe adeo tantummodo trans glaciem maris glacialis potuerint in ſedes ſuas praeſentes pervenire. Sed aqua iſtorum marium, neceſſe eſt, perpetuo gelaſcendo perpetuo quoque vim aëris fixi immenſam emittat, quo proinde atmoſphaera ibi, vt credo, plus obruta erit, quam vspiam alibi; cuius proinde remotioni (cum ea hauſta, aërem fixum haud ſatis tollat) natura ante in contexenda cute proſpexerit. Reapſe quoque fuere, qui longe minorem ſenſibilitatem in cute Americanorum originariorum animaduerterent, quae quidem poſſet conſequens eſſe illius organiſationis, quae poſtea, ad discrimen progeniei claſſificae ſemel euoluta, etiam in calidioribus climatibus ſeſe tuetur. Nec vero ad defungendum munere ſuo in his poteſt ei materia deeſſe; vniuerſa enim alimenta vim in ſe cohibent aëris fixi, qui per ſanguinem exceptus poteſt per viam illam emitti.— *Alcali volatile* etiam materia eſt, ab natura ex ſanguine tollenda; ad quam ſecretionem ea itidem certa quaedam germina peculiaris organiſationis cutis conſtituit iis primae ſtirpis poſteris, qui primo tempore euolutionis humani generis domicilium habituri forent in zona arida et calida, qua ſanguis eorum praecipue ad materiam illam ſupra modum generandam redderetur idoneus. Frigidis Indorum manibus, quamquam ſudore coopertis, diuerſa organiſatio ab noſtra videtur confirmari. — Sed hypotheſibus artificio fabricandis parum philoſophiae conſulitur. Interim vtiles ſunt, vt, ſi vſus ſit, aduerſario, ſi, quod ſummae cauſſae opponat, non habeat quidquam apti atque idonei, de eo gaudio exſultet, quod ſumto principio ne poſſibilitas quidem phaenomenorum demonſtrari queat, — ludus hypotheſium, pari quodam, certe aeque ſpecioſo, retribuatur.

Digitized by Google

Verum qualecumque ſyſtema acceperis; tamen certum eſt, progenies claſſificas praeſentes, ſi vniuerſa eorum inter ſe inuicem permixtio euitaretur, haud amplius poſſe exſpirare. *Cingari* inter nos verſantes, quos certum eſt origine *Indos* eſſe, argumento ſunt euidentiſſimo. Praeſentia illorum in Europa longe vltra annos trecentos poteſt inueſtigari, nec etiam vel minima ex parte a forma maiorum degenerarunt. *Luſitani* ad *Gambiam*, qui in Aethiopes dicuntur degeneraſſe, ſunt poſteri *Alborum*, qui corpora miſcuerunt cum Nigris; vbinam enim ſcriptum legimus, et qui vel modo probabile eſt, primos, qui huc venerint, Luſitanos totidem mulieres albas ſecum adduxiſſe, easque quoque omnes ſatis diu in viuis fuiſſe, aut aliis albis ſuppletas fuiſſe, ad nouam originem ex albis in mundi parte aliena conſtituendam? Contra meliora indicia ſunt, *Ioannem II.*, regem, qui inde ab 1481 vsque ad 1495 regnauit, cum omnes coloni in inſulam *diui Thomae* miſſi eſſent exſtincti, eam inſulam non niſi liberis Iudaeis baptizatis (religione Luſitanochriſtiana) frequentaſſe, a quibus, quantum nouimus, Albi in ea praeſentes deſcendunt. Creoli nigri in America ſeptemtrionali, Hollandi in Jaua progeniem ſuam claſſificam ſeruant. Modo ne fucus, quem ſol in cute eorum addit, ſed aër frigidior rurſum tollit, cum colore progeniei claſſificae proprio confundatur; ille enim numquam haereditate propagatur. Ergo germina, quae originarie in ſtirpe generis humani ad generandas progenies claſſificas indita fuere, iam antiquiſſimis temporibus pro ratione climatis, ſi diu commorarentur, neceſſe eſt, ſeſe euoluiſſe; et poſtquam vnum horum initiorum in quodam populo ſuit euolutum, cuncta iſtud alia exſtinxit. Idcirco non poteſt ſumi commixtionem diuerſarum progenierum claſſificarum certa quadam proportione factam etiamnum poſſe formam ſtirpis hominum denuo inſtaurare. Alioquin enim nothi, qui ex hocce concubitu diſſimili procreantur, etiamnum (vti quondam ſtirps prima) ſponte in generationibus ſuis in diuerſa climata trans-

Digitized by Google

lati rurſum in colores ſuos originarios diuiderentur, quod vt ſuſpicemur, nulla nobis, quae huc vsque obvia fuit, experientia copiam facit; propterea quod generationes ſpuriae in propria propagatione ſua pariter ſeſe *conſtanter* conſeruant, ac progenies claſſificae, ex quarum commixtione ortae ſunt. Qualis forma fuerit primae ſtirpis hominum (quoad cutis qualitatem) proinde nunc fieri non poteſt, vt diuinetur; ipſe character Alborum duntaxat euolutio eſt vnius initiorum originariorum, quod cum reliquis in illo deprehenditur.

Digitized by Google

X.

DE VANITATE OMNIUM TENTAMINUM PHILOSOPHICORUM IN THEODICEA. *)

Theodiceam dicimus defenſionem ſummae ſapientiae auctoris mundi contra calumniam quam ratio ex discrepantia a forma formali in mundo erga illam inſtituit. — Id quod dicitur cauſſam dei propugnare; quamquam non niſi cauſſa fuerit rationis noſtrae arrogantis, et carceres ſuos ignorantis, quae quidem cauſſa haud ita optima eſt, ſed tamen probari poteſt, quatenus (arrogantia illa ſepoſita) homo vt natura ratioque poteſtate gaudet, omnes ſententias, doctrinam omnem, quae ſibi obſeruantiam iniungit, examinandi, priusquam ei ſeſe ſubiiciat, vt ea obſeruantia ſincera ſit, nec ſimulata.

Ad hanc defenſionem autem poſtulatur, vt patronus cauſſae diuinae putatitius *aut* vincat, ea, quae nos a forma finali discrepantia iudicamus, reuera non discrepare, *aut*, ſi discrepent, tamen non vt res in facto poſita, ſed vt conſequens ineuitabile ex natura rerum diiudicari oportere, *aut* denique, ſaltem non vt factum ſummi omnium rerum auctoris, ſed ſolum naturarum mundanarum, quibus aliquid adſcribi poteſt; hoc eſt, hominum (forte quoque naturarum ſpiritualium celſiorum), bonorum malorumue ſpectari debere.

Itaque auctor theodiceae concedit, hanc cauſſam coram iudicio rationis deferri; ſpondetque, ſe, vt cauſſidicum, omnibus aduerſarii querelis refellendis partem accuſatam defenſurum: proinde aduerſarium haud licet pendente lite auctoritate iudicii rationis humanae illiciti (exceptione fori) reiicere, id eſt, querelas haud confeſſione ſummae auctoris mundi ſapientiae aduerſario imperata, quae continuo omnia dubia, quae contra moueantur, etiam nulla inueſtigatione praeuia

*) In menſtr. Berolin. Vol. XVIII. parte 3.

pro vanis declarat, confutare; ſed debet ad obiectiones deſcendere, easque conceptui ſummae ſapientiae *) neutiquam officere, examinandis iis tollendisque demonſtrare. — Ad vnum tamen nihil attinet ſeſe demittere; nimirum vt ſummam dei ſapientiam ex iis adeo probet, quae experientia in hoc mundo docet; nam id illi quoque nullo modo procederet, quoniam ad eam rem opus eſt omniſcientia, vt in mundo dato (quomodo ſeſe demonſtrat per experientiam) ea perfectio cognoſcatur, qua certo dici poſſit fieri omnino nullam poſſe maiorem in creando illo gubernandoque.

Sed pugna cum forma finali in mundo, quae ſapientiae auctoris illius poſſet opponi, triplicis generis eſt.

1. Pugna abſoluta cum forma finali, quae neque vt finis poteſt, neque vt inſtrumentum a ſapientia probari atque adpeti;

*) Quamquam proprius *ſapientiae* conceptus tantummodo proprietatem voluntatis repraeſentat, cum ſummo bono, vt omnium rerum *ſcopo* conſpirandi; contra *artis* duntaxat facultatem inſtrumentis maxime idoneis ad placitos fines vtendi: tamen ars, ſi talem ſeſe praeſtat (quam ideis reſpondet, quarum poſſibilitas vniuerſam humanae rationis perſpicientiam ſuperat, veluti cum inſtrumenta et fines, quemadmodum in corporibus organicis inuicem ſeſe mutuo producunt), vt *ars diuina*, haud iniuria itidem poterit nomine ſapientiae deſignari; ſed tamen, ne conceptus permutentur, nomine *ſapientiae technicae* auctoris mundi, vt a *ſapientia* illius *morali* diſtinguatur. Teleologia (per eam quoque phyſico-theologia) larga argumenta praebet ſapientiae technicae per experientiam. Verum ab ea nulla valet ad ſapientiam auctoris mundi moralem concluſio, quoniam lex naturalis et moralis principia poſtulant prorſus heterogenea, probatioque ſapientiae moralis tota fit ex anticipatione, proinde nullo modo debet in experientia eorum conſtitui, quae in mundo eueniunt. Cum igitur conceptus de deo, qui aptus eſſe ad religionem debet (neque illo enim opus habemus in ſubſidium explicationis naturae, proinde reſpectu contemplatiuo) conceptus eſſe debeat de eo, vt natura morali; cum hic conceptus, quam parum fundatus eſt in experientia, tam parum poteſt elici e conceptibus ſolum transſcendentalibus entis abſolute neceſſarii, nobis transſcendentibus: ſatis manifeſtum eſt, argumentum pro exiſtentia entis eiusmodi nullum eſſe aliud poſſe, quam morale.

2. Pugna hypothetica, quae numquam quidem vt finis, ſed tamen vt inſtrumentum, cum ſapientia voluntatis ſimul conſiſtit.

Prior eſt pugna cum forma finali morali, vt malum proprium (peccatum); altera pugna cum forma finali phyſica (dolor). — Iam vero adhuc forma finalis eſt in relatione malorum ad malum morale, ſi hoc ſemel adeſt, nec impediri poterat vel debebat; ſcilicet in coniungendis malis ac doloribus, vt poenis, cum malo, vt delicto; et de hac forma finali in mundo quaeritur, num cuique in mundo ea in re, quod iuſtum eſt, tribuatur. Ergo neceſſe eſt praeterea

3. Tertium pugnae genus cum forma finali in mundo cogitari poſſe, nimirum defectum proportionis inter crimina et poenas in mundo.

Ergo proprietates ſummae ſapientiae auctoris mundi, contra quas pugnae illae cum forma finali vt obiectiones prodeunt, itidem tres ſunt:

Primo *ſanctitas* illius, vt *legislatoris* (creatoris), contraria malo morali in mundo.

Deinde *benignitas* eius, vt *moderatoris* (conſeruatoris), cui contraria ſunt mala innumera et dolores naturarum mundanarum ratione praeditarum.

Tertio denique *iuſtitia* iſtius, vt *iudicis*, comparata cum deformitate, quam defectus proportionis ex impunitate flagitioſorum eorumque delictis in mundo videtur oſtendere. *).

*) Hae tres proprietates vniuerſae, quarum vna nullo modo ad alteram, vti fere iuſtitia ad benignitatem, atque ita totum poteſt ad numerum minorem reuocari, conceptum de deo moralem conſtituunt. Nec vero earum ordo mutari poteſt (velut fere benignitas fieri conditio ſuprema creandi mundi, cui ſanctitas legislationis ſubiecta eſt), niſi religioni adferatur, cui hic idem conceptus moralis fundamento ſubeſt. Propria noſtra ratio pura (et quidem practica) hanc legem loci conſtituit, propterea quod, ſi adeo legisla-

Igitur contra tres illas querelas defenſio triplici illo, quem ſupra diximus, modo repraeſentanda erit, bonitasque examinanda.

I. Contra querelam de ſanctitate voluntatis diuinae ex malo morali, quo mundus, opus illius, dehoneſtatur, prima defenſio his continetur:

a) Eiusmodi pugnam cum forma finali ſimplicem, pro qua transgreſſionem legum purarum rationis noſtrae accipimus, nullo modo eſſe, ſed ſolum offenſiones eſſe lapſusque contra ſapientiam humanam; ſapientiam diuinam eas ex regulis longe aliis nobis incomprehenſis diiudicare, vbi, quae nos quidem relatiue ad noſtram rationem practicam eiusque deſtinationem iure mala iudicamus, tamen ratione habita finium diuinorum ſummaeque ſapientiae fortaſſe inſtrumentum optimum fuerit, cum ad ſalutem noſtram

.io ſeſe componit ad benignitatem, nulla amplius illius dignitas eſt, nullusque conceptus fixus officiorum. Homo primo quidem cupit felicem eſſe. ſed tamen intelligit, conceditque (quamquam inuitus), dignitatem felicitate perfruendi, id eſt, conuenientiam vſus libertatis ſuae cum lege ſancta ex conſilio auctoris conditionem eſſe benignitatis illius ideoque neceſſario antecedere oportere. Namque optatione. cui finis ſubiectiuus (philautiae) fundamento ſubeſt, non poteſt finis obiectiuus (ſapientiae) quam lex praeſcribit, definire, quae voluntati abſolute regulam praecipit. — Nequaquam etiam poena in exercenda iuſtitia vt merum inſtrumentum, verum vt finis in ſapientia legislatoria fundata eſt: transgreſſio cum malis coniungitur, non vt aliud quid boni inde naſcatur, ſed quoniam haec coniunctio per ſe ipſa, id eſt, moraliter et neceſſario bona eſt. Iuſtitia benignitatem legislatoris quidem ſupponit (niſi enim eius voluntas ſalutem ſpectaret ſubditorum, haec eos quoque non poſſet obligare, vt ſibi obedirent); ea vero haud benignitas eſt, verum vt iuſtitia ab hac natura diuerſa eſt, quamquam in conceptu ſapientiae generali continetur. Idcirco querela de defectu iuſtitiae, in ſorte, quae homini hoc in mundo obuenit, ſeſe manifeſtantis, haud eo pertinet, quod bonis hic haud *bene* ſit ſed quod malis haud *male* (quamquam, ſi illud ad hoc acceſſerit, varietate haec offenſio augetur). Etenim in gubernatione diuina etiam optimus homo deſiderium ſalutis non poteſt in iuſtitia diuina, ſed cogitur ſemper illud in benignitate eius fundare: quia is, qui ſolum ſeruat officium, non poteſt ius habere petendae benignitatis diuinae.

Digitized by Google

peculiarem, tum mundi omnino; vias entis ſummi haud noſtras vias eſſe (ſunt ſuperis ſua iura), in eoque nos errare, cum, quod non niſi relatiue hominibus legi eſt hac in vita, id ſimpliciter vt talem diiudicamus, atque ita id, quod nobis ex tam humili loco res contemplantibus vt pugnans cum forma finali videtur, etiam, ex ſummo loco ſpectatum, tale habemus. Haec defenſio, in qua excuſatio prior eſt accuſatione, nullius omnino indiget refutationis, certoque auerſationi cuiusque hominis, vel vlla ex parte ſenſu moralitatis vtentis, libere poteſt relinqui.

b) Altera ſic dicta purgatio exiſtentiam mali moralis in mundo quidem concederet, ſed auctorem mundi eo excuſaret, quod fieri non potuerit, vt illud impediretur; quoniam carceribus naturae humanae, vt naturarum finitarum nitatur. — Verum eo malum iſtud ipſum culpa liberaretur, et cum non niſi culpa hominibus tribui queat, iſtud haud amplius malum morale dicendum foret.

c) Tertia tum reſponſio: quod, etiamſi in eo, quod malum morale dicimus, reuera culpam haerere in homine, tamen nulla in deum poſſit conferri, ſiquidem iſtud vt actionem hominum ſapientiſſimis de cauſſis duntaxat conceſſerit, nullo modo vero per ſe probarit ac voluerit aut inſtituerit; tamen (etiamſi conceptu ſolius *permiſſionis* in natura, quae tota eſt ſolaque mundi auctor, haud offendaris) cum priori defenſione eodem redit, ſcilicet, vt, per deum ipſum fieri non poſſet, vt iſtud malum impediretur, aliis finibus altioribus ipſisque moralibus illaeſis, cauſſa huius mali (ſic enim illud nunc dicendum foret) neceſſario in rerum eſſentia, nimirum humanae naturae vt finitae cancellis, quaerenda ſit, nec illi proinde haud tribui poſſit.

II. Contra querelam, aduerſus benignitatem diuinam ex malis, nimirum doloribus, in hoc mundo deſumtam, ea ſic defenditur:

a) in fatis hominum cumulum malorum praeter iucundam vitae fruitionem falso sumi, quoniam tamen quisque, vt maxime illi male cadat, viuere malit quam mortuum esse, iique pauci qui mortem de se decernunt, quamdiu ipsi different eo ipso etiamnunc illum cumulum confiteantur, et cum ad mortem sibi inferendam satis stulti sint, tum quoque duntaxat in statum vacuitatis ab sensu transeant, in quo itidem nullus dolor possit sentiri. — At responsionem huius sophismatis certo poteris sententiae cuiusquam hominis, qui sanae mentis est, satisque diu vixit, et de pretio vitae cogitauit, relinquere, si illum interroges: an illi lubeat, ne dicam eadem lege, sed quauis alia, quae placuerit conditione, (modo ne in mundo quodam imaginario, sed hoc nostro terrarum orbe) ludum vitae denuo instituere.

b) Ad defensionem secundam, scilicet quod cumulus dolorum praeter voluptates ab natura rei creatae animalis, qualis homo est, non possit seiungi (vt fere *Verius*, *Comes*, in libro de natura voluptatis, perhibet) — sic responderi poterit: quod si ita sit, quaestionem oriri aliam, quippe vnde auctor exsistentiae nostrae nos omnino in vitam vocauerit, si, subducto calculo, eam haud optabilem cognoscamus. Hic indignatio, velut illa femina Indica regi, qui ei de accepta vi nullam satisfactionem poterat, nec de futura securitatem cauere, responderet: „Si non vis nos tueri, cur tandem nos occupas?“

c) Tertia nodi solutio haec adfertur: Deum nos propter felicitatem futuram, proinde tamen per benignitatem in mundum misisse, ante illam sperandam felicitatem immensam necessario oportere statum antecedere huius vitae praesentis molestum et aerumnosum, vbi ipso certamine cum aduersitatibus digni euadere debeamus illa beatitate futura. — At, hocce spectationis tempus (cui plerique succumbunt, et quo vel optimus quisque de vita sua haud laetatur) coram

Digitized by Google

ſumma ſapientia vtique eſſe conditionem oportere gaudiorum aliquando a nobis percipiendorum, nec potuiſſe fieri, vt res creata vnoquoque vitae tempore contenta ſit, id quidem perhiberi poteſt, ſed nullo modo perſpici, ideoque ſane hic modus prouocando ad ſapientiam ſummam, quae ſic decreuerit, diſcindi poteſt, non vero ſolui; quod tam theodicea ſe effecturam pollicetur.

III. Ad accuſationem vltimam, ſcilicet contra iuſtitiam iudicis mundi *) reſpondetur:

a) orationem de impunitate improborum in mundo vanam eſſe; quod vnumquodque delictum, per naturam ſuam, iam hac in vita poenam ſibi conuenientem ſecum ferat, propterea quod interna conſcientiae opprobria malum multo crudelius vexent, quam Furiae. — At in hoc iudicio manifeſto error ineſt. Probus enim in eo improbo animi ingenium commodat, nimirum religionem in vniuerſa ſeueritate, quae, quo quis magis virtutem colit, eo illum magis de temeritate leuiſſima, quam lex moralis in eo improbat, punit. Sed, vbi hoc animi ingenium cum eoque religio prorſus deeſt criminum delictorum; et improbus, ſi modo caſtigationibus externis ſcelerum ſuorum poſſit elabi, ſolicitudinem proborum ridet, qua propriis opprobriis internis vexatur; parua vero opprobria, quae ſibi nonnumquam fecerit, vel neutiquam per conſcientiam facit, vel, ſi quid illius in ſe reliqui ſit,

*) Mirum eſt, in omnibus difficultatibus, iter euentorum mundanorum cum diuinitate auctoris conciliandi, nulla animo humano tam vehementer ſeſe obtrudere, quam quae ab iuſtitia in eo ſpecie deficiente depromitur. Quodſi vero (quamquam raro) accidit, vt homo malus atque iniuſtus praeſertim potens, haud impunitus e viuis discedat, tum gaudiis exſultat ſpectator ſeuerus, cum caelo quaſi reconciliatus. Nulla naturae cum conſilio conuenientia eum admiratione ſui tantopere commouebit, digitumque quaſi dei in eo tam manifeſto oſtenderet. Qua de cauſſa? Quia hic moralis eſt, et vnice eo de genere, quod in mundo ſperari poſſit perceptum iri.

Digitized by Google

voluptate ſenſuum, quibus quippe ſolis delectatur, abunde compenſantur. — Cum illa adcuſatio porro

b) eo refellitur: quod haud quidem negari queat, nullam omnino iuſtitiae conſentaneam proportionem eſſe culpae ac poenarum in mundo, et ſaepenumero vitam enormi iniuſtitia peractam et nihilominus vsque ad finem felicem cum indignatione nobis eſſe conſpiciendam; quod vero haec discrepantia ſit in natura rerum, non vero haud de induſtria inſtituta, proinde haud moralis, quoniam proprium virtutis ſit, vt cum aduerſitatibus conflictetur (quo quidem et dolor pertinet, quam probus, neceſſe eſt, ex comparatione infortunii ſui cum fortuna improbi percipiat), aegritudinesque pretium virtutis augeant, proinde eorum ratione haec discrepantia malorum vitae immeritorum tam in conſonantiam moralem praeſtantiſſimam reſolui; — huic enodationi obeſt: quod, quamquam haec mala, ſi inſtar cotis virtutis eam *antecedant*, vel comitantur, cum ea quidem poſſunt, quaſi in conſpiratione morali conſtituta cogitari, ſi certe vita extrema hanc coronat, vitiumque punit; quod vero, ſi haec ipſa vita extrema, cuius tamen experientia multa exempla oſtendit, repugnanter eueniat, tum ſolicitudo probo videatur placere, non propterea, vt virtus eius pura ſit, ſed *idcirco*, *quia* pura fuerit (contra ea vero regulis philautiae prudentis repugnarit): quod ipſum iuſtitiae contrarium eſt, pro eo atque homo poteſt ſibi cogitationem de ea informare. Quod enim poſſibilitatem attinet, vt finis huiusce vitae terreſtris tamen fortaſſe haud vniuerſae vitae finis ſit; ea quidem poſſibilitas non poterit, pro *defenſione* prouidentiae valere, ſed non niſi dictum eſt imperioſum rationis moraliter credentis, quo dubitans ad tolerantiam ablegatur, non vero lenitur.

c) Cum denique tertia enodatio huius proportionis discrepantis pretium inter hominum morale et ſortem, quae iis obuenit, eo tentatur, vt dicatur:

in hoc mundo oportere omne bonum malumque non niſi euentum eſſe et conſequens ex facultatibus hominum ſecundum leges naturae vtendis, habilitati eorum adhibitae apte ac prudentiae, ſimul quoque temporibus, in quae caſu inciderint, non vero ex eorum conuenientia cum finibus ſenſibus inacceſſis, diiudicentur: contra in mundo futuro alium rerum ordinem prouenturum eſſe, et cuique obuenturum, quod actiones eius his in terris ex iudicio morali meruerant: — haec quoque ſuppoſitio voluntaria eſt. Potius ratio, niſi ei vt facultati moraliter legislatoriae huic ſuo inuitamento conuenienter pro ratione voluntas ſtet, ex meris regulis cognitionis theoreticae probabile cenſeat, fore vt curſu mundi ſecundum ordinem naturae, vti hic, ita porro quoque ſortes noſtrae determinentur. Ecquis enim alius in coniecturis theoreticis rationis dux eſt niſi lex naturae? et, quamquam ea, vti antea (No. b.) ſollicitata eſt, ad tolerantiam vitaeque ſpem futurae ablegari ſeſe patiebatur; qui tandem exſpectare poteſt, fore, vt euentus rerum, cum ex ordine naturae his in terris etiam per ſe ipſe ſapiens ſit, ex eadem lege in mundo futuro ininſipiens euadat? Cum igitur, iuxta illum, inter rationes internas voluntatem (quippe animum moralem) ex legibus libertatis determinandi, et inter cauſſas maximam partem externas) ſalutis noſtrae a voluntate noſtra liberas ex legibus naturalibus, nulla omnino relatio comprehenſibilis ſit; relinquitur ſuſpicio, fore, vt conuenientia ſortis hominum cum iuſtitia diuina, ex conceptibus, quos nobis hac in vita animo informamus, tam parum illic quam hic exſpectanda videatur.

* * *

Euentus huiusce litis coram philoſophia igitur hic eſt: viuerſam, quae huc vsque fuerit, theodiceam id, quod pollicetur, haud praeſtare, nimirum vt ſapientiam moralem in gubernando mundo contra

dubia defendat, quae ex iis, quae per experientiam hoc in mundo cognoſcuntur, contra eam mouentur; quamuis ſane iſtis dubiis qua obiectionibus, quantum quidem perſpicientia noſtra naturae rationis noſtrae reſpectu huius pertinet, et contrarium nequeat euinci. An vero etiam nunc forſan aliquando meliores illius defendendae rationes inueniri poſſint, quibus ſapientia adcuſata haud (vti adhuc) duntaxat ab inſtantia abſoluatur, id quidem tamen praeterea etiam nunc incertum manet; niſi id effecerimus, vt certo euincamus: rationem noſtram prorſus eſſe infirmam ad perſpiciendam *relationem mundi, qualemcumque per experientiam cognouerimus, ad ſapientiam ſummam;* tum enim cuncta vlteriora tentamina ſapientiae ſic dictae humanae, prorſus ſunt repudiata. Igitur ſaltem ſapientiam quamdam negatiuam, nempe perſpicientiam circumſcriptionis neceſſariae noſtrarum vſurpationum reſpectu eorum, quae nobis nimis ardua ſunt, poſſe nosmet adſequi; id quidem adhuc probandum eſt, vt ea lis *aeternum* componatur; atque hoc facile fieri poteſt.

Scilicet cogitationem habemus de quadam *ſapientia technica* in huius mundi diſpoſitione, haud deſtitutam realitate obiectiua rationi noſtrae contemplatiuae, vt perueniri poſſit ad phyſico-theologiam. Pariter quoque cogitationem habemus *de ſapientia morali*, quae inſerere in mundum generatim poſſit per perfectiſſimum auctorem, in idea morali propriae noſtrae rationis practicae. — Verum de *vnitate in conuenientia* illius ſapientiae technicae cum ſapientia morali in mundo ſenſibili nullam omnino cogitationem habemus, neque vnquam ſperare poſſumus nos ea potituros. Siquidem, rem creatam eſſe, vtque naturam phyſicam, ſolum voluntatem ſequi auctoris; nihilominus autem, vt naturam libere agentem (cuius voluntas eſt a contagione externa vacua, quae ſuperiori varie poteſt aduerſari) imputationis eſſe capacem; ſuamque ipſius actionem tamen quoque ſimul vt effectum natu-

Digitized by

rae ſuperioris conſiderare; id quidem copulatio cogitationum eſt, quam nos quidem in idea mundi, vt ſummi boni, ſimul cogimur cogitare; quam vero is poteſt ſolus perſpicere, qui ad notitiam mundi intelligibilis penetrat, modumque perſpicit, quo ea mundo ſenſibili fundamento ſit: in qua quidem perſpicientia ſolum poteſt argumentum ſapientiae moralis auctoris mundi in poſteriori fundari, cum haec non niſi phaenomenon illius mundi ſuperioris largiatur — ad quam perſpicientiam nemo mortalium poteſt peruenire.

* * *

Vniuerſa theodicea reapſe *explanatio* naturae eſſe debet, quatenus deus per eam conſilium voluntatis ſuae manifeſtat. Iam quaeuis explanatio voluntatis declaratae legislatoris vel *doctrinalis* eſt, vel *authentica*. Illa cernitur in ea, quae voluntatem illam ex verbis, quibus hic vſus eſt, coniunctam cum conſiliis legislatoris alioquin notis argutando efficit; alteram legislator ipſe facit.

Mundus, vt opus dei, poteſt a nobis quoque vt manifeſtatio diuina *conſiliorum* voluntatis eius conſiderari. Verum in eo nobis *ſaepenumero* mundus eſt inſtar libri praecluſi; ſed is *ſemper* nobis tum inſtar eiusmodi libri eſt, cum id agitur, vt adeo *ſcopum* dei (qui ſemper moralis eſt) ex eo, quamuis re experientiae obnexia, intelligamus. Tentamina philoſophica huius generis expoſitionum doctrinalia ſunt, et reapſe theodiceam conſtituunt, quae proinde dici doctrinalis poteſt. — Interim tamen nec ſoli refutationi omnium obiectionum contra ſapientiam diuinam nomen theodiceae poteſt recuſari, cum ea *ſententia diuina*, ſiue (quod hac in cauſſa eodem redit) cum ea iudicatum eſt eiusdem rationis, qua cogitationem de deo vt natura morali et ſapiente neceſſario atque ante vniuerſam experientiam nobis informamus. Tum enim deus ipſe per rationem noſtram ſit interpres voluntatis ſuae per

Digitized by Google

creationem nobis patefactae; eaque interpretatio theodicea poteſt *authentica* adpellari. Ea vero tum haud interpretatio rationis *argutantis* (contemplatiuae) ſed rationis practicae *auctoritate pollentis*, quae, vti ſine vllis rationibus vlterioribus in legibus ferendis ſimpliciter praeceptiua eſt, vt interpretatio proxima et vox dei poteſt ſpectari, qua literae creationis ſuae ſenſum impertit. Eiusmodi interpretationem authenticam in libro quodam vetere allegorice expreſſam video.

Iobus vt homo depingitur, ad cuius vitam perfruendam omnia conueniſſent, quae ad eam omnibus numeris abſoluendam, vmquam poſſunt excogitari. Valens, opulentus, liber, imperator aliorum, quos reddere felices poſſit, in ſinu familiae laetae et amicorum dilectorum, et praeterea (quod caput eſt) contentus cum ſe ipſo per conſcientiam rectam. Haec bona omnia, hoc poſtremo excepto, graui fato ad eum ſpectandum conceſſo ſubito illi eripiuntur. A conſternatione ex hac ruina inopinata paullatim ad conſiderationem reuocatus in querelas de calamitate erumpit; qua de re illum inter et amicos ſimulate ad conſolandum congregatos breui res venit ad disputationem, qua vtraque pars, pro ſuo quaeque ingenio (inprimis autem pro ſua quaeque conditione) peculiarem theodiceam ad explanationem moralem iſtis ſortis malae proponit. Iobi amici ſyſtema profitentur malorum in mundo omnium ex *iuſtitia* diuina tamquam totidem poenarum pro criminibus delictis enodandorum; et quamquam nulla indicare poſſunt, quae homini infelici cedere culpae deberent, tamen putant ſe poſſe ex anticipatione iudicare, neceſſe eſſe, vt ea patraſſet, quoniam alioquin per iuſtitiam diuinam fieri non poſſet, vt malis adflictaretur. Contra Iobus, qui indignabundus adſeuerat, ſibi conſcientiam de vniuerſa vita ſua nihil quidquam opprobrii facere; quod vero humana vitia attineat haud euitanda, deum ipſum noſciturum fore, quod ſe vtrem fragilem con-

diderit — ſyſtema profitetur *conſilii diuini abſoluti.* „Vnus eſt, inquit; agit, vti placet *)."

In iis, quae vtraque pars argutatur aut putide argutatur, parum eſt, quod dignum notatu videatur: verum ingenium, quo id agunt, eo maiori dignum attentione eſt. Iobus loquitur, vt ferunt ſenſa animi, et quomodo ſe habet, et quomodo etiam quisque homo in eadem cauſſa ſeſe haberet; contra loquntur amici, ac ſi occulte a potentiori, cuius de cauſſa ius dicant, cuiusque vt iudicio ſuo gratiam aucupentur magis curant quam veritatem, auſcultarentur. Haec eorum malitia, qua res ſpecie obtinent, quas tamen ſeſe non intelligere cogebantur fateri, perſuaſionemque ſimulant, quae iis reuera non eſſet; contra animum Iobi ingenuum, ab adſentatione falſa adeo remotum, vt fere temeritati finitimus videatur, ad rem Iobi eminet. „Vultisne, inquit, **) deum iniuria defendere? vultis rationem habere illius perſonae? vultisne eius cauſſam agere? Vos puniet, ſi perſonae rationem habueritis clanculum! — Nullus coram illo ſimulator comparet." —

Hoc poſterius euentu hiſtoriae reapſe confirmatur. Deus enim Iobum dignum iudicat, cui ſapientiam creationis ſuae, potiſſimum a parte illius naturae inexplicabilis ob oculos ponat. Pulcram illi creationis partem oſtendit, vbi finibus comprehenſis ſapientia et prouidentia auctoris mundi benigna homini in lucem haud ambiguam conſtituitur; contra ea quoque a parte deterrente, propterea quod ei res noxias et metuendas enarrat, quarum quaeque per ſe eiusque ſpecies conuenienter quidem inſtituta eſt, reſpectu aliorum vero ipſorumque hominum pernicioſa, inconueniens et cum forma generali per benignitatem ſapientiamque inſtituta haud conſpirare videtur: in

*) Iobi XXIII, 13.
**) Iobi XIII, 7-11, 16.

quibus tamen inſtitutio conſeruatioque totius ſapientem mundi auctorem manifeſtans planum facit, quamquam ſimul viae nobis inacceſſae, iam in ipſa ordinatione rerum phyſica, quanto magis in contextu illius cum moralibus (quae rationi noſtrae magis inacceſſa eſt) oportebit, ſint absconditae. — Extremum eo redit: deum, dum Iobus fatetur, haud fere quidem *friuole*, quippe qui ſuae ſibi probitatis conſcius ſit, ſed modo improbabiliter de rebus iudicaſſe ſibi nimium arduis, ſententiam ferre condemnatoriam contra amicos illius quia non tam bene (ſecundum religionem) de deo locuti ſint, quam ſeruus ſuus Iobus. Quodſi igitur theoriam vtriusque partis contemplatus fueris, theoria amicorum magis ſpeciem habuerit maioris rationis contemplatiuae piaeque modeſtiae; et Iobum veriſimile eſt coram quouis iudicio theologorum dogmaticorum, coram ſynodo, inquiſitione ſacra, claſſeque venerabili, aut vnoquoque conſiſtorio ſupremo noſtri temporis (excepto vno) ſortem malam experturum fuiſſe. Ergo ſola integritas animi, non laus perſpicientiae, probitas dubia ingenue fatendi, deteſtatio ſimulandi perſuaſionem, quam tamen haud ſentias, inprimis non coram deo (vbi iſta aſtutia caeteroquin abſurda eſt): hae virtutes laudem probi hominis in Iobo prae adulatore religioſo in iudicio diuino pepererunt.

Fides autem, ex noua hac dubiorum ſolutione ei nata, quippe duntaxat perſuaſio de ignorantia, quoque non niſi in animum hominis ingredi, qui, dubiis vndique cinctus grauiſſimis, dicere poſſet (XXVII. 5, 6.); „donec finis vitae accedat, a pietate mea non recedam, et ſic porro.“ Quo quippe animo planum fecit, ſe moralitatem ſuam non in fide, ſed fidem in moralitate conſtituere: quae quidem in cauſſa hac, vt maxime infirma aaque tenuis fuerit, tamen ſolum ſincera et genuina, id eſt, eo de genere videtur, quod religionem ſancit haud comparandae gratiae, ſed vitae bonae.

SCHOLION EXTREMUM.

Theodicea, vti hoc loco oſtendimus, non tam in quaeſtione in vſum ſcientiae, quam potius in re fidei ſubiecta verſatur. Ex authentica intelleximus: in rebus eiusmodi non tantum ex argutatione pendere, quam e ſinceritate in animaduertenda impotentia rationis noſtrae, atque ex probitate, cogitata in loquendo haud corrumpendi, vtcumque pio conſilio fiat. — Quod quidem locum aperit breui inueſtigationi de larga quadam materia, nempe de probitate, quae primis in requiſitis eſt in rebus credendis, in pugna cum propenſione ad falſitatem atque impuritatem, vt vitio capitali naturae humanae.

Ea, quae quis ſibi ipſi aut alii cuidam dicit, vera eſſe; id haud vsque quaque poteſt cauere (quoniam poteſt errare); id autem et poteſt cauere et debet, vt confeſſio ſua *vera* ſit; illius enim ſibi proxime conſcius eſt. Scilicet comparat in priori caſu orationem ſuam cum re obiecta in iudicio logico (per intelligentiam); altero autem caſu, cum adſenſum ſuum profitetur, cum ſubiecto (coram conſcientia). Si profeſſionem reſpectu prioris edit, cum tamen ſibi haud conſcius ſit poſterioris, mentitur, quia aliud ſimulat, quam cuius ſibi conſcius eſt. — Obſeruatio haud noua eſt, eiusmodi impuritatem in animo humano inueniri (ſiquidem eam iam inſtituit Iobus); ſed propemodum credideris attentionem animi ad eum doctoribus morum et religionis nouam eſſe: tam parum invenies, eos, nulla ratione habita difficultatis, quae purgationi ineſt animorum hominum, vel ſi officio *volunt* conuenienter agere, illa obſeruatione ſatis vſos fuiſſe. — Haec veracitas, *religio* poteſt *formalis* adpellari; *materialis* conſiſtit in circumſpectione nihil conandi quidquam cum periculo praui: cum e contrario illa contineatur conſcientia, nos eam circumſpectionem in cauſſa data adhibuiſſe. — Philoſophi morales de conſcientia loquuntur erronea. At con-

Digitized by Google

ſcientia erronea ſpecies eſt inanis, et, ſi qua ſit, numquam poſſes certus eſſe, te recte egiſſe, ſiquidem iudex ipſe vltmus legitimus etiamnunc poſſet errare. Poſſum quidem errare in iudicio, in *quo recte ſentire memet exiſtimem*: illud enim pertinet ad intelligentiam, quae ſola (ſeu recte ſeu praue) obiectiue iudicat; verum in conſcientia: *vtrum reuera putem* recte ſentire (an ſolum ſimulem) nullo modo errare poſſum, quoniam iſtud iudicium vel potius hoc enuntiatum tantummodo indicat: me rem obiectam ſic diiudicare.

In adhibenda diligentia, vt *iſtud* nos credere vel non credere nobis conſcii ſiamus, nullamque fidem ſimulemus, cuius nobis haud conſcii ſimus, illa ipſa formalis conſiſtit religio, quae fundamentum eſt veracitatis. Is igitur, qui ad ſe ipſum (et, quod in rebus religioſis idem eſt, coram deo) dicit: *ſe credere*, ne vllo forſan obtutu in ſe ipſum fixo, vtrum reuera huiusce fidei, vel etiam eiusmodi gradus illius ſibi conſcius ſit *); is non modo mendacium *mentitur* ab-

*) Inſtrumentum extorquendae veritatis in confeſſionibus externis, *iusiurandum* (tortura ſpiritualis) coram iudicio humano non ſolum licitum habetur, verum etiam neceſſarium: quod quidem documento eſt infauſto obſeruantiae hominum exiguae erga veritatem, in ipſo templo iuſtitiae publicae, vbi ſola illius idea iam ſummam per ſeſe deberet obſeruantiam inſtillare. Verum homines mentiuntur quoque perſuaſionem, quam ſaltem non de eo genere, in eoue gradu habent, vti ſimulant, in ipſa confeſſione interna; et, cum huiusce improbitatis (quia ea pedetentim conuertitur in perſuaſionem veram) externae quoque conſequentiae eſſe pernitioſae poſſunt, inſtrumentum iſtud veritatis extorquendae, iusiurandum (ſed ſane duntaxat internum, id eſt, tentamen, an fides ſustinere etiam obruſſam queat confeſſionis *iure iurando interpoſito* audiendae) itidem commode poteſt vſurpari ad temeritatem adſertionum audacium, poſtremo quoque fere extrinſecus violentarum, ſi non arcendam, at certe obſtupefaciendam. — Per iudicium humanum a conſcientia iurantis nihil poſtulatur praeter promiſſionem, ſe, ſi quando iudex mundi (proinde deus et vita futura) *exſpectandus ſit*, illi veritatem velle confeſſionis externae praeſtare; *talem vero mundi iudicem eſſe*, vt confiteatur nullo modo poteſt ab eo poſtulari, quia, ſi priori adſeueratione non poteſt mendacium arceri, altera confeſſione non mi-

ſurdiſſimum (coram eo, qui ſenſus hominum abditos perſpicit) verum etiam omnium maxime friuolum, quoniam cauſſam ea cuiusque honeſti conſilii, probitatem, ſuffodit. Quam breui eiusmodi caecis atque externis *confeſſionibus* (quae facillime cum interna perinde falſa coniunguntur), ſi pro *inſtrumentis quaeſtus* ſint, paullatim certa quaedam falſitas in ſenſum ipſius rei publicae inferri queat, facile intelligitur. — Hac interim publica ſenſus purgatione probabiliter in tempora remotiora dilata, donec fortaſſe aliquando praeſidio libertatis ſentiendi principium euaſerit vniuerſale et educandi et docendi; adhuc paruam impendamus operam ad contemplandam hanc prauitatem, quae in natura humana altis eſſe infixa radicibus videtur.

Ineſt quiddam commouens animumque extollens in characterе probo ab omnique prauitate et ſimulatione politiua alieno exhibendo; cum tamen probitas, mera ſimplicitas rectaque ſenſus ratio (praeſertim ſi illi remittatur ingenuitas) minimum ſit, quod ad characterem bonum queat poſtulari, ideoque nequeat intelligi, quanam re illa admiratio nitatur, quam rei

nus dubitatio adferretur. Ex hac igitur interna iuris iuranor delatione te ipſum percontareris: audesne forte, per omnia, quae cara tibi et ſancta ſunt, de veritate grauis illius aliusue cuiuspiam capitis doctrinae ſacrae habiti fidem tuam obligare? Tali poſtulatione fit, vt conſcientia terrore concitetur, per periculum, cui te expoſueris, ne plus profiteare, quam certo queas adierere, vbi opinio rem attingit, ad quam in via ſcientiae (intellectus theoretici) nullo modo poteſt peruenirі, cuius vero acceptio, eo quod ea ſola ſit, vt contextus ſummorum principiorum rationis practicorum cum principiis theoreticis cognitionis naturalis in quodam ſyſtemate eſſe poſſit (ideoque ratio cum ſe ipſa contentanea) omnium maxime commendabilis eſt, ſed ſemper tamen etiam nunc libera. — Magis autem profeſſiones doctrinae ſacrae, cuius fons hiſtoricus eſt, huic veritati per ignem probandae ſubiicienda ſunt, cum aliis inſtar exemplarium imperantur; propterea quod tum impuritas perſuaſioque ſimulata transfertur ad plures, culpaque eius rei illi cedit moleſtiae, qui aliorum de conſcientia fidem ſuam quaſi obligat (ſiquidem homines cum conſcientia ſua quaſi ferentes ſeſe ac patientes praebent).

eiusmodi tribuimus: nisi forte ab ea ipsa sinceritate natura humana omnium maxime abhorreret. Quae sane quidem tristissima est: propterea quod ex eadem illa caeteris omnibus proprietatibus, quatenus principiis nituntur, pretium verum potest internum accedere. Misanthropus contemplatiuus (qui nemini homini male vult, sed sane pronus fertur ad mala omnia de eo credenda) tantummodo dubitare potest, vtrum homines *odio* dignos, an potius *contemtu* debeat iudicare. Proprietates, propter quas eas odio dignos iudicaret, eae sunt, quibus de industria nocent. Ea vero proprietas, ab quam eos potius contemtu dignos iudicaret, nulla esse alia potest, quam propensio, *per se mala*, quamuis nemini perniciosa; propensio ad id, quod non potest ad vllum finem vt instrumentum adhiberi; quod igitur obiectiue ad nihil quidquam prodest. Prius malum vtique nihil aliud esset, quam *inimicitiae* (siue, vt mollius dicatur, inhumanitatis); alterum nihil esse aliud potest, quam *mendacitatis* (falsitatis, vel sine omni consilio nocendi). *Prioris* inclinationis finis est, cuius vsus tamen certo quodam alio respectu licitus esse et bonus potest, velut inimicitia erga insanabiles pacis perturbatores. Altera vero inclinatio vsum spectat instrumenti cuiusdam (mendacii) ad nihil quidquam boni, ad quemcumque finem fuerit, quoniam per se malum est et reiiciendum. In natura hominis de genere superiori *malitia* inest, quacum tamen vtilitas potest ad fines bonos certis quibusdam relationibus externis coniungi, eaque non peccat nisi in instrumentis, quae tamen etiam haud omni sunt respectu reiicienda. Malum posterioris generis cernitur in *nequitia*, qua fit, vt homini omnis character negetur. — Hoc loco potissimum impuritatem persequor alte abditam in occulto, cum homo adeo confessiones internas coram conscientia sua nouit adulterare. Eo minus inclinatio fraudis externa noua videri debet; nisi fiat propterea, quod quamquam quisque de falsitate nummorum, quibus negotiatur, edoctus est, eorum tamen vsum seruare se posse credit,

In Epiſtolis Generoſiſſimi *de Luc* de montibus et hiſtoria terrae atque hominum hanc memet ſummam ex itinere eius ex parte anthropologico memini legere. Auctor humanus cum bonitate originaria generis noſtri ſuppoſita profectus confirmationem illius quaeſivit ibi, vbi luxuriei oppidanae non tanta vis eſt in animis corrumpendis; in montibus, inde ab *Helueticis* vsque ad *ſaltum Hercynium*; ideque inclinationis continenter ſubleuantis per experientiam in ſuperioribus vacillante, tandem tamen hoc confectarium inde elicit: *hominem, quoad beneuolentiam, ſatis bonum eſſe* (quod non mirum eſt, quippe quae poſita eſt in inclinatione ingenita, cuius auctor deus eſt); *ſi modo in eo haud praua ad fraudulentiam callidam propenſio ineſſet* (quod itidem haud mirum eſt; ſiquidem vt haec arceatur, pendet ex charactere, quem homo ipſe debet in ſeſe formare). — Quae quidem inueſtigationis ſumma elici a quouis potuiſſet, etiamſi numquam montes peragraſſet, ex ipſis ciuibus ſuis, quin propius e ſinu ſuo proprio.

XI.

QUID SIGNIFICAT FRANCOGALLORUM ILLUD: S'ORIENTER DANS LE PENSER. *)

Vt maxime ſublimes noſtros conceptus inſtituamus, vtque maxime in iis nobis a ſenſuum contagione temperemus, tamen iis etiam nunc repraeſentationes adhaerent imaginum, quarum munus eſt proprium, vt eos, alioquin haud ab experientia profectos, aptos reddant ad *vſum empiricum*. Quomodo enim conceptibus noſtris ſenſum vellemus poteſtatemque comparare, niſi illis vlla quaepiam viſio (quae poſtremo ſemper exemplum ſit, oportebit, ex vlla quapiam, quae eſſe queat, experientia) ſubiiceretur? Quodſi poſtea ex actione mentis concreta imaginem admixtam, primo perceptionis fortuitae per ſenſus, tum adeo viſionem ſenſitiuam puram in genere, praetermiſerimus; purus ille conceptus intellectualis relinquitur, cuius ambitus nunc dilatatus regulam continet cogitandi in vniverſum. Tali modo ipſa logica generalis confecta eſt; multaeque viae ac methodi *heuriſticae* cogitandi latent in vſu empirico intelligentiae noſtrae rationisque fortaſſe abscondita, qua, ſi caute eam ex illa didiciſſemus experientia colligere, philoſophia vtique multis normis vtilibus poſſet, in ipſa cogitatione vniuerſa atque abstracta, ditari.

Cuius quidem generis decretum eſt, quod piorum locum et ſedem conſecutus *Moſes Mendelii*, quod equidem ſciam, non niſi in ſcriptis poſtremis (*horis matutinis* pag. 165 66, atque in epiſtola *ad familiares Leſſingii* pag. 33 et 67.) diſerte profeſſus eſt; ſcilicet norma neceſſitatis, vt in vſu rationis contemplatiuo (cui alias reſpectu cognitionis rerum ſenſibus inacceſſarum permultum, adeo vsque ad euidentiam demonſtrationis fidei tribuit) per quoddam, quo duceremur, inſtrumentum, quod modo *ſenſum communem* (in horis matutinis) modo *rationem ſanam*, modo *intelligentiam*

*) In menſtr. Berol. d. a. 1786. menſ. Octobr.

hominis ſimplicem (in epiſtolis ad Leſſingii familiares) vocauit, nosmet *iuſtum rei locum inueniamus* (*orienter*). Ecquis cogitauerit, hanc confeſſionem non ſolum opinioni eius propenſae de vi vſus rationis contemplatiui in rebus theologicis tam pernicioſam exſtituram fore (quod reapſe haud poterat euitari); ſed ipſam communem rationem ſanam, in ambiguitate illa, in qua exercitationem huiusce facultatis cum contemplatione comparatam reliquit, in periculum venturam locum capiendi principii erroris fanatici totiusque rationis regno priuandae? Et tamen hoc factum eſt in concertatione *Mendeliana* et *Iacobiana*, in primis per concluſiones illas haud leues acutiſſimi auctoris *ſummarum*; quamquam neutri conſilium velim tribuere animum tam pernicioſum introducendi, ſed poſterioris conatum potius vt argumentum ad hominem conſiderem, quo ſane vti iure poſſis ad ſolam defenſionem, vt vitio, quo aduerſarius ſe dederit turpiter, in damnum illius vtare. Contra ea vero oſtendam: reuera *ſolum* rationem, non ſenſum veri ſic dictum arcanum, nullam viſionem transſcendentem nomine fidei, cui traditio vel reuelatio, ſine rationis conſenſu, immitti poſſit, ſed, vti Moſes Mendelii conſtanter cum iuſtaque indignatione contendit, ſolum propriam hominis rationem puram eſſe, qua neceſſarium duxit ſuaſitque, vt proprium inueſtigationis locum quaereremus (orienter); quamquam ſane in eo ſuperba facultatis contemplatiuae illius vindicatio, in primis auctoritas eius (per demonſtrationem) imperans, neceſſe eſt, euaneſcat, eique, quatenus contemplatiua eſt, nihil niſi munus conceptus rationalis communis ab repugnantiis purgandi, defenſioque contra *proprios ipſius* impetus ſophiſticos in normas rationis ſanae, relinquatur. — Conceptus dilatatus adcuratiusque definitus *loci contemplationis iuſti inueniendi* nos adiuuare poteſt in norma rationis ſanae, ad cognitionem ſeſe rerum ſenſibus inacceſſarum excolentis dilucide exhibenda.

Locum inuenire (s' orienter) propria verbi ſignificatione denotat ex regione mundi data (quarum in

quatuor orbem finientem deſcribimus) reliquas, nominatim *orientem* inuenire. Quodſi igitur ſolem in caelo conſpexerim, norimque, eſſe nunc tempus meridianum, poſſum meridiem, auſtrum, ſeptemtrionem, et orientem inuenire. Sed eam in rem vtique ſenſum cuiusdam discriminis in mei ipſius *ſubiecto*, ſcilicet manus dextrae et ſiniſtrae. *Senſum* dico idcirco, quia hae duae partes extrinſecus in viſione nullum discrimen inſigne declarant. Sine hac facultate in deſcribendo circulo, ita vt nullius in eo cuiuspiam rerum obiectarum discriminis indigeam, tamen motum ab ſiniſtra ad dextram a motu ad directionem contrariam discernendi, eoque varietatem ſitus rerum obiectarum ex anticipatione definiendi, incertus forem, vtrum occidentem puncto orbis finientis auſtrali ad dextram, an ad ſiniſtram ponere deberem, atque ita per ſeptemtrionem et orientem vsque rurſum ad auſtrum abſoluere. Ergo locum verum *geographice* aperio in vniuerſis datis obiectiuis in caelo tamen non niſi ratione diſtinguendi *ſubiectiua*; et ſi die quodam per miraculum omnia ſidera quidem caeterum eamdem figuram eumdemque ſtatum erga ſe inuicem retinerent, ita tamen vt modo, quae orientalis erat, directio eorum iam occidentalis facta eſſet, proxima nocte ſtellante nullus oculus humanus vel minimam mutationem ſentiret, ipſeque aſtronomus, ſi ſolum ea, quae videt, nec ſimul quae ſentit, animaduerteret, neceſſario *locum amitteret* (ſe desorienter). Sic vero neceſſario facultate diſtinguendi per naturam inſtituta, ſed frequentiori exercitatione conſueta per ſenſum manus dextrae ſiniſtraeque adiuvatur; et, ſi modo oculos in ſtellam polarum coniecerit, non ſolum mutationem factam animaduertet, verum etiam nulla illius ratione habita *locum* poterit *inuenire*.

Hunc autem conceptum geographicum rationis *locum inueniendi* dilatare poſſum eoque intelligere: in dato quodam ſpatio generatim, proinde ſolum

mathematice, locum inuenire. In tenebris locum inuenio in cubiculo mihi noto, ſi vel vnam rem poſſum, cuius locum memoria teneo, adprehendere. Verum hic, manifeſtum eſt, nulla mem. re adiuuari, quam facultate definiendi ſitus ex ratione diſtinguendi *ſubiectiua:* namque res, quarum locum inuenire debeo, nullo modo conſpicio, et, ſi quis per iocum omnes res in eodem quidem ordine collocaſſet, ſed ſiniſtre, quae antea ad dextram erant, in cubiculo, cuius parietes alioquin omnes aequae eſſent ac pares, nullo modo poſſem locum aperire. Sed locum inuenio per ſolum ſenſum discriminis duorum meorum laterum, dextri ſcilicet et ſiniſtri. Idem vſu venit, cum noctu in viis alioquin notis mihi, in quibus nunc nullam domum discerno, incedere debeam, aptequе memet conuertere.

Tandem hunc conceptum amplius poſſum dilatare, vbi tum in facultate conſiſteret, non ſolum in ſpatio, id eſt, mathematice, verum omnino in *cogitatione*, id eſt, *logice* locum inueniendi. Secundum analogiam facile poteſt coniici, iſtud munus fore rationis purae, vſum ſuum dirigendi moderandique, cum ab rebus notis (experientiae obnoxiis) profecta vltra omnes experientiae terminos ſeſe vult dilatare, nullamque omnino rem viſioni ſubiectam, ſed ſolum ſpatium pro ea videt; vbi tum haud amplius poteſt, ex principiis cognitionis obiectiuis, ſed non niſi ex ratione diſtinguendi ſubiectiua, in determinanda ſua ipſius iudicandi facultate, iudicia ſua normae cuidam certae ſubiicere *). Hoc inſtrumentum ſubiectiuum, quod tunc etiam nunc relinquitur, nullum aliud eſt, niſi ſenſus *neceſſitatis* rationi propriae. Contra omnem te poteris errorem munire, ſi ibi haud audeas iudicare, vbi haud tantum ſcias, quantum opus eſt

*) Ergo *locum* in cogitatione vniuerſe *inuenire* denotat, principiis rationis obiectis haud ſufficientibus, in fide ſe atque aſſenſu ſecundum principium illius quoddam ſubiectiuum determinare.

ad iudicium determinans. Ergo ignorantia per ſe quidem cauſſa eſt cancellorum, non vero errorum in cognitione noſtra. Verum, vbi haud ita pendet ex arbitrio, an de re quadam iudicare definite velis nec ne, vbi *neceſſitate* vera et fere adeo tali, quae rationi per ſe ipſi adhaereat, iudicatio redditur neceſſaria; et nihilominus defectu ſcientiae reſpectu partium ad iudicium neceſſarium, cancellis circumſcribimur: ibi norma opus eſt, ad quam iudicemus; ratio enim ſemel cupit, vt ſibi ſatisfiat. Quodſi igitur iam antea conſtet, hic nullam poſſe viſionem rei obiectae, ne quidpiam huius ſimile eſſe, qua conceptibus dilatatis noſtris poſſimus rem illis conſentaneam exhibere, iisque proinde de poſſibilitate illorum reali cauere: nihil nobis amplius reliquum erit, quam vt primo conceptum, quo cum vltra omnem, quae eſſe poſſit, experientiam tendere conamur, bene exploremus, an etiam vacuus ſit ab repugnantiis; ac tum ſaltem *adfectionem* obiectae rei ad res ſub experientiam ſubiectas conceptibus intelligentiae puris ſubiiciamus, quo eum nondum vllo modo ad ſenſum reuocamus, ſed tamen quidpiam ſenſibus inacceſſum, certe aptum ad vſum rationis noſtrae empiricum, cogitamus; namque ſine hac circumſpectione eiusmodi conceptu nullo modo vti poſſemus, ſed deliraremus, cum deberemus cogitare.

Verum eo, nempe ſolo conceptu, nondum quidquam quoad exſiſtentiam huiusce rei obiectae veraeque illius cum mundo coniunctionis (qui complexus eſt rerum omnium experientiae obnoxiarum) effectum videtur. Iam vero accedit *ius neceſſitatis* rationis, vt principii ſubiectiui quidpiam ſupponendi ſumendique, quod ex rationibus obiectiuis ſcire ſe non licitum eſt ſibi tribuere; ideoque in cogitatione, in ſpatio immenſo rerum ſenſibus inacceſſarum, nobisque atra nocte repleto, non niſi per totam ſuam ipſius neceſſitatem mentem ad ſe reuocare *locumque inuenire.*

Res multae poſſunt ſenſibus inacceſſae cogitari (ſiquidem rebus ſenſibus ſubiectis tamen haud vniuerſus omnis poſſibilitatis campus expletur), vbi ratio nihilominus nullam neceſſitatem ſentit, ſed ad eas dilutandi, multo minus exſiſtentiam earum ſumendi. Cauſſae in mundo, quae ſenſibus ſe manifeſtant (vel certe eius generis ſunt, quam quae ſic iis ſeſe manifeſtant, rationem ſatis occupant, quam vt praeterea contagione opus ſit naturarum phyſicarum ſpiritualium; quarum ſumtio potius vſui illius officeret. Etenim, cum de legibus, ex quibus eiusmodi naturae agant, nihil quidquam, de illis vero, nimirum de rebus ſenſibus obuiis atque obnoxiis, multa ſciamus, certe adhuc nosmet experturos fore ſperare queamus: e tali ſuppoſitione vſus rationis potius detrimentum caperet. Ergo nulla omnino neceſſitas eſt, ſed potius mera curioſitas, quae non niſi ad ſomnia redit, eas inueſtigandi, aut ſolis eiusmodi figmentis ludendi. Longe aliter cum conceptu eſt de *ente originario* primo comparatum, vt intelligentia ſuprema, eodemque vt ſummo bono. Namque non ſolum neceſſitatem ſentit ratio noſtra, conceptum haud circumſcripti conceptui cuiusque circumſcripti, proinde aliarum rerum omnium *) fundamento ſubſternendi, verum

*) Cum liceat, vt ratio ad poſſibilitatem omnium rerum realitatem vt datam ſupponat, varietatemque rerum per negationes illis adhaerentes duntaxat vt carceres conſideret, ea ſeſe coactam ſentit ad poſſibilitatem vnam, ſcilicet entis haud circumſcripti vt originarii fundamento ponendam, ſed omnes alias vt deriuatas conſiderandas. Cum poſſibilitas quoque cuiusque rei perpetua nullo modo debeat in vniuerſo cuiusque exſiſtentiae deprehendi, certe principio determinationis perpetuae diſtinctio poſſibilium ab actualibus rationi noſtrae tali duntaxat modo poſſibilis reddatur; videmus principium neceſſitatis ſubiectiuum, id eſt, neceſſitatem ipſius rationis noſtrae, omni poſſibilitati exſiſtentiam entis realiſſimi (ſummi) fundamento ponendi. Sic igitur argumentum oritur *Carteſianum* pro exſiſtentia dei, dum principia ſubiectiua vſui rationis (qui vere non niſi vſus empiricus manet), pro obiectiuis proinde — *neceſſitas* pro *perfectione* — accipiuntur. Sic cum hoc, alioque quouis meritiſſimi *Moſis Mendelſ.* argumento in horis eius matutinis comparatum eſt. Nihil ea quidquam faciunt in ſubſidium demon-

etiam haec neceſſitas ſuppoſitionem ſpectat *exiſtentiae* illius, ſine qua nulla omnino cauſſa poteſt idonea rationis fortuitae exſiſtentiae rerum in mundo, minime vero omnium formae finalis atque ordinis, quae tanto tamque miro concentu (in paruis, quoniam propinqua ſunt, magis, quam in magnis) vbique conſpicitur, adferri. Auctore intelligente haud ſumto, niſi in meras abſurditates incideris, certe nulla *ratio* illius *perſpicua* poterit doceri; et, quamquam impoſſibilitatem eiusmodi formae finalis non queamus ſine *cauſſa intelligente prima probare* (tum enim nobis rationes obiectiuae huiusce adſertionis forent idoneae, neque opus eſſet, vt ad ſubiectiuam prouocaremus); praeter hunc perſpicientiae defectum tamen ratio ſubiectiua relinquitur ſufficiens *illarum ſumendarum* in eo, quod ratio *indiget*, vt quidpiam, quod ei perſpicuum ſit, ſupponatur, ex quo hoc datum phaenomenon explicetur, cum omnia, quibuscum alias conceptum quemdam coniungere poteſt, huic neceſſitati haud medeantur.

ſtrationis. Nec vero idcirco inutilia ſunt. Namque vt omittam, quam bellam occaſionem enodationes iſtae perquam ſubtiles conditionum ſubiectiuarum vtendae rationis noſtrae ad cognitionem plenam huiusce facultatis noſtrae praebeant, quam quidem in rem exempla ſunt perpetua: fides ex rationibus vſus rationis ſubiectiuis, ſi obiectiuae deſunt, et nos tamen cogimur iudicare, etiamnunc magni momenti eſt; modo oportebit, vt ne, quae non niſi extorta *ſuppoſitio* ſit, pro *perſpicientia vera* vendamus, ne aduerſario, quo cum ad *dogmatiſmum* deſcendimus, temere infirmitates offeramus, quibus vti detrimento noſtro queat. Moſes Mendelii fortaſſe haud exiſtimauit, *dogmatiſmum* ex ratione pura in campo rerum ſenſibus inacceſſarum vlam rectam eſſe ad fanatiſmum philoſophicum, et ſolam criticam eiusdem rationis huic malo probe poſſe mederi. Diſciplina quidem methodi ſcholaſticae (velut Wolfianae, quam idcirco quoque commendauit), cum omnes conceptus definitionibus determinandi ſint, omnesque gradus principiis probandi, iſtam laſciuiam reuera poteſt aliquamdiu cohibere, ſed nullo modo totam arcere. Quo enim iure rationem, cui ſemel in campo illo, vti ipſa fatetur, tam proſpere euenit, impedies, quo minus in eodem vlterius progrediatur? Et vbinam termini ſunt, quibus cogatur ſubſiſtere?

Digitized by Google

Verum neceſſitas naturae dupliciter conſiderari poteſt; *primo* in vſu *theoretico*, deinde in vſu *practico*. Prioris neceſſitatis modo mentionem feci; ſed probe intelligitur, eam tantummodo hypotheticam eſſe, id eſt, cogimur ad exſiſtentiam dei ſumendam, cum de cauſſa prima omnium rerum fortuitarum in ordine finium reapſe in mundum inditorum *iudicare volumus*. Longe autem grauior rationis neceſſitas eſt in vſu practico, quoniam abſoluta eſt, et ad exſiſtentiam ſupponendam non ſolum tum cogimur, cum *volumus* iudicare, verum quia nos *iudicare oportet*. Nam vſus rationis purus practicus conſiſtit in praeſcriptione legum moralium. Iis autem omnibus ducimur ad ideam *ſummi boni*, quod fieri in mundo poteſt, quatenus ſolum fieri poteſt per *libertatem* ad *moralitatem*; ab altera deinde parte etiam ad id, quod non ſolum ex libertate humana pendet, verum etiam ex *natura*, nempe ex ſumma *felicitate*, quatenus ea ſuperiori conuenienter dispertita eſt. Atqui ratio *indiget* eiusmodi ſummi boni *pendentis*, in eiusque ſubſidium intelligentiae ſupremae, vt ſummi boni *haud pendentis* ſumendi non quidem, vt inde auctoritas obligans legum moralium, aut elater earum obſeruandarum deriuetur (earum enim nullum foret pretium morale, ſi momentum ab alia quadam re, quam ab lege ſola, quae per ſe apodictice certa eſt, deriuaretur); ſed modo, vt conceptui de ſummo bono realitas obiectiua impertiatur, id eſt, vt impediatur, quo minus vna cum vniuerſa moralitate pro ſolo ideali habeatur, ſi id nuſpiam exſtaret, cuius idea moralitatem arctiſſime comitatur.

Igitur haud *cognitione*, ſed *neceſſitate* rationis ſenſu percepta, *) *Moſes Mendelii* inſcius in cogitatione

*) Ratio haud ſentit; ſed perſpicit defectum, atque per *adpetitum cognitionis* ſenſum efficit neceſſitatis. Eadem eſt ratio, quae ſenſus moralis, quo nulla lex moralis efficitur; quippe quae tota oritur ex ratione; ſed per leges morales, proinde per rationem, conflatur ſiue efficitur, propterea quod voluntas commota et tamen libera rationum indiget certarum ac determinatarum.

contemplatiua mentem ad ſeſe reuocauit. Et, cum hoc inſtrumentum ducendi non in principio rationis obiectiuo, decreto cognitionum verſetur, ſed ſolum ſubiectiuo (id eſt, norma), vſus per carceres ipſius illi conceſſi, conſectario neceſſitatis, quo *per ſe ſolo* vniverſa ratio determinandi iudicii noſtri de exſiſtentia entis ſummi continetur, cuius vſus non niſi fortuitus eſt, cum in tentaminibus contemplatiuis de eadem re mentem ad nos reuocamus: in eo quidem ſane peccavit, quod iſti contemplationi tamen tantam facultatem tribueret, vt per ſe ſola poſſet in via demonſtrationis omnia efficere. Neceſſitas ſuperioris inſtrumenti tantummodo locum habere poterat, exiguitate poſterioris prorſus conceſſa: ad quam quidem confeſſionem acumine ſuo tamen tandem foret adductus, ſi diuturniori vitae curſu dexteritas animi iuuenili aetati propria, veterem et conſuetum animi ſenſum poſt mutatum artium ſtatum facile mutandi, illi conceſſa fuiſſet. Interim tamen ei laus debetur in eo perſeueraſſe, vt vltimam obruſſam iudicii conceſſi hic, vti vbivis, non niſi in *ratione ſola* quaereret, ſiue illa perſpicientia duceretur ſiue ſola neceſſitate normaque vtilitatis ſuae ipſius in ſententiis eligendis. Rationem in hoc poſteriori vſu vocauit rationem humanam communem; cui quippe inuitamentum proprium ſemper ob oculos verſatur primum, cum orbita naturalis iam, oportebit, exceſſeris, vt illius obliuiſcare, atque otioſus in conceptibus reſpectu obiectiuo inueſtiges, quo ſolum ſcientiam, ſiue res exigat, ſiue non, dilates.

Cum vero verbum *decreti rationis* in quaeſtione praeſente etiam nunc ambiguitate laboret, et aut, vti ipſe Moſes Mendelii perperam interpretatus eſt, pro iudicio ex perſpicientia rationis, aut, quomodo auctor ſummarum intelligere videtur, pro iudicio *inſpiratione rationis*, accipi poſſit; neceſſe erit, vt hunc diiudicationis fontem alio nomine deſignemus, nullumque illi conuenientius eſt, quam *fidei rationalis*. Quaeque fi-

Digitized by Google

des, ipſa hiſtorica, *rationalis* eſſe debet (vltima enim veri obruſſa ſemper ratio eſt); ſed fides rationalis eſt ea, quae nullis datis aliis nititur, quam quae ratione *pura* continentur. Iam omnis *fides* cernitur in adſenſu ſubiectiue idoneo, obiectiue autem *cum conſcientia* in ſufficiente; ergo ea contraria eſt *ſcientiae*. Contra ea vero, cum ex rationibus obiectiuis, quamquam cum conſcientia inſufficientibus quidpiam verum iudicamus, proinde ſolum *opinamur;* tum iſta opinio tamen inſtauratione pedetentim facta in eodem rationum genere tandem fieri *ſcientia* poteſt. At vero ſi rationes adſenſus in genere ſuo neutiquam obiectiue bonae ſint atque idoneae, fides nullo vmquam rationis vſu fieri ſcientia poteſt. Fides hiſtorica, velut de obitu cuiusdam ſummi viri, quam aliquot epiſtolae narrant, *poteſt ſcientia fieri*, cum magiſtratus iſtius loci, exſequias eius, teſtamentum et alia eiusdem generis perſcribit. Vt igitur aliquid hiſtorice ſolum propter teſtimonia verum reputetur, id eſt, credatur, velut vrbem Romam eſſe in orbe terrarum; et is tamen, qui ibi numquam fuerit, dicere queat: *ſcio*, nec ſolum *credo*, vrbem Romam exſtare; id facile ſimul poteſt conſiſtere. Contra *fides rationalis* pura numquam per vniuerſa rationis experientiaeque data naturalia poteſt in *ſcientiam* conuerti, quoniam ratio adſenſus hic ſolum ſubiectiua eſt, nimirum res rationis neceſſaria (et, quamdiu nos homines ſumus, ſemper manebit) exſiſtentiam entis ſummi tantummodo *ſupponendi*, non vero demonſtrandi. Haec rationis neceſſitas ad vſum illius *theoreticum* illi ſatisfacientem nihil foret aliud, quam pura *hypotheſis rationalis*, id eſt, opinio, ex rationibus ſubiectiuis ad adſenſum idonea ac ſufficiens; idcirco quia *effectorum enodandorum* numquam alia ratio, quam haec, poteſt exſpectari, et tamen ratio principii indiget enodationis. Sed *fides rationalis*, quae neceſſitate nititur vtendi ratione reſpectu *practico*, vocari poſſet *poſtulatum* rationis; non quaſi perſpicientia foret, quae iis omnibus, quae logica ad certitudinem poſtulat, ſatisfaceret, ſed quoniam

hic adſenſus (ſi modo omnia in homine moraliter bona ſint) quoad gradum nulli ſcientiae cedit, *) quamvis in genere ſuo ab ea prorſus diuerſa videatur.

Ergo fides rationalis pura dux viae eſt vel pyxis nautica, quo meditabundus contemplatiuus in excurſionibus rationis in campo rerum ſenſibus inacceſſarum mentem poteſt ad ſe reuocare, homo autem ratione communi ſed tamen (moraliter) ſana praeditus, viam poteſt, cum theoretico reſpectu tum practico, vniuerſo fini deſtinationis ſuae prorſus conuenienter deſignare; eaque fides rationalis cuique alii fidei, quin cuique reuelationi, fundamento eſt ſubſternendus.

Conceptus de deo, ipſaque perſuaſio de *exiſtentia* eius non poteſt, niſi in ſola ratione deprehendi, ab eaque ſola proficiſci, et neque facto quodam indicio, vel maximae auctoritatis, primo nobis inferi. Quodſi mihi obtigerit viſio proxima eiusmodi, qualem mihi non poteſt, quantum eam norim, natura ſuppeditare: tamen conceptus de deo norma ſit, oportebit, vnde iudicem, an iſtud phaenomenon quoque cum iis omnibus conueniat, quae ad rationem dei definitam et characteriſticam poſtulantur. Quamquam igitur nullo modo intelligo, qui fieri queat, vt vllo quodam phaenomeno id vel modo ſecundum qualitatem exhibeatur, quod ſemper ſolum cogitari poteſt, numquam vero videri; tamen ſaltem illud planum eſt, me, vt modo iudicem, an id, quod a me videtur, quod in ſenſum meum intus agit et extrinſecus, deus ſit, cum conceptu rationali meo comparare debeam ex eoque

*) Ad *firmitatem* fidei pertinet conſcientia *immutabilitatis* illius. Atqui poſſum plane certus eſſe, neminem mihi ſententiam, [illegible] poſſe reuellere; vnde enim hunc intellectum habebit? Ergo cum fide rationali non ſic comparatum eſt, vti cum hiſtorica, in qua fieri etiam nunc poteſt, vt argumenta reperiantur in contrarium, et vbi nobis etiamnunc reſeruare debeamus vt liceat, ſententiam mutari, ſi noſtra rerum cognitio dilataretur.

examinare, non quidem an huic reſpondeat et conſentaneum ſit, ſed ſolum num ei haud repugnet. Pariter etiamſi in omnibus, quibus ſeſe mihi proxime oſtenderet, nihil deprehenderetur, quod cum conceptu illo pugnaret; tamen phaenomeno iſto, viſione, reuelatione proxima, vel vti alias eiusmodi exhibitionem dixeris, numquam *exſiſtentia* naturae probaretur, cuius conceptus (niſi incerto determinari debeat, ideoque admixtioni omnis, qui eſſe poſſit, erroris obnoxius eſſe) *infinitatem* quoad quantitatem ad eum a quavis alia re creata diſtinguendum poſtulat, cui vero conceptui nulla omnino experientia poteſt vel viſio apte reſpondere, proinde quoque numquam exſiſtentiam naturae eiusmodi haud ambigue probare. Ergo de exſiſtentia entis ſummi nemini homini poteſt vlla quapiam viſione *primo* perſuaderi; fides rationalis antecedat, neceſſe eſt, et tum, ſi opus forent, certa quaedam phaenomena vel patefactiones anſam praebere poſſent inueſtigandi an id, quod ad nos verba facit, aut nobis ſe exhibet, iure poſſimus pro deo reputare, et pro re nata fidem illam confirmare.

Cum igitur rationi in cauſſis, quae res attingunt ſenſibus inacceſſas, velut exſiſtentiam dei, mundumque futurum, ius illi competens *primum* dicendi impugnatur; tum omni errori fanatico, ſuperſtitionique, atque ipſi atheorum proteruitati feneſtrae ſunt apertae. Et tamen in controuerſia illa Iacobiana et Mendeliana omnia hanc ruinam, vtrum ſolum *perſpicientiae rationalis* ſcientiaeque (per vim opinatam in contemplando), an quoque adeo *fidei rationalis*, neſcio, contraque inſtitutionem alius cuiusdam fidei ſpectant, quam ſibi quisque fingere ex lubidine poſſit. Propemodum concluderes ad poſterius, ſi conceptum videas *Spinoziſticum* de deo, vt vno cum vniuerſis rationis principiis conueniente,*) et tamen repudiando con-

*) Vix comprehendi poteſt, qui factum ſit, vt illi docti homines in *critica rationis purae* ac ſimplicis alimenta poſſent Spinoziſmi deprehendere. Critica dogmatiſmo prorſus pe-

ceptu videas propositum. Quamuis enim bene queat cum fide rationali conciliari, si concedas, ipsam rationem contemplatiuam ne *possibilitatem* quidem naturae, qualem deum cogitare debemus, perspicere posse; tam cum nulla prorsus fide potest, omninoque cum nullo adsensu exsistentiae simul consistere, vt ratio adeo *impossibilitatem* rei obiectae perspicere posset, et tamen, aliis ex fontibus, exsistentiam illius cognoscere.

Viri viribus pollentes animi mentibusque dilatatis! veneror dotes vestras et amo sensum in vobis humanum. At perbene, quae agitis, ponderastis, et

nas incidit respectu cognitionis rerum sensibus inaccessarum, et Spinozismus in eo adeo dogmaticus est, vt vel cum mathematicis certet de probationis rigore. Critica euincit: tabula conceptuum purorum intellectualium materiam contineri vniuersae cogitationis purae; Spinozismus de cogitationibus loquitur, quae tamen ipsae cogitent, ideoque de accidente, quod tamen simul per sese exstet vt subiectum: qui quidem conceptus haud quaquam intelligentiae humanae inesse, nec potest in illam inferri. Critica monstrat: minime satis esse ad obtinendam possibilitatem naturae a nobis ipsis cogitatae, vt in conceptu illius nihil quidquam insit repugnantis (quamquam tum, si res exigat, sane liberum erit, hanc possibilitatem sumi); sed Spinozismus simulat impossibilitatem naturae sese perspicere, cuius idea ex meris constat conceptibus puris intelligentiae, a quibus modo omnes sensus conditiones separatae sunt, in quibus proinde numquam potest repugnantia deprehendi, neque tamen hanc arrogantiam omnes terminos superantem vlla re potest fulcire. Ob eam ipsam caussam Spinozismo directe ducimur ad fanatismum. Contra nullum certum instrumentum exstat vniuersi fanatismi funditus euertendi, quam illa finium designatio facultatis purae rationatiuae. — Sic alius vir doctus in critica rationis purae quamdam offendit σκέψιν; etsi critica id ipsum agat, vt certum quiddam determinatumque respectu ambitus cognitionis nostrae ex anticipatione constituatur. Itemque *dialecticam* quamdam in inuestigationibus criticis; quae tamen hoc spectant, vt critica inuitabilis, qua vbique ducta dogmatice ratio pura se ipsam impedit atque includit soluatur aeternumque deleatur. Nec Platonici, qui sese dixere Eleaticos, quoniam suas ipsorum ineptias vbique in scriptoribus antiquioribus sibi videbantur offendere, posteaquam eas antea in eos intulissent, pariter egerunt; igitur hoc respectu nihil sub sole noui euenit.

Digitized by Google

quo impetus veſtri in rationem ſpectent? Sine dubio vultis, vt *libertas ſentiendi* ſarta tectaque conſeruetur; nam ſine hac liberi ſaltus veſtri ingenii breui perirent. Videmus, quid ex hac ſentiendi libertate neceſſario euenturum oporteat, ſi talis ratio, quam vos iniiſtis, inualuerit.

Libertati ſentiendi *primo* contraria eſt *coactio ciuilis*. Solent quidem dicere: libertatem *loquendi ſcribendiue*, per poteſtatem ſuperiorem demi nobis poſſe, ſed nullo modo libertatem *ſentiendi*. Verum quantum quamque adcurate *ſentiremus*, ſi non quaſi in communionem cogitationis cum aliis veniremus, quibuscum noſtra et qui ſua nobiscum cogitata *communicaremus?* Ergo quoque dici poteſt, eam poteſtatem externam, quae libertatem ſenſa animi cum aliis *communicandi* hominibus eripit, iis quoque libertatem demere *cogitandi:* quae vna res pulcerrima praeter vniuerſa onera ciuilia nobis adhuc relinquitur, et qua ſola contra omnia huius ſtatus mala poteſt remedium inueniri.

Deinde libertas cogitandi ea ſignificatione accipitur, vt ei ſit oppoſita *coactio conſcientiae;* vbi omnis poteſtas externa in cauſſis religionis ciues ſeſe profitentur aliorum tutores, et, loco argumenti, formulis doctrinae ſacrae, metu anxio prae *periculo inueſtigationis propriae* ſtipatis, omnem rationis explorationem matura in animos impreſſione ſciunt proſcribere.

Tertio quoque ſignificat cogitandi libertas ſubiectionem rationis ſub nullas leges alias, quam *quas ſibi ipſa fert;* contrariaque illi eſt norma *vſus* rationis *ex legis* (vt eo, quemadmodum ingenium opinatur, longius videas, quam ſub circumſcriptione per leges). Inde neceſſario conſequitur, rationem, ſi nolit legi obnoxia eſſe, ſibi per ſe ipſam latae, iugo ſeſe ſubmittere legum oportere, ſibi ab alio quodam latarum, namque ſine vlla lege quadam nihil omnino poteſt ne ipſa quidem maxima inſania, diu rem ſuam habere.

Ergo ex *declarata* in cogitando a legibus vacuitate (liberatione a circumſcriptionibus per rationem) neceſſario conſequitur, vt libertas cogitandi tandem eo amittatur, et, quia haud fere caſus aduerſus, ſed vera inſolentia in culpa eſt, ſenſu verbi maxime proprio *perditur*.

Iter rerum fere hoc eſt. Primo *ingenium* in ſaltu ſuo audaci egregie ſibi placet, filo, quo illud alias ratio moderabatur, abiecto. Breui illud etiam alios dictis imperioſis exſpectationibusque magnis capit, ſe ipſumque nunc in ſolio videtur conſtituiſſe, ratio tarda grauisque tam male ornaret; in quo nihilominus ſemper oratione illius vtitur. Normam vanitatis rationis ſupremo leges ferentis tunc adoptatam nos homines vulgares *errorem fanaticum* adpellamus; illae vero naturae deliciae vocant *illuſtrationem*. Quoniam interim mox confuſio linguae in his ipſis, neceſſe ſit, oriatur, propterea quod, cum ratio ſolum queat cuique homini firmiter imperare, nunc ſuum cuique monitum inſtinctumque ſequitur; tandem ex inſtructibus internis, oportebit, per teſtimonia res externae in facto poſitae probatae, ex traditionibus, quae initio ipſa erant delectae, tempore documenta *obtruſa*, vno verbo, vniuerſa rationis ſub res in facto poſitas ſubiectio, hoc eſt, *ſuperſtitio* oriatur, quoniam haec ſaltem ad *formam legitimam* poteſt, eoque ad quietem reuocari.

Quoniam nihilominus ratio humana etiam nunc ad libertatem adſpirat, fractis ſemel vinculis vſus illius primus, libertatis diu deſuefactae, oportebit, in abuſum degeneret fiduciamque temerariam in libertate facultatis eius ab omni circumſcriptione, atque in perſuaſionem de imperio ſolo ac ſupremo rationis contemplatiuae, nihil ſumentis, quod per rationes *obiectiuas* poſſit perſuaſionemque dogmaticam probari, caetera fere omnia fidenter neget. Norma autem vacuitatis rationis a *propria* illius *neceſſitate* (renuntiatione fidei rationalis) vocatur *incredulitas*: non hiſto-

rica illa quidem; quippe quae nullo modo vt voluntaria, nec proinde imputationis capax cogitari potest (quia quisque rei in facto positae, satis modo probatae, perinde ac demonstrationi mathematicae, velit nolit, fidem habere cogitur; sed *incredulitas rationalis*, status animi humani anceps ille quidem, qui leges morales primo omni vi elaterum priuat in animo, tempore adeo iis ipsis omnem auctoritatem eripit, viamque aperit ingenio animi, quod *impietatis* nomine notatur, id est, principio nullum omnino officium amplius cognoscendi. Hic se magistratus immiscet, ne ipsae res ciuiles ad summam confusionem adducantur: et cum instrumentum celerrimum et tamen efficacissimum ei ipsum optimum sit, libertatem cogitandi totam tollit, istud, instar aliorum negotiorum, constitutionibus prouinciae subiicit. Atque ita libertas cogitandi, si prorsus libere ab legibus rationis agere velit, tandem se ipsam euertit.

Amici generis humani eorumque, quae illi sanctissima sunt! Sequimini ea, quae vobis diligenter ac sincere examinata, maxime probabilia videntur, siue res in facto positae sint, siue argumenta rationis; modo ne rationi illud litigando dematis, quod ea summum in terris bonum constituit, nempe ius illud praecipuum, quod obtinet in eo, vt vltima veri obrussa *) sit. Alioquin vos, hac libertate indigni, eam

*) *Ipse cogitare* dicitur is, qui supremam veri obrussam in sese ipso (id est, in sua ipsius ratione) quaerit; normaque, quae praecipit, vt semper ipse cogites, est *collustratio mentis*. Ad quam quidem haud fere tam multa requiruntur, vt ii putant, qui collustrationem mentis ponunt in *notitiis*; cum ea potius in principio versetur negatiuo vtendae facultatis cognoscendi, saepiusque is, qui notitiis maxime abundat in ratione vtenda minime mente polleat collustrata. *Sua ipsius* ratione vti, nihil denotat nisi in iis omnibus, quae accipienda sint, semet ipsum percontari: an vtile ducas, causam, cur aliquid accipias, regulamue, quae ex iis, quae accipis, sequitur, principium statuas vniuersale vtendae rationis? Quod quidem periculum facere in se ipso potest; superstitionemque et errorem fanaticum in eo examine continuo videbit eua-

certo amittetis, eamque calamitatem praeterea reliquae innocenti parti creabitis, quae alias bene animo adfecta fuiſſet ad libertate *legitime*, eoque ſaluti hominum conuenienter vtendum!

neſcere, quamuis minime cognitionibus polleat, quae opus ſunt, ad vtrumque refutandum. Vtitur enim ſolum norma rationis *ſe ipſam conſeruandi.* Igitur mentis colluſtrationem in *ſubiectis ſingularibus* educando conſtituere perquam facile eſt; ſi modo mature in copias iuuenum ingenia ad hanc rationem adſuefacere. Sed *aetatem* colluſtrare, opus eſt valde diuturnum; occurrunt enim multa impedimenta, quibus illa educandi ratio partim prohibeatur, partim vero difficultatibus obſtruatur.

Digitized by Google

XII.

OBSERVATIONES DE SENSU PULCRITUDINIS ET SUBLIMITATIS.

SECTIO PRIMA.

DE REBUS VARIIS SUB SENSUM SUBLIMITATIS ET PULCRITUDINIS SUBIECTIS.

Variae voluptatis taediiue ſenſationes non tam in qualitate poſitae ſunt rerum externarum, quibus excitantur, quam in cuiusque hominis ſenſu proprio, quo voluptate vel taedio adficitur. Inde oblectationes exſiſtunt quorumdam hominum, quas alii faſtidiunt, amatorius motus animi, qui cuique ſaepius perplexus atque obſcurus videtur, vel etiam graue taedium, quod alter ex eo percipit, quo alter nullo modo tangitur. Campus obſeruationum de his rebus miris humanae naturae patet latiſſime, atque etiamnum largam abscondit copiam inuentorum, ſuauium pariter atque vtilium. Iam quidem obtutum modo in loca nonnulla coniicio, quae in hoc ambitu praeſertim videntur eminere, eaque magis obſeruator quam philoſophus intueor.

Quoniam homo non, niſi quatenus cupiditatem expiet, felicem ſe ſentit: ſenſus, quo aptus redditur ad voluptates magnas percipiendas, neque tamen ad id opus habeat dotibus praeclaris, profecto haud parua res eſt. Homines ampli corporis, quibus auctor ingenioſus coquus eſt, quorumque opera elegante guſtu in cella ſeruantur, verbis obſcoenis triuialibus iocoque ruſtico ad tantam laetitiam excitabuntur, quam qua homines generoſi ſenſus tantopere ſuperbiunt. Vir lentus et iners, qui librorum praelectione delectatur, propterea quod ſuauiter iis poſſit indormire; mercator, cui voluptates omnes videntur pueriles, ſi ab ea diſceſſeris, quam vir ſolers percipit, cum rationem

ſubducit commodorum ex mercatura confectorum; is qui ſexum alterum, non amat niſi quatenus ad res eum refert fruendas; ſtudioſus venationis, ſiue muscas venetur, vt Domitianus, ſiue feras beſtias, velut A———; iſti omnes ſenſu gaudent, quo fiunt idonei ad voluptatem in genere ſuo percipiendam, ita vt non ſit, cur aliis inuideant, aut nequeant de aliis cogitationem ſibi animo informare; verum hos in praeſens nil curo. Eſt alius quidam ſenſus generis praeſtantioris, qui propterea ſic adpellatur, quod vel diutius poteſt percipi ita, vt nec exſatiere, nec exhauriare, vel quia quaſi quamdam ſupponit irritabilitatem animi, qua hic ſimul ad motus probos componitur, vel quoniam dotes ingenii mentisque laudes prodit; cum e contrario illis eſſe locus queat in ſummo ſtupore. Huius ſenſus partem quamdam inueſtigabo. Ab eo tamen inclinationem excipio, cognitionibus infixam ſublimibus intelligentiae, gratiamque, qua *Keplerus* commoueretur, cum, teſte *Bailio*, cum vllum inuentorum ne principatu vendiderit. Hic ſenſus nimium ſubtilis eſt, quam qui ad praeſentem tractationem pertineret, quae dumtaxat ſenſum animalem attinget, cuius etiam mentes viliores capaces videntur.

Quem nunc contemplabimur, ſenſus ſubtilior praeſertim duplicis generis eſt, ſenſus *ſublimitatis* et *pulcritudinis*. Ex vtroque motus ſuauis eſt; ſed modo valde diuerſo. Adſpectus montis, cuius cacumina niuoſa excellunt nubibus, deſcriptio procellae furioſae, vel imago regni infernalis a *Miltono* delectationem adferunt ſed cum horrore: contra proſpectus in prata florida, vallesque cum riuis ſerpentibus, armentis plenae paſcentibus, deſcriptio Elyſii, vel deſcriptio *Homerica* cinguli Veneris ſenſum quoque dulcem excitant, ſed laetam ac ridentem. Vt illa impreſſio in nobis fieri ſatis vehementer queat, opus eſt *ſenſu ſublimitatis*, atque vt haec rite percipiatur, *ſenſu pulcritudinis*. Altae quercus in luco, vmbraeque ſolitariae ſunt *ſubtiles*, areae floribus conſitae, dumeta humilia,

arboresque ad figuras praecisae sunt pulcrae. Nox est *sublimis*, dies est *pulcer*. Ingenia sensu praedita sublimitatis, quieto noctis aestiuae silentio, lumine stellarum tremulo per fuscas noctis vmbras erumpente, lunaque in orbe finiente conspicua, paullatim sensu altiori perfunduntur et amicitiae, et despicientiae rerum mundanarum, et aeternitatis. Dies splendens, studium instillat negotiosum sensumque laetitiae. Sublimi *mouemur* atque adficimur, pulcro delectamur et *illicimur*. Vultus hominis in pleno sublimitatis sensu constituti, serius est, nonnumquam rigens ac stupens. Contra viuidus pulcri sensus per laetitiam splendentem in oculis, lineamentaque risus mediocris et saepenumero per hilaritatem sonorum, sese prodit. Sublime itidem varii generis est. Illius sensus nonnumquam cum quodam horrore vel etiam tristitia, subinde solum cum admiratione tranquilla, interdum etiam cum pulcritudine super forma sublimi quadam dilatatae coniunctus est. Superius sublimitatis genus *sublime terribile*, alterum *generosum* atque ingenuum, ac tertium denique *magnificum* adpellabo. Alta solitudo est sublimis, sed modo terribili. *) Vnde solitudines

*) Vnum modo exemplum adferam horroris generosi, quem descriptio potest solitudinis vniuersae instillare, atque idcirco quaedam loca e somnio *Carazani* in armario Bremensi, Vol. V. p. 539. excerpam. Hic diues parcus pro eo, ac divitiae crescerent, animum commiserationi amorique erga alium quemque occluserat. Interim pro eo, atque humanitas in eo frigesceret, sedulitas creuit precum actionumque religiosarum. Haec confessus sic pergit loqui: quodam vespere ad lampadem me subducentem calculos lucrumque ex negotiatione ponderantem, somnus oppressit. In hoc statu genium mortis vidi ad me venientem, velut turbinem; seriit me, priusquam poteram istam terribilem deprecari. Obrigui, cum intellexissem, sortem meam aeternitati cecidisse, ad omniaque bona illa, quae patraueram, nihil posse quidpiam addi, malorumque omnium, quae peregeram, nihil quidquam tolli. Ad solium illius, qui caelum habitat tertium, adductus sum. Splendor coram me fulgens in hunc modum me adlocutus est: Tua, Carazane, religio reprobata est. Animum humanitati occlusisti, diuitiasque tuas manu ferrea tenuisti. Tibi ipsi vixisti, et idcirco in posterum quoque aeternum solus atque ab omni cum vniuersa creatione communione remotus vitam degito. In hoc temporis arti-

magnae longeque porrectae, velut ingens deſertum Chamo in Tattaria, ſemper occaſionem dederunt vmbris terribilibus, in quibus daemones ſubterranei ſpectrorumque laruae ponerentur.

Sublime ſemper ſit magnum, oportebit, pulcrum quoque paruum eſſe poteſt: ſublime debet ſimplex eſſe, ſed pulcrum poteſt comtum eſſe atque ornatum. Altitudo magna perinde poteſt ſublimis eſſe, ac vaſta profunditas: verum hanc ſenſus comitatur horroris, illam admirationis; idcirco hic ſenſus terribiliter ſublimis eſſe, ille generoſus poteſt. Adſpectus pyramidis Aegyptiae, teſte *Haſſelquiſtio*, multo magis mouet, quam ex vniuerſa poterit deſcriptione cogitatione depingi: ſed ſtructura illius ſimplex eſt et generoſa. Templum Petrinum Romae magnificum eſt. Quia in hac forma, quae magna eſt et ſimplex, pulcritudo, velut aurum, opus muſiuum, id genus alia, ſparſa eſt ita, vt ſenſus ſublimitatis omnium maxime iis percellat; res vocatur magnifica. Armamentarium generoſum ſit et ſimplex, ſedes regia magnifica, et palatium voluptuarium bellum et ornatum.

culo vi quadam abreptus haud adſpectabili per ſplendens creationis aedificium agebar. Breui mundos innumeros poſt tergum reliqui. Ad extremam naturae partem accedens, intellexi, vmbras vacui infiniti coram me in profundum deſidere. Regnum erat formidabile ſilentii aeterni, ſolitudinisque ac tenebrarum. Horror me inenarrabilis iſtud ſpectantem corripuit. Paullatim ſtellae poſtremo oculis ſunt elapſae, tandemque vltimus fulgor micans luminis in tenebris externis exſpirauit. Angor mortis ex deſperatione quouis momento temporis accreuit. pro eo atque quouis momento diſtantia meo a mundo vltimo habitato aucta eſt. Angore animi intolerabili cogitaui, ſi decies millena millia annorum vltra terminos rerum creatarum omnium memet longius tulerint, memet tamen ſemper in voraginem tenebrarum protenus ſpectaturum fore, auxilio deſtitutum vel ſpe redeundi. Atque ita obtuſus manus tanta vehementia ad res exiſtentiae ſubiectas extendi, vt inde e ſomno expergiſcerer. Et nunc edoctus ſum, homines magni facere; nam vel minimus eorum, quos per ſuperbiam rebus ſecundis et ad voluntatem fluentibus a foribus depuliſſem, in ſolitudine illa horrenda omnibus a me Golgondae diuitiis fuiſſet praelatus. —

Digitized by Google

Duratio longa eſt ſublimis. Si ea eſt temporis praeteriti, generoſa erit; ſi in immenſo tempore aeterno praeuidetur, quidpiam habet horrifici. Aedificium ex antiquitate vetuſtiſſima venerabile eſt. *Halleri* deſcriptio aeternitatis futurae lenem inſtillat horrorem, et aeternitatis praeteritae rigidam admirationem.

SECTIO SECUNDA.

DE PROPRIETATIBUS SUBLIMITATIS ET PULCRITUDINIS IN HOMINE GENERATIM.

Intelligentia ſublimis eſt, ſed facetiae pulcrae. Audacia ſublimis eſt et magna, aſtutia eſt parua, ſed pulcra. Cautio, ait *Cromwellus*, virtus conſularis eſt. Veracitas et probitas ſimplex eſt et generoſa, iocus adulatioque placens belli ſunt et pulcri. Feſtiuitas eſt pulcritudo virtutis. Ardor ſeruiendi nihil ad vtilitatem referens generoſus eſt, vrbanitas et humanitas pulcrae ſunt. Proprietates ſublimes inſtillant obſeruantiam, ſed pulcrae amorem. Homines, quorum ſenſus potiſſimum ſpectat pulcrum, amicos probos conſtantesque ac ſerios non niſi anguſtiis coacti conquirunt; ſed iocoſum, facetum humanumque ſodalem deligunt ad vſum et conſuetudinem. Quosdam nimium magni facimus quam quos poſſimus amare. Inſtillant admirationem: verum nimium longe nos ſuperat, quam vt cum familiaritate amoris propius ad eam accedere audeamus.

Ii, qui vtrumque ſenſum in ſeſe coniungunt, inuenient, permotionem ex ſublimi vehementiorem eſſe, quae a pulcro proficiſcitur; praeterquam quod ſine viciſſitudine comitatum poſterioris defatigat, nec diu percipi poteſt. Senſationes ſublimes, ad quas colloquium in coetu bene delecto contendit interea in iocum laetum ſoluendae ſunt, et amici ridentes pul-

cre emineant in vultu commoto ſerio, ita vt vtrumque ſenſationum genus libere varientur. In *amicitia* praecipue lineamentum ineſt ſublimitatis, in *amore ſexus* pulcri. Tamen teneritudo et alta veneratio poſteriori certam quamdam dignitatem impertiunt et ſublimitatem; cum e contrario ioco praeſtigioſo ac familiaritate colorum temperatio pulcri in ea ſenſatione augeatur. *Tragoedia*, ex mea quidem ſententia, in eo potiſſimum a *comoedia* abhorret, quod in illa ſenſus *ſublimitatis*, in hoc *pulcri* ſenſus commouetur. In illa profuſiones adparent magnanimae pro ſalute aliena, audax fortitudo animi in periculis et ſpectata fides. Amor ibi triſtis eſt, tener et obſeruantiae plenus, miſeria aliorum in pectore ſpectatoris ſenſationes excitat ſocias animumque facit excelſum in calamitate aliena palpitare. Mouetur leniter, ſentitque propriae ſuae naturae dignitatem. Contra comoedia artes callidas, perturbationes miras, ſolertesque, qui didicerunt ſe expedire, et ſtultos, qui patiuntur ſe decipi, itemque, iocos et mores ridiculos proponit. Amor in ea non adeo moroſus eſt: laetus potius eſt et familiaris. Verum tamen, vti in aliis cauſſis, ſic quoque in hac, generoſum cum pulcro poteſt quodammodo copulari.

Ipſa vitia naeuique morales nihilominus ſaepenumero nonnulla lineamenta habent ſublimitatis et pulcritudinis; ſic certe, vt ſenſui animali noſtro videntur, non ratione explorata. Ira hominis formidabilis ſublimis eſt, velut ira Achillis in Iliade. Omnino heros *Homeri terribiliter ſublimis* eſt, contra heros *Virgilii* generoſus atque ingenuus. Manifeſta vltio audax, accepta magna offenſione, aliquid magni habet, et, vt maxime illicita fuerit, tamen narrando mouet cum horrore atque oblectatione. Cum Schach-Nadir noctu a nonnullis coniuratis in tentorio opprimeretur, teſte Hanwayo, et quibusdam iam acceptis vulneribus deſperabundus ſeſe defenderet: *miſereamini, precor*, inquit, *vobis omnia condonabo.* Vnus eo-

rum gladium attollens, reſpondet: *nullam tu vnquam commiſerationem conceſſiſti, nullaque dignus es.* Temeritas obfirmata in homine ſcelerato periculoſiſſima eſt: ſed tamen mouet narrata, et vel tum quoque cum ad turpe ſupplicium trahitur, reddit eum quodammodo meliorem eo, quod confidenter illi et cum contemtu ſe obuiam fert. Ex altera parte conſilium callide excogitatum, etſi ſcelus moliatur, quidpiam habet, quod bellum ſit et rideatur. Inclinatio amatoria ſenſu ſubtiliori, nimirum ſtudium capiendi adliciendique, in homine alias lepido fortaſſe vituperandum eſt, ſed tamen pulcrum, et plerumque honeſtae decentiae ſeriae praefertur.

Forma hominum, ſpecie externa placentium, modo ad vnum modo ad alterum ſenſus genus refertur. Statura magna auctoritatem ſibi et obſeruantiam comparat, ſed parua magis familiaritatem. Ipſe color fuſcus oculique nigri ſublimes ſunt, ſed oculi caeſii colorque flauus pulcro propius cognati. Aetas aliquantum maior coniungitur magis cum proprietatibus ſublimitatis, iuuentus vero cum pulcro. Sic quoque comparatum eſt cum discrimine ordinum, atque in his omnibus modo dictis reſpectibus veſtimenta adeo ad hoc ſenſus discrimen quaerant, neceſſe eſt. Magnis hominibus ac proceribus ſimplicitas, ad ſummum magnificentia ſeruanda eſt, paruī comti poſſunt atque ornati eſſe. Senem colores decent nigricantes et ſimplicitas veſtitus; iuuentus veſtimentis micat nitidiobus viuideque eminentibus. In ordinibus pari et re familiari et ordine clerico maxima ſimplicitas, homini politico plurima magnificentia oſtendenda eſt. Amaſius, vti placuerit, ſeſe ornet.

Etiam in fortuna extrema eſt aliquid, quod certe ex opinione hominum cum his ſenſationibus conveniat. Natalibus et titulis homines plerumque fiunt ad obſeruantiam propenſi. Diuitiae, etiamſi merita deſint, ab ipſis hominibus ſuis commodis haud inſer-

vientibus coluntur; vt credo, quoniam cum cogitatione illarum conſilia magnorum facinorum coniunguntur, quae iis poſſint confici. Haec obſeruantia opportune quemdam nebulonem attingit diuitem, qui eiusmodi facinora numquam patraturus eſt, nullamque de ſenſu generoſo atque ingenuo cogitationem habet, quo vnice diuitiae poſſunt dignae reddi aeſtimatione. Quae malum paupertatis auget, contemtio eſt, quae etiam haud meritis poteſt tota vinci, certe non in oculis plebeiis, niſi ordines titulique ſenſum iſtum ruſticum fallant et quodam modo in eius commodum decipiant.

In humana natura numquam proprietates videmus laudabiles, quin ſimul degenerationes earum per infinitas vmbras vsque ad imperfectionem extremam transeant. Proprietas *terribiliter ſublimium*, ſi aliena eſt ab natura, eſt *portentoſa* *). Res a natura recedentes quatenus ſublime in iis intelligitur, quamquam parum vel minime offenditur, *ineptiae* ſunt. Qui portentoſa amat et credit, *dilirus* eſt, inclinatione ad ineptias efficitur *ineptus opinator*. Contra ſenſus pulcri degenerat, cum generoſum in eo atque ingenuum prorſus deeſt, diciturque *puerile*. Maſculus hac proprietate inſtructus, ſi iuuenis eſt, vocatur *ineptus*, ſi aetatis mediae, *nugator*. Quoniam grauiori aetati ſublime maxime neceſſarium eſt; *ſenex nugator* omnium maxime deſpiciendus eſt; vti *opinator ineptus* exoſiſſimus omnium eſt et maxime intolerandus. Ioci ac laetitia ſenſum attingunt pulcri. Nihilominus bene multa mens poteſt perlucere, atque eatenus plus minusue poſſunt cum ſublimitate contagione teneri. Is, in cuius laetitia atque alacritate ea admixtio exigua eſt, *ineptit*. Qui ſemper ineptit, *ſtolidus* eſt. Facile intelligitur, ſagaces quoque homines nonnumquam ineptire, nec parum animi opus eſſe ad intelli-

*) Quatenus ſublimitas vel pulcritudo mediocritatem illam migrat, vocari ſolet *fabuloſa*.

Digitized by Google

gentiam ad breue tempus ab ſtatione ſua deuocandam, ita vt nihil quidquam in eo peccetur. Is, cuius ſermones actionesue neque oblectant, neque mouent, *longus* eſt. Longus, quateeus vtrumque efficiendum ſatagit, eſt *abſurdus*. Abſurdus, ſi tumidus ſit, *ſtultus eſt* *).

Quam miram infirmitatum humanarum adumbrationem exemplis aliquantum planiorem faciam; ia enim, cui ſcalpellum deeſt Hogarthi, quae delineationi deſunt ad expreſſionem, compenſare debet. Audax periculorum ſusceptio pro iuribus noſtris patriaeque aut amicorum *ſublimis* eſt. Expeditiones cruciatae, equitesque veteres fuerunt in *portentoſis*; certamina ſingularia, miſerae iſtae ex peruerſo famae conceptu reliquiae, *ineptiae* ſunt. Triſtis remotio ab hominum ſtrepitu per taedium iuſtum *generoſa* eſt atque ingenua. Deuotio ſolitaria veterum Eremitarum fuit *portentoſa*. Coenobia et eiusmodi ſepulcra ad ſanctos viuos includendos *ineptiae* ſunt. Subiugatio perpeſſionum animi ex principiis, *ſublimis* eſt. Caſtigationes corporis, vota, aliaeque virtutes monaſticae ſunt *ineptiae*. Oſſa ſancta, ligna ſancta, ceteraeque nugae eiusmodi, ſanctis magni Lamae Thibetani excrementis haud exceptis, *ineptiae* ſunt. In operibus ingenii ſenſusque ſubtilioris carmina epica Virgilii et Klopſtoquii *generoſum* attingunt atque ingenuum, ſed Homeri et Miltonii *portentoſum*. Transmutationes Naſonis in *portentoſis* ſunt, fabulae de faſcinatricibus fatuitatis Francogallicae, miſerrimae ineptiae vi-

*) Facile intelligitur, iſtud collegium venerabile in duas ſocietates abire, nimirum *nugatorum* et *ineptorum*. Nugator doctus modeſte *paedagogus* adpellatur. Si vultum prae ſe fert obſtinatum ſapientiae, velut *Dunſii* et veterum temporum et recentium, cucullus ei tintinnabulis diſtinctus bene conuenit cum facie. Claſſis *nugatorum* frequentior eſt in hominibus illuſtribus; in quibus multa promerenda ſunt, multa ridenda. In hac exaggeratione ridiculi nihilominus alteri alter os obliquatum oſtendit et capite inani ſuo caput offendit fratris.

dentur, quae vmquam ſunt prolatae. Carmina Anacreontea plerumque admodum finitima ſunt *puerilibus*.

Operibus intelligentiae atque acuminis, quatenus rebus illis propoſitis, etiam quidpiam continetur ſenſui, itidem quaedam communio eſt, varietatum illarum. Cogitatio mathematica de infinita mundi magnitudine, contemplationes metaphyſicae de aeternitate, prouidentiaque et animorum immortalitate, certam quamdam ſublimitatem dignitatemque habent. Contra eo vero philoſophia multis quoque argutiis inanibus deformatur, ſpeciesque ſubtilitatis haud impedit, quo minus quatuor ſyllogiſmorum figurae dignae ſint, quae ad ineptias ſcholaſticas referantur.

In proprietatibus moralibus virtus vera ſolum ſublimis eſt. Nihilominus quaedam ſunt qualitates morales bonae, quae amabiles ſint ac pulcrae, et quatenus cum virtute conueniunt, etiam generoſae habeantur, quamuis reapſe nequeant ad animi conſilia bona referri. Iudicium de iis ſubtile eſt et perplexum. Profecto non poteſt ſtatus animi probus vocari, ex quo actiones promanant, ad quas virtus quidem etiam rediret, verum de cauſſa tantummodo fortuito conueniente, ſed ſecundum naturam poteſt vniverſalibus virtutis regulis ſaepenumero repugnare. Certa quaedam animi mollities, quae facile ad caliđum *commiſerationis* ſenſum adducitur, pulcra eſt atque amabilis; indicat enim in communionem te venire beneuolam ſortis hominum aliorum, quo itidem principiis ducimur virtutis. Verum hic bonus animi motus nihilominus infirmus eſt ſemperque caecus. Fac enim, ea vos vero ſenſatione commoueri, vt ſumtibus veſtris egentem quemdam ſubleuetis, vos vero alius cuiusdam in aere verſari, eoque impediri, quo minus ſtrenuo iuſtitiae officio poſſitis ſatisfacere: manifeſtum erit, actionem non poſſe ex propoſito probo proficiſci; eo enim fieri non poſſet impellere-

mini ad obligationem grauiorem iſti faſcinationi caecae deuouendam. Contra beneuolentiam erga genus humanum vniuerſalem principio vobis erit, cui ſemper actiones veſtras ſubiiciatis, tam amor erga egentes etiamnunc relinquitur; verum is nunc ex altiori gravioriqve ſtatione translatus eſt in relationem veram ad cuncta officia veſtra. Beneuolentia vniuerſalis in cauſſa eſt, cur in communionem veniatis malorum illius, ſed ſimul etiam iuſtitiam colatis, cuius ex praecepto nunc vobis ea actio omittenda eſt. Hic ergo ſenſus ſimulatque ad iuſtam vniuerſalitatem accreuerit, ſublimis eſt, ſed quoque frigidior. Fieri enim non poteſt, vt pectus noſtrum cuiuis homini amore tenero intumeſcat, et in quaque calamitate aliena opprimatur moeſtitia, alioquin ſtudioſus virtutis in lacrimis commiſerantibus, inſtar Heracliti, liqueſcens, in vniuerſa hac benignitate animi nihil niſi homo ex mollitie deſes atque iners euaderet *).

Alterum deinde ſenſus beneuoli genus, pulcrum quidem atque amabile, ſed nondum fundamentum virtutis verae, cernitur in liberalitate ac *facilitate*; quae eſt inclinatio, ſeſe aliis comitate conſenſuque cum eorum deſideriis atque ſimilitudine morum gratos reddendi. Atque ea quidem bellae facilitatis cauſſa eſt pulcra, et flexibilitas animi eiusmodi bona. Verum tantum abeſt vt ea in virtutibus ſit, vt potius, niſi grauioribus principiis ei carceres conſtituantur eaque infirmetur, omnia inde poſſint vitia exſiſtere.

*) Re accuratius perpenſa, inuenies, in commiſeratione, etiamſi maxime amabilis ſit, tamen dignitatem excellentiamque virtutis haud ineſſe. Paruulus dolens femina infortunata et venuſta, animum hoc dolore implebit, cum eodem tempore nuntium de ingenti praelio lento animo audimus, quo facile intelligi poteſt permagnae parti generis humani crudeliſſimis malis immerito ſuccumbendum eſſe. Fuere principes, qui, prae dolore adſpectum ab vno homine infelice remouentes, nihilominus per cauſſam ſaepenumero vanam eodem tempore bellum imperarent. In quo quidem cum nulla effecti proportio ſit, quomodo tandem dici poteſt, humanitatem vniuerſalem in cauſſa eſſe?

Etenim, vt praeteream, iſtam facilitatem erga eos, quorum conſuetudine vtimur, ſaepenumero iniuſtitiam eſſe in alios, qui non pertinent ad hunc circulum exiguum, eiusmodi homo, hac ſola incitatione ſumta, fouere omnia vitia poterit; non per inclinationem proximam, ſed quoniam aliis libenter gratificatur. Per facilitatem benignam et mendax, et iners, et potator, et ſimilia euadet, neque enim ex regulis agit, quae bonos mores generatim ſpectant, verum ex inclinatione, per ſe pulcra quidem, ſed quae idcirco, quia firmitate caret et principiis, puerilis euadit.

Quamobrem virtus vera non poteſt niſi principiis inſeri, quibus, quo magis vniuerſalia ſunt, redditur ea ſublimior ac generoſior. Haec principia non verſantur in regulis contemplatiuis, verum in conſcientia cuiusdam ſenſus, in cuiusque pectore hominis viui, multoque longius ad cauſſas commiſerationis peculiares facilitatisque pertinentis. Memet, opinor, cuncta complecti, ſi dicam eam *ſenſu* contineri *pulcritudinis et praeſtantiae naturae humanae.* Senſus pulcritudinis ratio eſt beniuolentiae vniuerſalis, ſed ſenſus praeſtantiae naturae humanae in cauſſa eſt obſeruantiae vniuerſalis, et ſi hic ſenſus perfectione maxima in vllo quodam humano animo gauderet: hic homo ſe ipſum quidem quoque amaret et coleret, ſed non niſi quatenus eſt vnus ex vniuerſis, ad quos ſenſus dilatatus eius et generoſus ſeſe poſſet extendere. Adpetitus noſtri beniuoli non poſſunt, niſi inclinationi adeo dilatatae ſuae ſingulari ſubordinati, apte adhiberi, decentiamque generoſam efficere, pulcritudinem virtutis.

Reſpectu imbecillitatis humanae naturae poteſtatisque exiguae, quam ſenſus moralis vniuerſalis in plerisque animis exercitaturus foret, prouidentia eiusmodi adpetitus ſubleuantes tamquam virtutis ſupplementa in nobis indidit, quae, dum quosdam etiam

ſine principiis ad actiones pulcras commouent, ſimul aliis, qui principiis reguntur, maiorem impulſum vehementioremque concitationem poſſunt ad eas impertire. Commiſeratio et liberalitas in cauſſis ſunt actionum pulcrarum, quae fortaſſe maiori pondere commodi proprii cunctae exſtinguerentur, non vero proximae cauſſae virtutis, vti vidimus, etſi, cum per cognationem cum ea nobilitentur, nomen quoque illius adipiſcuntur. Qua de cauſſa eas poſſum *virtutes adoptatas* adpellare, eam vero, quae principiis nititur: *virtutem genuinam*. Illae ſunt pulcrae et gratia plenae, haec ſola *ſublimis* eſt et venerabilis. Animus, in quo ſenſationes ſuperioris generis imperium tenent, *animus bonus* dicitur et homo eiusmodi *benignus*; contra ei, qui virtuti ſtudet ex principiis *animus generoſus* tribuitur, is ipſe vero *probus* vocatur. Harum virtutum adoptatarum nihilominus cum genuinis virtutibus permagna ſimilitudo eſt, propterea quod ſenſum continent voluptatis proximae ex actionibus benignis ac beniuolis capiendae. Benignus nullius rei alius ratione habita per liberalitatem proximam concorditer vobis comiterque vtetur, ſincerumque dolorem ex calamitate aliorum percipiet.

Verum, cum nihilominus haec naturae contagio nondum idonea ſit, ad tardam hominum naturam ad actiones publicis rationibus vtiles impellendum: prouidentia nobis praeterea certum quemdam ſenſum indidit, qui ſubtilis eſt, nosque commouere poteſt, vel etiam manifeſtiori commodo proprio voluptatique vulgari aequum ſe praebere. Atque is eſt ſenſus *famae*, eiusque conſequens *pudor*. Quae aliorum forte de dignitate noſtra ſententia ſit, de noſtrisque actionibus iudicium, noua mouendi cauſſa eſt magni momenti, multas ex nobis eliciens deuotiones; et quae permagna pars hominum, neque ex motu quodam liberalitas proxime oriente, neque ex principiis factura foret, ea fiunt ſaepenumero non niſi propter ſpeciem externam, ex opinione quadam, admodum vtili, quam

pro se ipsa vehementer tenui ac ieiuna: quasi aliorum iudicio pretium nostrum actionumque nostrarum definiret. Quod hoc ex impulsu peragitur, ne minime quidem probum est virtutique consentaneum, quapropter etiam quisque, qui talis vult haberi, momentum ambitionis consulto occultat. Nec vero haec inclinatio ne adeo quidem, quam liberalitas, genuinae virtuti finitima est, quia haud proxime per pulcritudinem actionum, verum per decentiam illius alienis oculis conspicuam potest moueri. Igitur, cum nihilominus sensus famae subtilis sit, virtutis similia, et quae iis efficiuntur, *fulgorem virtutis* dicere possum.

Quodsi ingenia animorum humanorum, quatenus vnum ex tribus hisce sensus generibus in iis obtinet characteremque moralem determinat, inter se comparemus; inueniemus, vnum quodque illorum cum quodam temperamentorum, vti solent describi, arctiori cognatione teneri, ita tamen, vt praeterea maior sensus moralis defectus homini phlegmatico obueniret. Non quasi nota praecipua variorum istorum animi ingeniorum ex illis lineamentis penderet; sensus enim manifestior, velut commodi proprii, voluptatis vulgaris, et id genus aliorum hac in tractatione nullo modo consideramus, talesque inclinationes in descriptione consueta nihilominus inprimis spectatur; sed quoniam doctae illae sensationes morales subtiliores facilius possunt cum vno alteroue istorum temperamentorum conciliari, et reapse plerumque sunt coniunctae.

Ardens quidam pulcritudinis dignitatisque ac praestantiae naturae humanae sensus, et status roburque animi eo, vt ad principium quoddam vniuersale, cunctas actiones referendi, serius est, societatemque aegre contrahit cum leuitate laetitiae, neque cum inconstantia hominis vani. Accedit adeo prope ad tristitiam, sensationem lenem ac generosam illam, quatenus ea horrore nititur, quo anima terminis

Digitized by Google

deſcripta, frigeratur, cum, magni cuiusdam conſili plena, pericula videt ſibi ſuperanda, difficilemque ſed magnam victoriam in ſe ipſa vincenda ob oculos conſtituit. Ergo virtus vera et genuina ex principiis, quiddam in ſe habet, quod maxime cum ingenio animi melancholico, ſenſu meliori, conſpirare videtur.

Liberalitas, pulcritudo illa atque irritabilitas animi ſubtilis, quae pro occaſione, quam reperit, in cauſſis ſingulis commiſeratione ac beniuolentia commouetur, viciſſitudini temporum admodum obnoxia eſt; et quia motus animae haud principio quodam vniuerſali nititur: facile formas mutatas recipit, pro eo atque res vnam partem alteramue praebent. Quae inclinatio, cum pulcritudinem ſpectet, cum eo animi ingenio, quod *ſanguineum* dicitur, quod leue eſt et oblectationibus deditum, videtur conuenientiſſime conciliari. Atque in hoc temperamento proprietates amabiles, quas virtutes diximus adoptatas, quaerendae nobis videbuntur.

Senſus famae iam alias ſolitus eſt pro nota accipi complexionis *cholericae*, eoque poſſumus occaſionem arripere, conſequentias morales huiusce ſenſus ſubtilioris, quae maximam partem ſpectant fulgorem, ad depingendum eiusmodi characterem conquirendi.

Numquam homo ſine vllis veſtigiis exſtat ſenſationis elegantioris; ſed maior defectus illius, qui comparate ſtupor adpellatur, characterem ingreditur *phlegmatici*, quem alias adeo elateribus craſſioribus, velut cupiditate pecuniae, id genus aliis, priuant, quem nos vero vna cum aliis inclinationibus vinculo ſororio iunctis, illi, ſi vſus erit, permittere poſſumus, ſiquidem iis in hac delineatione nullus locus eſt.

Nunc, age, ſenſationes ſubtilitatis et pulcritudinis, praeſertim quatenus morales ſunt, ſub deſcriptione temperamentorum recepta adcuratius contemplemur.

Is, cuius ſenſus ad temperamentum *melancholicum* pertinet, haud idcirco ſic vocatur, quia, iucunditatibus vitae deſtitutus, triſti aegritudine adfligitur, ſed quoniam ſenſationes illius, ſi ſupra certum gradum quemdam augerentur, vel ex cauſſis quibusdam ſecus dirigerentur, in alium ſtatum erupturae forent. Habet inprimis *ſenſum ſublimitatis*. Ipſa pulcritudo, cuius ſenſu pariter mouetur, non ſolum eum delectet, oportebit, verum etiam, dum illi ſimul admirationem inſtillat, adficiat. Fructio voluptatum in eo ſeuerior eſt; ſed idcirco haud minor. Omnes permotiones ex ſublimibus animos fortius defigunt, quam praeſtigioſae venuſtates pulcri. Incolumitas eius potius aequitas animi erit, quam laetitia. Eſt conſtans. Idcirco ſenſationes ſuas ſubiicit principiis. Illae eo minus inconſtantiae mutationique obnoxiae ſunt, quo latius iſtud principium patet, cui ſubiiciuntur, et quo proinde amplior eſt ſenſus ſuperior ille, qui cohibet in ſe inferiores. Omnes ſingulares inclinationes multis exceptionibus mutationibusque obnoxiae ſunt, niſi ex eiusmodi ratione ſuperiori deriuatae ſint. Vegetus laetusque Alceſtis, amo, inquit, vxorem et magnifacio, ſiquidem venuſta et blandaque et prudens. Quid ſi autem per morbum deformata, ex ſenectute morosa, et, poſtquam prima faſcinatio euanuerit, vobis haud prudentior, quauis alia, videretur? Si ratio non amplius aderit, quid ex inclinatione fiet? Contra videatis Adraſtum beniuolum et grauem, qui ſecum cogitat: hanc feminam benigne excipiam et cum veneratione, ſiquidem vxor eſt. Hic animus generoſus eſt et excelſus. Nunc venuſtates fortuitae mutentur, tamen etiamnunc vxor eſt. Ratio generoſa ſtat, neque tantopere inconſtantiae rerum externarum obnoxia eſt. Haec natura principiorum cum motibus collatorum, qui ſolum in ſingularibus occaſionibus ebulliunt, atque is vir eſt principiorum tenax cum eo comparatus, quem caſu motus inceſſit liberalis atque benignus. Quid ergo, ſi adeo oratio animi eius arcana haec foret: hominem illum adiuuem, oportebit, ac

ſubleuem, quoniam dolet; non fere idcirco, quia amicus eſt vel ſodalis, aut quod eum poſſe putem olim beneficium grato animo referre. Iam non tempus eſt argutandi et quaerendo tempus perdendi. Homo eſt, et quod hominibus accidit, id etiam memet attingit. Tum ratio eius nititur principio ſummo beniuolentiae in natura humana, maximeque ſublimis eſt, cum quoad immutabilitatem eius tum propter vſus vniuerſalitatem.

Notare pergo. Homo complexionis melancholicae parum curat, quid alii ſentiant, quid bonum verumue ducant, ea in re confidit duntaxat peritiae ſuae. Quoniam rationes in naturam induunt principiorum; fit, vt aegre queat mens eius mutari; conſtantia illius nonnumquam degenerat in pertinaciam. Viciſſitudinem conſuetudinum aequo fert animo, nec de ſplendore illarum laborat. Amicitia eſt ſublimis ideoque ad ſenſum eius apta. Poteſt fortaſſe amicum mutabilem amittere; ſed hic illum haud amittit tam cito. Ipſa amicitiae exſtinctae memoria ei etiamnum venerabilis eſt. Adfabilitas eſt pulcra, ſed taciturnitas meditabunda ſublimis. Ineſt in eo ſenſus excelſus dignitatis humanae naturae. Seſe colit ipſum, hominemque ducit rem creatam, quae digna ſit obſeruantia. Nullam perfert ſeruitutem abiectam, libertatemque ſpirat in pectore generoſo. Eatenus omnes, inde ab auratis, quae in aulis geſtantur, vsque ad ferrum ponderoſum ad remum dati, auerſatur. Iudex ſeuerus eſt et ſui ipſius et aliorum, nec raro cum ſui tum hominum pertaeſus.

In degeneratione huius characteris ſeueritas vergit ad triſtitiam, deuotio ad errorem fanaticum, ſtudium libertatis ad enthuſiaſmum. Offenſio atque iniuſtitia incendunt in eo cupidinem vindictae. Tum vehementer metuendus eſt. Obſiſtit periculo mortemque contemnit. In peruerſitate ſenſus defectuque rationis illuſtratae labitur in *portentoſum*, in inſpiratio-

nes, adparitiones, in vexationes. Mente imbecilliori incidit in *ineptias*; in ſomnia portendentia, praeſenſiones rerum futurarum et prodigia. Parum abeſt, quin *delirus* fiat vel *ineptus*.

In eo, qui animi ingenio *ſanguineo* eſt, *ſenſus pulcri* obtinet. Idcirco gaudia eius rident ac viuunt. Cum non eſt hilaris, triſtis eſt, parumque nouit tranquillitatem aequam. Varietas pulcra eſt, et varietatem amat. Gaudium et in ſe quaerit, et circum ſe, aliosque oblectat, et dulcis ſodalis eſt. Multa in eo ineſt moralis *συμπάθεια*. Aliorum ex laetitia voluptatem percipit ac dolore mollitur. Senſus moralis illius pulcer eſt, ſed absque principiis, ſemperque proxime pendet ex impreſſione praeſenti rerum obiectarum. Omnium hominum amicus eſt, ſiue, quod idem eſt, reapſe numquam amicus, quamquam benignus eſt et beniuolus. Haud ſimulat. Hodie comitate ſua vos belloque more occupabit; cras, ſi in morbo eritis vel calamitate, dolorem verum ſentiet ac ſincerum, ſenſim ſe ſubducet, donec tempora fuerint mutata. Numquam munere iudicis fungatur. Leges illi plerumque nimium videntur ſeuerae, et facile lacrimis ſe patitur corrumpi. Sanctus eſt malus, numquam prorſus bonus et numquam prorſus malus. Saepius euagatur, et turpis eſt, magis propter officium, quam per inclinationem. Munificus eſt et benignus, ſed malum nomen, ſiquidem multum quidem ſenſum habet benignitatis, ſed parum iuſtitiae. Nemo de animo ſuo tam egregie ſentit, quam ille. Etſi eum haud fere magni feceritis, tamen vobis amandus erit. Maiori characteris lapſu incidit in *puerilia*, nugatur atque ineptit. Niſi ſenectute forte viuacitas minuatur, aut maiorem prudentiam adferat; parum abeſt quin ſenex *ineptus* euadat.

In eo, qui complexionis cholericae eſt, ſenſus obtinet ſublimitatis illius, quae poteſt *magnifica* vocari. Ea reapſe non niſi fulgor eſt eminentiae ac ſubli-

mitatis et color valde diſtinctus, quo pretium rei vel perſonae internum, quo fortaſſe modo vile eſt ac vulgare occultatur, et quod ſpecie fallit et commouet. Velut aedificium per tecturam, quae lapides inciſos refert, impreſſionem facit aeque generoſam, atque revera iis conſiſteret, loricisque illitis ac paraſtatis ſpecies efficitur firmitatis, quamquam parum iis firmitatis ineſt, nihilque ſuffulcitur; ſic quoque virtutes Dombacianae nitent, ſpeciesque ſapientiae ac laudes depictae.

Cholericus pretium ſuum rerumque ſuarum et actionum ex decentia conſiderat vel ſpecie, qua in oculos incurrit. Reſpectu qualitatis internae rationumque, quae re obiecta ipſa continentur, friget, neque per veram beniuolentiam tepefactus, neque per obſeruantiam commotus. Mores eius artificioſi ſunt. Variae illi ſtationes capiendae ſunt, vt decentiam ſuam ex vario ſpectatorum poſita diiudicet; neque enim parum curat, quid ſit, ſed ſolum, quid videatur. Idcirco vim in guſtu vniuerſali variasque impreſſiones probe nouerit, neceſſe eſt, morum ſuorum extra ſe. Cum ad hanc curam callidam vtique illi opus ſit ſanguine frigido et lento, neque pati debeat amore, commiſeratione animoque ſuo in communionem veniente ſeſe inaniter moueri: multis quoque ineptiis atque incommodis euadet, in quas ſanguineus incidit, proxima ſenſatione ſua captus. Idcirco plerumque videtur prudentior, quam reuera eſt. Beneuolentia eius eſt vrbanitas, obſeruantia eius eſt caerimonia, amorque illius adulatio excogitata. Semper plenus ſui ipſius eſt, ſi partes ſuscipit amantis vel amici, et numquam vere nec amans eſt nec amicus. Sequitur ſplendorem ex gratia conſuetudinum: verum, cum omnia in eo artificioſa ſint et arceſſita, rigidus in iis eſt nec verſatus. Agit multo magis ex principiis, quam ſanguineus, qui non niſi impreſſionibus caſu oblatis adficitur: ſed hae non ſunt principia virtutis, verum fumae, neque ſenſu gaudet pulcritudinis pretiiue actio-

num, ſed iudicii hominum, quod forte fuerint laturi. Quoniam caeteroquin ratio eius, quatenus haud fons ſpectatur, vnde oritur, propemodum rationibus publicis pariter vtilis eſt ac virtus ipſa: fit, vt apud homines vulgares eamdem obſeruantiam ſibi comparet, quam probus virtutisque ſtudioſus; ſed acutioribus diligenter ſeſe occultat, probe gnarus, cognitione elaterum ambitionis ſecretorum, ſeſe auctoritatem amiſſurum eſſe. Igitur ſimulationi valde deditus in religione falſus eſt, in vſu hominum adſentator, in partibus politicis verſipellis et mobilis pro re nata. Lubenter ſeruus eſt principum, quo tyrannus euadat inferiorum. *Natiua ratio*, generoſa illa vel pulcra ſimplicitas, quae ſigillum oſtendit naturae, non vero artis, illi prorſus aliena eſt. Inde, ſi guſtus eius degenerat, ſplendor illius *clamoſus* fit, id eſt, ingrate glorioſus. Tum et dicendi genere, et ornatu, incidit in nugas obſcuras (in res modum excedentes), quod genus eſt ineptiarum, quod reſpectu magnificentiae idem eſt, ac portentoſum vel ineptum ratione ſublimitatis ſeriae. In offenſionibus tum ad certamina delabitur vel lites forenſes, atque in ratione ciuili ad maiores, locumque priorem et titulos. Donec duntaxat vanus erit, hoc eſt, honorem quaeret, ſtudebitque, vt aliorum in ſe oculos conuertat: ferri ſane poteſt; ſed ſi, veris laudibus dotibusque ingenii deficientibus, intumeſcat; tum is erit, quem minime omnium haberi ſe voluerit, quippe *ſtultus*.

Cum in temperamento *phlegmatico* nullae ſoleant ſpecies inueniri ſublimitatis et pulcritudinis gradu haud ita inſigni; hoc animi ingenium non ad contextum pertinet noſtrarum contemplationum.

Cuiuscumque generis iſtae ſenſationes ſubtiliores fuerint, de quibus hactenus disputauimus, tamen ſors earum communis eſt, vt in iudicio illius, cui ſenſus deeſt ad eas temperatus et conſtitutus, ſemper perverſae videantur atque abſurdae. Homo ſedulitatis

tranquillae et ſuis commodis inſeruientis, nullis, vt ita dicam, inſtrumentis vtitur, quibus ductum generoſum queat in carmine vel virtute heroica ſentire, lubentius Robinſonum legit, quam Grandiſonum, Catonemque in numero ponit ſtultorum moroſorum. Pariter hominibus animi ingenio ſeueriori ea puerilia videntur, quae aliis ſunt venuſta, ratioque natiua praeſtigias faciens actionis paſtoritiae iis abſurda eſt et puerilis. Adeoque, ſi animus haud penitus ſenſu ſubtiliori deſtitutus ſit conſentaneo, tamen gradus irritabilitatis illius perquam varii ſunt, et alteri videmus quidpiam generoſum videri ac decorum, quod alteri magnum quidem ſed portentoſum videatur. Occaſiones, quae occurrunt, in rebus immoralibus ſenſum alterius inueſtigandi, nobis anſam praebere poſſunt ſatis probabiliter quoque ad ſenſationem eius reſpectu ſuperiorum animi proprietatum, ipſarumque voluntatis, concludendi. Is qui ad cantum ſymphoniae muſicam oſcitatur, ſe ipſum in ſuſpicionem vocat, pulcritudinum generis dicendi praeſtigiarumque amoris ſubtilium nullam in eo vim futuram.

Certum quoddam ſtudium eſt minutiarum (*eſprit des bagatelles*), genus quoddam ſenſus iudicans, qui ipſe contrarium ſpectat ſublimitatis. Guſtus rei cuiuspiam, idcirco quia valde *artificioſa* eſt et operoſa, verſus, qui antrorſum poſſunt et retrorſum legi, aenigmata, horologia in annulis, catenae pulicibus vinciendis, et quae ſunt generis eiusdem; ſenſus eorum omnium, quae ſunt adcurate definita, putideque *deſcripta ac digeſta*, quamquam inutiliter, velut libri longis ſeriebus in ſcrinio dispoſiti, caputque inane, gaudens eorum adſpectu; cubicula, inſtar ciſtarum opticarum exornata et perquam munde lota, vna cum hoſpite, qui ea inhabitat, inhoſpitali ac moroſo. Guſtus eorum omnium, quae *rara* ſunt, quam paruum alioquin eorum pretium internum fuerit. Epicteti lampas, chirotheca Caroli duodecimi regis; huc quodammodo pertinet nummorum inſania. Eiusmodi ho-

Digitized by Google

mines in ſuſpicione verſantur ſcrutatorum nimiorum in ſcientiis et moroſorum, in moribus vero ſenſu carentium eorum omnium, quae libere pulcra ſunt et generoſa.

Iniuriam quidem facimus, ſi illum, qui pretium vel pulcritudinem eorum, quae mouent, atque oblectant, haud intelligit, eo ablegemus, quod nihil *intelligat*. In quo quidem non tam, quid mens intelligat, ſpectetur, verum quid ſenſu ſentiatur. Nihilominus facultatum animae tanta connexio eſt, vt maximam partem a phaenomeno viſoue ſenſationis queat ad dotes perſpicientiae concludi. Illi enim, cui multae laudes ingenii ſunt, iſtae dotes fruſtra impertitae forent, niſi ſimul ſenſatione forti gauderet vere generoſi pulcriue, quae elater eſſe debet ad dotibus illis animi bene riteque vtendum. *)

Vſu ſemel receptum eſt, vt ea tantum *vtilia* dicamus, quae ſenſationi rudiori noſtrae ſatisfacere poſſint, quae nobis abundantiam ciborum potionumque queant, ſumtumque in veſtimenta et ſuppellectilia, et profuſionem in conuiuiis comparare, quamquam haud intelligo, cur haud omnia, quaecumque viuidiſſimo ſenſui meo exoptata ſint, pariter rebus vtilibus adnumerentur. At, vniuerſis nihilominus ad hanc rationem acceptis, is, qui *proprio commodo* inſeruit, homo, quocum numquam eſt de guſtu ſubtiliori argutandum. Hoc quidem reſpectu gallina vtique melior eſt pſittaco, ollaque coquinaria vtilior vaſe porcellani-

*) Videmus etiam, certam quamdam ſenſus ſubtilitatem homini laudi duci. Aliquem largiter veſci carnibus et placentis poſſe, itemque egregie bene dormire, id ei quidem concedetur vt nota ſtomachi valentioris, non vero laudis. Contra, qui partem conuiuii audiendo cantui ſymphoniae deuouet, aut in deſcriptione quadam intuenda ſeſe in perturbationem iucundam demergere poteſt, vel nonnullas res facetas, etiamſi modo minutiae poëticae forent, lubenter legit, ex cuiuscumque propemodum ſententia formam habet hominis politioris, de quo opinionem propenſiorem habemus, eique glorioſam.

eo, cuncta item ingenia faceta pretium haud aequant ruſtici, ſtudiumque aperiendi diſtantiam ſtellarum fixarum differri poteſt, donec conſtet, quomodo aratrum vtiliſſime duci queat. At quanta ſtultitia eſt, illud certamen inire, quo fieri nequeat, vt partes ſe inuicem ad ſenſationes ducant conuenientes, quoniam ſenſus nullo modo conuenit. Nihilominus tamen homo ſenſatione rudi maxime et vulgari percipere poterit, inuitamenta iucunditatesque vitae, quae maxime ſuperuacaneae videntur maxima in ſeſe diligentiam noſtram conuertere, nobisque paucos elateres ad labores tam varios relictum iri, ſi illas velimus excludere. Itidem ſane nemo homo tam rudis eſt, quin ſentiat, actionem moralem, certe in alio, eo magis commouere atque adficere, quo longius ſit a commodo proprio remota, et quo magis illi impulſus generoſiores in ea emineant.

Quodſi partem generoſam atque infirmam hominum mutuo animaduertam, mihimet ipſi vitio do, quod capere eam ſtationem nequeam, vnde his diſtinctionibus magna vniuerſae humanae naturae nihilominus cum commotione animi proponitur. Etenim lubenter concedo, ſtatibus hisce ridiculis non niſi generoſam poſſe expreſſionem exhiberi; quamquam nimium hebetes ſumus, quam vt eam in hac ratione perſpicere queamus. Hominum ex *principiis* agentium *perpauci* ſunt, quod etiam ſufficit, cum tam facile fieri poſſit, vt in iſtis principiis erres, et tum, quod inde naſcitur, damnum eo latius pateat, quo latius principium patet, et quo grauior homo eſt, qui ſibi iſtud propoſuit. Eorum vero, qui ex *adpetitionibus benignis* agunt, longe *plures* ſunt, quod maxime pulcrum eſt, quamquam ſingillatim non poteſt inſigni laudi homini tribui; hi enim motus probi nonnumquam quidem errant, ſed circiter pariter magnum naturae conſilium, vt reliqui motus, quibus mundus animalis tam recte flectitur. Illi, qui ſe ipſos, quos vnice laboris ſui ſpectant, ſibi ob oculos conſtituunt, qui circum *com-*

Digitized by Google

modum proprium, tamquam magnam axim illam, cuncta circumagunt, ſunt *plurimi*, quo quidem nihil potest vtilius eſſe, quippe qui acerrimi ſunt, optimique et cautiſſimi; toti firmitatem impertiunt, propterea quod etiam haud de induſtria publicis commodis profunt, neceſſitatesque maximas ſuppeditant, et principia miniſtrant, quibus venuſtiores animae pulcritudinem queunt conuenientiamque propagare. Tandem *ambitio* in cordibus eſt omnium hominum, quamquam inaequaliter, diſeminata, qua vniuerſo pulcritudo, oportebit, ad admirationem vsque venuſta impertiatur. Quamuis enim ambitio in ſtulto errore verſetur, quatenus is regulae vim accipit, cui inclinationes reliquae ſubiiciantur; tamen ea vt motus concomitans praeſtantiſſima eſt. Dum enim quisque in magno illo theatro, inclinationibus ſuis dominabus conuenienter, actiones perſequitur; ſimul impulſu ſecreto movetur, vt mente et cogitatione ſtationem capiat, ad decentiam morum ſuorum diiudicandam, quam ſpeciem praebeat, et quomodo ſpectatoris oculos feriat. Quo quidem variae imaginum coniunctiones copulantur in pictura expreſſionis magnificae, vbi in media illa varietate magna vnitas exſplendeſcit, vniuerſumque naturae moralis pulcritudinem in ſe exhibet ac dignitatem.

SECTIO TERTIA.

DE DISCRIMINE SUBLIMITATIS ET PULCRITUDINIS IN RATIONE MUTUA VTRIUSQUE SEXUS.

Is, qui primus feminas vocabulo *ſexus pulcri* deſignauit, fortaſſe dicere quidpiam grati voluerit: verùm rem melius tetigit, quam ipſe quidem crediderit. Namque, ne mentionem faciam formae illarum generatim venuſtioris, lineamentorumque teneriorum et molliorum, et vultus in exprimenda comitate, iocoque atque humanitate ſignificantioris et gratiae

plenioris, quam in ſexu maſculino; ne quoque eorum obliuiſcar, quae in gratiam ſunt occultae virtutis magicae deducenda, quibus ea cupiditatem noſtram ad iudicium beneuolum reddit propenſam: inprimis in habitu animi huiusce ſexus lineamenta inſunt peculiaria, quibus ille ab noſtro perſpicue diſtinguitur, et quae eo potiſſimum redeunt, vt nota *pulcri* inſigniatur. Contra ea vero nobis nominationem poſſemus *ſexus generoſi* vindicare, niſi quoque ab animi ingenio generoſo poſtularetur, vt adpellationes honorificas deprecaremur, easque potius impertiremus, quam acciperemus. Quae quidem non eo dico, quaſi feminis proprietates generoſae deſint, ſexuiue maſculino pulcritudinum formis prorſus carendum ſit: ſed potius ſpes eſt, in quouis ſexu vtrasque copulari, ita tamen, vt in muliere caeterae omnes laudes duntaxat eum in finem conueniant, vt *pulcri* character augeatur, ad quem proprie cuncta referuntur, contraque in proprietatibus maſculorum *ſublime*, vt nota ſexus, diſtincte emineat. Atque eo quidem vniuerſa de hoc ſexu duplici iudicia, cum glorioſa, tum reprehendenda, neceſſe eſt, referantur. Vniuerſae educationi inſtitutionique hoc verſari ob oculos debet, vniuerſoque conatui perfectionem vnius alteriusue promouendi; niſi discrimen venuſtum, quo natura vtrumque hominum ſexum voluit diſtingui, cupias obſcurari. Neque enim hic ſatis eſt cogitatio, te in hominibus verſari: ſimul quoque haud negligendum eſt, iſtos homines non eſſe eiusdem formae.

Mulieribus ſenſus quidam fortior inſitus eſt eorum omnium, quae pulcra et elegantia atque ornata. Iam in pueritia amant ornari, ſibique ornatis placent. Mundae ſunt et admodum delicatae reſpectu eorum omnium, quae taedium adferunt. Iocum amant, et minutiis poſſunt, ſi modo viuidae ſint ac laetae, occupari. Perquam mature indolem oſtendunt modeſtam; bellam ſciunt decentiam recipere, ſe ipſasque tenent; idque in ea aetate, qua noſtra iuuentus maſcula bene

educata etiamnum infrenata eſt et ruſtica atque incerta. Multae illarum ſenſationes ſunt participes et ſociae, benignitas et commiſeratio, pulcrum praeferunt vtili, abundantiamque victus lubenter in parſimoniam conuertent, vt ſumtum in ſplendorem atque ornatum ſubleuent. Senſu ſunt tenerrimae reſpectu offenſionis minimae, et acutiſſimae ad minimum attentionis obſeruantiaeque ergo ſe defectum intelligendum. Ad ſummam, in natura humana rationem principem in ſe continent proprietatum pulcrarum ab generoſis diſtinguendarum, ſexumque maſculum expoliunt.

Dinumerationem proprietatum maſcularum, quatenus illas aequant, mihi, opinor, remittentur, ſatisque erit, vtrasque tantummodo ex collatione conſiderari. Sexui pulcro pariter intelligentia eſt, ac maſculino, ea vero *intelligentia* non niſi *pulcra* eſt, ſed noſtra debet *intelligentia profunda* eſſe, quae vox idem notat ac ſublime.

Ad pulcritudinem actionum omnium potiſſimum requiritur, vt facilitatem prae ſe ferant et ſine labore moleſto fieri videantur; cum e contrario conatus difficultatesque ſuperatae admirationem excitent atque ad ſublimia pertineant. Cogitatio profunda, meditatioque diu continuata ſunt generoſae, ſed difficiles, nec perſonam decent, in qua venuſtates liberae non niſi naturam pulcram oſtendere debent. Cognitione operoſa vel meditatione acerba, etiamſi femina admodum in ea proficeret, delentur laudes, ſexui eius peculiares, eaeque propter raritatem admirationi frigidae proponi poſſunt: at ſimul iis infirmabuntur venuſtates, quibus vim magnam in altero ſexu referunt. Femina, ſemper literis Graecis intenta, velut *Dacieria*, aut doctas concertationes habet de mechanice, vt Marchioniſſa *Chaſteletia*, per me licet, et barbam geſtet; hac enim vultus animi intenti et occupati, quem ambiunt, ſignum clarius exprimeretur. Intelligentia pul-

era materiam deligit vniuerſam, quae ſenſui ſubtiliori prope cognata eſt, contemplationesue abstractas, aut notitias, vtiles quidem, ſed ieiunas, intelligentiae relinquit ſedulae, doctaeque ac profundae. Quamobrem mulieres haud geometriam diſcent; de principio rationis ſufficientis, vel de monadibus modo tantum ſcient, quantum opus eſt, ad ſalem percipiendum in ſatyris, quibus ſcrutatores noſtri ſexus tenues ac ieiuni perſtringuntur. Venuſtae feminae pati poterunt, Carteſium vortices ſuos circumagere, nec curent, etiamſi *Fontenellius* elegans iis ſe comitem in planetis adiungere voluerit, nec vis venuſtatum illarum quidquam amittit de virtute ſua, etiamſi nihil quidpiam norint de iis omnibus, quae *Algarottius* in gratiam earum de viribus attractiuis materiarum rudium ſecundum Newtonum adnotare conatus eſt. Memoriam in hiſtoria haud pugnis replebunt ac praeliis, neque in geographia oppidis munitis; tam parum eas enim decet puluerem pyrium olere, quam mares muſcum.

Dolus eſſe malus virorum videtur, quod ſexum venuſtum ad hunc guſtum peruerſum voluerunt inducere. Nam probe conſcii infirmitatis ſuae, reſpectu venuſtatum illius naturalium, et vno obtutu petulante plus ſeſe perturbari, quam difficillima quaeſtione ſcholaſtica, vident ſe, ſimulatque mulieres hunc guſtum ſequantur, certo ſuperiores, et hoc habent commodi, quod alias vix habituri eſſent, vt, cum indulgentia magnanima infirmitatibus vanitatis ſuae opem ferant. Materia magnae illius ſcientiae mulieribus propoſitae potius homo eſt, atque in hominibus mares. Philoſophia earum non in argutando verſatur, ſed in ſentiendo. In occaſione, quam iis volumus ſuppeditare, naturae earum venuſtae efformandae, haec ratio ſemper ſub adſpectum ſubiicienda eſt. Vniuerſus ſenſus moralis, non vero memoriam illarum dilatari tentabitur, et quidem haud per regulas vniuerſales, verum iudicio proprio de moribus, quos circa ſe conſpiciunt.

Digitized by Google

Exemplis, quae ex aliis temporibus mutuamur, vt vim intelligamus, quam ſexus venuſtus in rebus exſeruit in orbe geſtis, rationibusque variis, quibus aliis temporibus, in alienisque prouinciis ad ſexum maſculum adfectus fuit, et vtriusque charactere, quatenus eo illuſtrari poteſt, geſtu item oblectationum mutabili, vniuerſa earum hiſtoria et geographia abſoluitur. Bellum eſt, mulieri adſpectum mappae, aut vniuerſum terrarum orbem, aut partes mundi potiores indicantis, iucundum reddi. Id quod ita fit, vt ea illi non niſi hoc conſilio proponatur, vt varii populorum characteres, qui terras incolunt, varietatesque guſtus illorum ac ſenſus moralis, praeſertim reſpectu effectus eorum in relationibus ſexuum, in ea tractanda depingantur, adiectis nonnullis illuſtrationibus ex diuerſitate climatum, libertate vel ſeruitute. Parum intereſt, an ſingulares harum terrarum deſcriptiones, quaeſtumque atque negotia, et potentiam ac dominatores ſciant necne. Pariter de mundo nihil iis quidquam cognoſcendum erit, quam quod opus eſt, adſpectum caeli veſpere pulcro illis gratum reddendum, cum quodam modo intellexerunt, plures mundos eſſe, in iisque plures res creatas pulcras inueniri. Senſu deſcriptionum viuidarum et muſices, non quatenus artem exſerit, ſed ſenſationem, his omnibus politur guſtus huiusce ſexus atque eleuatur, eorumque ſemper quaedam copulatio eſt cum motibus moralibus. Numquam inſtitutio frigida et contemplatiua, ſemper ſenſationes ſunto, et quidem quae, quoad eius fieri poſſit, rationem ſexus ſequantur. Haec inſtitutio propterea tam rara eſt, quoniam dotes naturae poſtulat, peritiamque et pectus ſenſu plenum, et quaque alia feminae commode poſſunt carere, vti quoque ſine his ſponte plerumque egregie ſeſe efformant atque excolunt*).

*) Haec ſupra in iudicio ſeuero dicta eſt virtus adoptata; ſed hoc loco, cum propter ſexus characterem digna ſit defenſione benigna, in genere virtus pulcra adpellatur.

Digitized by Google

Virtus mulierum eſt *virtus pulcra.* Virtus maſculini ſexus *virtus* debet *generoſa* eſſe. Fugient malum, non idcirco, quia prauum eſt, ſed quoniam turpe, actionesque probae atque honeſtae iis tales ſunt, quae moraliter pulcrae videntur. Nihil de debito, nihil de neceſſitate, nihil de officio. Mulieres omnium edictorum, omnisque coactionis triſtis ſunt impatientes. Faciunt aliquid non niſi idcirco, quia iis ſic placet, et ars in eo conſiſtit, vt efficias, quo id ſolum, quod bonum eſt, iis placeat. Vix credo in ſexum pulcrum principia cadere, ſperoque illum eo haud offenſum iri, ſiquidem etiam in maribus principia maxime rara ſunt. Contra ea vero pectori illius prouidentia ſenſationes benignas inſeruit et benivolas, ſenſumque dedit decentiae, et animam liberalem. Nolite poſtulare iacturas faciendas, fortemque ſui ipſius coactionem. Maritus vxori numquam aperiat, cum partem rei familiaris amici cauſſa periculo exponit. Cur loquacitatem illarum laetam eo vult coërceri, vt animum graui myſterio oneret, quod ſibi ſoli cuſtodiendum videtur? Ipſarum infirmitatum illarum multae ſunt, vt ita dicam, *mendae pulcrae.* Offenſione vel calamitate menti earum tenerae moeſtitia adfertur. Viro numquam alae fundendae lacrimae ſunt, niſi fortes ac magnanimae. Illis, quas in doloribus fundit, vel de caſu fortunae, in contemtum adducitur. *Vanitas*, quae ſexui pulcro tam crebro obiicitur, ſi forte in iis vitium ſit, non eſt niſi vitium pulcrum. Vt enim taceam, viros, qui feminis tam libenter blandiuntur, ſe male habituros fore, niſi hae pronae ferrentur ad iſtud in bonam partem accipiendum, iis venuſtates illarum reapſe animantur. Haec inclinatio in ſtimulis eſt, ad ſuauitates ſuas bonamque decentiam demonſtrandas, facetiasque laetas oſtendendas, et inuentis mobilibus ornatus ſplendendum, venuſtatemque ſuam augendam. In quo quidem tantum abeſt, vt quidpiam inſit, quo alii offendantur, vt potius, ſi modo ſcite inſtituatur, et eleganter, tantum belli ac lepidi, vt valde ruſtice fiat,

ſi triſti vituperio in eam inuehatur. Femina, in ea re nimium leuis et praeſtigians, vocatur *ſtulta*; quae quidem dictio nihilominus non tam duram ſignificationem habet, quam in viro, adeo, vt, ſi inter ſe invicem homines conueniant, ſubinde vtique poteſt blanditias familiares indicare. Si vanitas in vitio eſt digno, quod feminis facile excuſetur; *ingenium tumidum* in iis non ſolum, vti omnino in hominibus, vituperandum eſt, verum quoque prorſus deformat ſexus illarum characterem. Haec enim proprietas praeter modum ſtolida eſt ac deformis, gratiaeque modeſtae capienti penitus contraria. Tum eiusmodi perſona in loco lubrico verſatur. Patientur ſeuere ſeſe acriterque diiudicari; ſiquidem is, qui de obſeruantia gloriatur, omnes cirorum ſeſe prouocat ad reprehendendum. Quodque iudicium vel minimi vitii vnumquemque hominem oblectat, et vox *ſtultae* hic amittit ſignificationem emollitam. Semper vanitas ab elatione animi eſt diſtinguenda. Illa captat adſenſum et quodam modo eos honorat et colit, quorum cauſſa hanc operam ſuscipit; haec altera ſe iam frui putat plena eius poſſeſſione, et, cum nullum conatur ſibi comparare, nullum quoque inuenit.

Quodſi ſpecies quaedam vanitatis feminam in oculis virorum nullo modo dedecorent: tamen, quo manifeſtiores ſunt, eo magis faciunt ad mulieres inter ſe inuicem diſſociandas. Altera tum alteram ſeueriſſime diiudicat, quia altera alterius venuſtates videtur obſcurare, et reuera quoque illae, quae vehementer cupiunt virorum animos occupare, raro ſibi inuicem amicae ſunt ſenſu vero.

Pulcritudini nihil tantopere contrarium eſt, quam taedium, quemadmodum nihil altius ſub ſublimitatem ſidere videtur, quam ridiculum. Idcirco nulla viro eſſe grauior ignominia poteſt, quam ſi *ſtultus* dicatur, feminaeque, quam ſi *taedioſa* adpelletur. Spectator Anglicus cenſet, nullum viro poſſe opprobium fieri

Digitized by Google

acerbius, quam hominis mendacis, nec feminae amarius, quam cum impudica habeatur. Id quod, quatenus ad ſeueritatem philoſophiae moralis iudicatur, in medio relinquam. Sed hoc loco non quaeritur, quid per ſe ipſum maxima reprehenſione dignum ſit, ſed quid reapſe omnium grauiſſime ſentiatur. Quapropter ex vnoquoque lectore quaero, anne, ſi cogitatione hanc in cauſſam ſeſe conſtituat, ad ſententiam meam cogatur accedere. Puella Ninon Lenclos ne minime quidem famam ſibi caſtitatis vindicauit, et nihilominus grauiſſime offenſa fuiſſet, ſi vnus amatorum vsque eo iudicando deliquiſſet: et ſortem crudelem Monaldeſchii nouimus, quam ob iniuriam verbi eiusmodi perpeſſus eſt a femina principe, quae haud fere voluit perſonam agere Lucretiae. Ferri non poteſt, ne malum quidem te poſſe patrare, etiamſi velis, quoniam tum quoque illius omiſſio ſemper non niſi virtus admodum ambigua videtur.

Vt ab hoc taedioſo, quantum fieri poſſit, longiſſime remoueare, in virtutibus primi ordinis femineis *munditia* ponenda eſt, quae quemque hominem decet, quae vix poteſt ab iis nimium intendi, cum nihilominus in viro nonnumquam ea modum excedat ac tum puerilis euadat.

Pudicitia verſatur in arcano naturae cupiditatis valde indomitae coërcendae, quae, voce naturae freta, cum proprietatibus bonis moralibus conuenire videtur, quamuis euagetur, modumque excedat. Ea igitur in ſupplementum principiorum ſumme neceſſaria eſt; nulla enim cauſſa eſt, vbi tam facile ad ſophiſtem delabitur, vt principia fauſta acute comminiſcatur, quam hac in cauſſa. Ea vero ſimul quoque finibus naturae vel maxime decentibus ac neceſſariis obſcuro velo obuelandis prodeſt, ne ex notitia earum nimis familiari taedium naſcatur, vel ad minimum vilitas, reſpectu finium adpetitus cuiusdam extremorum, in quo cupiditates ſubtiliſſimae ac viuidiſſimae inſertae

ſunt. Haec ratio ſexui venuſto inprimis propria eſt et maxime decora. Eſt quoque ruſticitas inconcinna atque aſpernanda quae per iocos plebeios, qui *verba obſcoena* dicuntur, modeſtae illius tenerae perturbationem vel indignationem adfert. Interim quin, vt maxime arcanum iſtud circum agare, inclinatio ſexuum mutua cunctis venuſtatibus reliquis fundamento eſt, et femina, qua femina, ſemper ſuauis materia eſt occupationis bene moratae: inde fortaſſe reddi ratio poſſet, cur viri alioquin lepidi nonnumquam tantum ſibi ſumant, vt per paruam petulantiam iocorum quasdam adluſiones ſubtiles oſtendant, quibus efficitur, vt *ſoluti* dicantur vel *petulantes*, atque vbi, dum nec obtutu explorante offendere volunt, neque obſeruantiam violare, putant, iure ſeſe perſonam poſſe, quae iſtud indignante vultu atque aſpero excipit *paedagogam honeſtatis* adpellare. Hac duntaxat idcirco adfero, quia plerumque audax ductus habetur conſuetudinis pulcrae atque elegantis, etiam reapſe omni tempore multum ingenii ac facetiarum eo profuſum eſt: verum iudicium quidem ex ſeueritate morali huc non pertinet, cum in ſentiendo pulcro non niſi viſa ſint mihi obſeruanda atque illuſtranda.

Proprietates huiusce ſexus, quibus tamen, vti iam monuimus, numquam debet pulcri ſenſus obſcurari, nulla re dilucidius ſeſe certiusque indicant, quam *modeſtia*, quippe ſpecie quadam ſimplicitatis generoſae rationisque natiuae in magnis laudibus. Ex ea beneuolentia tranquilla elucet et obſeruantia erga alios, ſimul cum quadam *fiducia* in ſe ipſo *generoſa*, ſuique ipſius aeſtimatione aequa copulata, quae in animi ingenio excelſo ſemper inuenitur. Dum haec mixtio ſubtilis ſimul venuſtatibus capit obſeruantiaque mouet atque adficit; omnes reliquas proprietates ſplendidas ab petulantia vituperii inſaniaeque illudendi tutas praeſtat. Hominibus eiusmodi ingenii animi etiam coreſt ad amicitiam aptum ac propenſum, quod in mu-

liere numquam ſatis poteſt magni aeſtimari, quoniam maxime rarum eſt et ſimul perquam venuſtum.

Cum nobis haud propoſitum ſit, de ſenſationibus iudicare, non poteſt ingratum eſſe, ſi varietatem impreſſionis, ex forma lineamentisque mulierum in viribus effectae, ſi fieri poſſit, conceptibus ſubiiciamus. Vniuerſa haec faſcinatio ſuper adpetitum coniunctionis propagationisque panditur. Natura magnum ſuum conſilium perſequitur, cunctaeque, quae accedunt, munditiae, vtcumque ab eo abhorrere videantur, non niſi praetextus ſunt, venuſtatemque ſuam poſtremo tamen ex eodem fonte mutuantur. Sanus *guſtus* et *vehemens*, adpetitui iſti ſemper maxime vicinus, venuſtatibus decori, lineamentorumque atque oculorum et ſimilium in femina parum tentatur, et, dum reapſe duntaxat ſexum ſpectat, maximam partem faſtidium aliorum nugas ducit inanes.

Qui quidem guſtus, quamquam non eſt ſubtilis, idcirco tamen non erit deſpiciendus. Etenim maxima pars hominum ope illius ſummum naturae ordinem modo admodum ſimplici ac certo ſequitur *). Ea re pleraque matrimonia conciliantur et quidem a parte generis humani laborioſiſſima, et maritus, mente a vultu faſcinante, oculisque languidis et decoro genoroſo aliisque eodem de genere vacua, eorum nihil quidquam intelligens: eo fit attentior ad virtutes frugales et oeconomicas, parſimoniamque et caetera generis eiusdem, atque ad dotem. Ac guſtus quidem ſubtilior, cuius cauſſa neceſſe fuerit, vt discrimen venuſtatum feminae externarum haberetur, vel in iis, quae in vultu ductibusque oris *moralia* ſunt, vel in *immoralibus* defixus videtur. Femina reſpectu iucun-

*) Quemadmodum rerum in mundo omnium partem quamdam malam oſtendunt, ſic hunc guſtum dolendum eſt facilius alio in nequitiam degenerare. Quoniam enim ignis ab vna perſona incenſus altera poteſt reſtingui: non ſatis difficultatum adſunt, quibus cupiditas indomita atque effrenata poſſit coërceri.

ditatum posterioris generis *festiua* adpellatur. Apta partium corporis conuenientia; lineamenta recta, colores oculorum et faciei eleganter distincti in venustatibus sunt etiam in florum fasciculo gratis adsensumque frigidum parientibus. Facies ipsa nihil indicat, etsi festiua sit, neque ad animum loquitur. Ac lineamentorum quidem expressio oculorumque et vultus moralis, aut gustus sublimitatis attingit, aut pulcritudinis. Femina, in qua dulcedines sexui suo decentes potissimum expressionem moralem sublimitatis faciunt eminere, sensu proprio *pulcra* vocatur: ea, cuius delineatio moralis, quatenus in vultu ductibusque oris se reddit conspicuam, proprietates pulcri indicat *dulcis* est, et gradu maiori, *venusta*. Illa in vultu *lenitatis* decoroque generoso splendorem prodit intelligentiae pulcrae ex obtutu modesto, et dum in facie sensum tenerum depingit animumque beniuolum, cum inclinatione tum obseruantia animi virilis potitur. Altera laetitiam prodit et salem in oculis ridentibus, quidpiamque petulantiae, et iocorum festiuitatem, atque asperitatem petulantem. Titillat ea atque illecebis trahit, dum illa adficit et mouet, sensusque amoris, cuius capax est et quem aliis instillat, levis est, sed pulcer; contra sensatio illius tenera est, obseruantiaque coniuncta et constans. Non animus est explicationes ingredi copiosas huiusce generis; siquidem in eiusmodi cáussis scriptor videtur semper suam ipsius inclinationem depingere. Interim liceat attingere, gustum, quo multae feminae colore sano delectantur, sed pallido, ex his posse intelligi. His enim plerumque animi ingenium comitatur sensus maioris interioris sensationisque tenerae, ad proprietatem sublimitatis pertinens, contra colore rubro et florido minus superioris, sed plus animi ingenii laeti atque hilaris indicat; est autem sanitati conuenientius mouere ac vincire, quam capere atque illicere. Contra eo vero personae omni omnino sensu morali destitutae omnique expressione, sensationes indicante, possunt perbellae esse ac festiuae;

verum neque mouebunt, neque illicient, niſi *guſtum vehementem* iſtum, cuius mentionem fecimus, qui nonnumquam ſe aliquantum expolit ac tum quo pro ratione ſua eligit. Dolendum eſt, eiusmodi pulcras feminas facile incidere in vitium *ſuperbiae*, per conſcientiam pulcrae, quam ſpeculum iis oſtendit, figurae, atque per inopiam ſenſationum motuumque ſubtilium; vbi tum omnes reddunt erga ſe frigidos, excepto adulatore, qui conſilia molitur, dolosque fabricatur.

Ex hisce conceptibus fortaſſe aliquid effecti tam varii diuerſique poteſt intelligi, quod figura eiusdem feminae exſerit in guſtu virorum in ea impreſſione propius adpetitum ſpectat procreandi, et cum opinione *libidinoſa*, quam cuiusque ſenſatio induit, conuenire poteſt, haud attingo, quoniam ſitum eſt extra ambitum guſtus ſubtilioris; et fortaſſe poteſt verum eſſe, quod Buffonius ſuſpicatur, eam formam, qua qrima fiat impreſſio, eo tempore, quo hic adpetitus nouus eſt et incipit euolui, exemplar ac prototypon manere, quo cum futuro tempore omnes formatae muliebres plus minusue debeant conuenire, quibus deſiderium delirum poſſit excitari, eo inclinatio ſatis aſpera cogitur ad optionem in variis rebus obiecti ſexus cuiuspiam. Reſpectu guſtus aliquantum ſubtilioris contendo, eam ſpeciem pulcritudinis, quam *formam feſtiuam* et bellam vocamus, ab vniuerſis viris ſatis conuenienter diudicari, in eaque re ſententias haud adeo rariori atque plerumque putetur. Puellae *Circaſſiae* et *Georgicae* ab omnibus Europaeis, earum terras peragrantibus, ſemper ſunt perquam bellae feſtiuaeque habitae. *Turcis*, *Arabibusque* et *Perſis* vtique in hac guſtu conueniat, oportebit, quoniam cupidine ardent gentis ſuae ſanguine tam praeclaro reddendae pulcrioris, et notatur etiam, progeniei Perſicae iſtud reapſe ſucceſſiſſe. Nec deſunt mercatores *Indiae* ex prauo puellarum tam formoſarum commercio magnum quaeſtum facere, dum eas ditibus regionis ſuae delicatis adducunt, videmusque, vt maxime

libido guſtus in variis hisce mundi regionibus abhorreat, tamen id, quod ſemel in vna earum inprimis *formoſum* agnoſcitur, quoque in reliquis omnibus ita putari. Vbi autem iudico de forma bella id immiſcetur, quod in lineamentis morale eſt: guſtus in viris diuerſis ſemper valde diuerſus eſt; cum pro diuerſitate ſenſus eorum moralis, tum pro ſignificatione diverſa expreſſionis in ore ex cuiusque opinione. Videmus, eas formas, quae primo adſpectu haud magnam vim exſerunt, quoniam haud omnium conſenſu bellae ſunt, plerumque, ſimul atque adcuratius cognitae incipiunt placere, etiam multo magis capere ſemperque reddi pulcriores videri; contra forma bella, ſeſe ſemel indicans, poſtea maiori frigore percipitur, cuius ſine dubio cauſſa eſt, quod venuſtates morales, vbi conſpiciuntur, eo magis vinciunt, itemque quia non niſi occaſione ſenſationum moralium efficaces ſunt, quaſique aperire poſſunt, quaeque vero nouae venuſtatis patefactio plures earum facit exſpectari; cum e contrario vniuerſis ſuauitatibus, quae nullo ſeſe modo celant, poſteaquam initio vim omnem exſeruere, deinde effici nihil quidquam amplius poteſt, quam vt petulantia amatoria refrigeretur paullatimque ad vilitatem reuocetur.

In hisce obſeruationibus neceſſario ſeſe hoc ſcholion offert. Senſus prorſus ſimplex ac rudis inclinationibus ſexuum recta quidem ad magnum illud naturae conſilium ducit, et dum iis, quae ea poſtulat, ſatisfacit, valet perſonam ipſam ſine circuitu felicem reddere; ſed propter magnam illam vniuerſalitatem facile degenerat in exorbitantiam et nequitiam. Ex altera quidem parte guſtus admodum expolitus facit cupiditatem effrenatam ferocitate priuandam, eamque tantummodo ad res per paucas adſtringendo, moralem reddendam ac decoram; verum plerumque a magno illo naturae ſcopo aberrat, et cum plus poſtulet vel exſpectet, quam hic plerumque praeſtat, perraro perſonam ſolet ſenſationis tam delicatae felicem

reddere. Illud animi ingenium durum fit atque aſperum, quoniam omnes ſpectat vnius ſexus; altera ſcrutans, quoniam proprie nullum ſpectat, ſed modo in re occupatur, quam inclinatio amatoria ſibi cogitatione fingit, omnibusque generoſis proprietatibus et pulcris exornat, quas natura raro in vno homine copulat, rariusque illi adfert, qui nouit illius pretium ſtatuere et fortaſſe eiusmodi poſſeſſore dignus erit. Inde exſiſtit dilatio tandemque renuntiatio coniunctionis coniugalis, aut, quod fortaſſe pariter malum eſt, poenitentia moroſa poſt optionem factam, qua ſpes magnae, quas conceperas, haud explentur; neque enim raro gallus gallinaceus Aeſopicus vnionem reperit, cui vulgare granum hordei conuenientius fuiſſet.

In quo quidem omnino animaduerti poteſt, vt maxime illecebroſae impreſſiones fuerint ſenſus teneri, tamen eſſe, cur in expoliendo eo caute verſeris; niſi ex nimia irritabilitate multam aegritudinem velis et fontem malorum tibi acute comminiſci. Ac generoſioribus animis ſuaſerim, vt ſenſum, reſpectu proprietatum, quae iis ipſis competunt, actionumue, quas ipſi peragunt, quantum poſſint, expoliant, contra ratione eorum, quibus fruuntur, aut quae ab aliis exſpectant, guſtum in ſimplicitate ſeruent; ſi modo intelligerem, quo modo iſtud effici poſſet. Quod ſi autem fieri poſſet, et alios felices redderent, et ipſi fiunt felices. Numquam negligi debet, in quocumque genere felicitates vitae hominumque perfectionem pleniſſimas exſpectari; nam is, qui ſemper tantummodo quiddam mediocre exſpectat, hoc habet commodi, vt euentu raro ſpes ſua refutetur, contra nonnumquam perfectiones inopinatae eum opprimant.

Vniuerſis iſtis venuſtatibus poſtremo ſenectus minatur, magnus ille vaſtator pulcritudinis, et, ſi ex ordine naturae euenire debeat, ſenſim proprietates excelſae ac generoſae locum occupare debent pulcrarum, vt perſona, pro eo ac deſinit amabilis eſſe, ſem-

per obseruantia maiori digna reddatur. Ex mea quidem sententia in simplicitate pulcra, quae sensu polito eorum omnium, quae venusta et generosa sunt elata est, vniuersa pulcri sexus perfectio in flore aetatis consistere deberet. Paullatim, pro eo atque venustatum laudes pereunt, lectio librorum perspicientiaeque dilatatio locum vacuum posset gratiarum Musis explere et maritus primus deberet praeceptor esse. Nihilominus, adueniente in feminis ipso tempore senescendi, tamen tum etiamnum ad pulcrum sexum pertinet, seipsumque dehonestat, si ex desperatione quadam characterem istum diutius tuendi acerbitati se difficili ac morosae tradat.

Persona multorum annorum, quae ingenio modesto et omni coetui interest, ratione laeta sanaque loquitur, voluptates iuuentutis, quarum non ipsa in communionem venit, decenter, adiuuat, et, omnibus prospiciendo, adprobationem delectationemque ex laetitia prodit, etiam persona politior est, viro paris aetatis, et fortasse amabilior, quam puella, quamquam alio sensu. Amor quidem Platonicus nimium mysticus fuerit, quem quidam philosophorum veterum simulauit, cum de re inclinationi suae proposita dixit: *Gratiae sedent in rugis illius, meaque mens videtur in labris meis versari, cum os illius flaccidum deosculor.* Sed eiusmodi exspectationes tunc quoque mittendae sunt. Vir senex amore sese captum simulans, ineptus est, similisque alterius sexus exspectationes tum taedium creant. Natura numquam in culpa est, cum non haud bona cum decentia prodimus, sed id in culpa est, quod eam velis peruerti.

Ne propositum meum ex adspectu amittam, nonnullas adhuc inuestigationes instituam de contagione, quae esse sexus vnius esse potest cum altero, ad eius sensum expoliendum atque excolendum. Mulieris sensus praecipuus *pulcri* est, quatenus istud *illis ipsis* competit; sed *generosi*, quantum in *sexu virili* deprehenditur. Contra

viri ſenſus certus eſt *generoſi*, ad proprietates eius *pertinentis: pulcri* autem, quatenus in *feminis* reperitur. Inde, neceſſe eſt, conſequatur, vt fines naturae id ſpectent, vt vir inclinatione ſexus eo magis *generoſus* reddatur, et mulier per eamdem eo *pulcrior* efficiatur. Femina parum curat, certas quasdam ſubtiles cognitiones ſeſe non habere, timidam eſſe atque ad grauia negotia haud idoneam et ſic porro, pulcra eſt et capit, idque ſatis eſt. Contra has omnes proprietates poſtulat ea in viro, animique altitudo illius tantummodo ſe eo prodit, quod iſtas proprietates generoſas ſcit aeſtimare, quatenus in illo inueniuntur. Qui alioquin fieri poſſet, vt tot virum ora deformia, quamuis laudibus pollere poſſint, tam bellas poſſent venuſtasque vxores ducere. Contra eo vexo vir longe delicatior reſpectu venuſtatum elegantiorum feminarum. Forma illius, laetaque ratione natiua et comitate illecebroſa ſatis compenſatur ei defectus eruditionis e lectione librorum collectae aliarumque rerum, quas ſuis propriis dotibus reſarcire debet. Vanitate et conſuetudinibus impertiri quidem his cupiditatibus naturalibus falſa directio poteſt, ex multisque viris fieri *Graeculus*, ex feminis autem *paedagoga* vel *Amazo;* verum natura tamen ſemper conatur ad ordinem eos reuocare. Inde poteſt intelligi, quam magnas vires inclinationum ſexus eſſe poſſint potiſſimum in ſexu virili, ad eum expoliendum, ſi, loco multarum ieiunarum inſtitutionum, ſenſus moralis mulierum nature euolueretur, vt ea rite ſentirent, quae dignitatem ſpectant, excellentesque proprietates ſexus alterius, eoque praepararentur ad ſimiam puerilem deſpiciendam, nullisque ſeſe proprietatibus dandum, quam laudibus et meritis. Praeterea certum eſt, vim venuſtatum earum eo omnino incrementa capturam eſſe; videamus enim earum praeſtigias plerumque non niſi in animis generoſioribus vim ſuam exſerere, caeteri haud ſatis acuti ſunt ad eas percipiendas. Non minus *Simonides* poëta, cum ei ſuaderetur, vt cantus dulces *Theſſalis* oſtenderet,

iſti homines, ait, *hebetiores ſunt, quam a tali viro poſſint, qualis ego ſum, decipi.* Iam alias opinio fuit, conſuetudine feminarum mores viriles effici leniores rationemque viuendi elegantiorem ac politiorem, decorumque venuſtius; verum iſtud commodum duntaxat eſt in παρέργοις *). Plurimum intereſt, vt vir qua vir et femina qua femina reddantur perfectiores, id eſt, vt cauſſa atque elateres adpetitus procreandi voluntati naturae conuenienter agant, alterumque reddant generoſiorem, proprietatesque alterius venuſtiores. Vniuerſis ad ſummum adductis, vir, laudibus fretus dicere poterit: *etſi memet haud amatis, tamen vos cogam, vt magni me faciatis*, mulierque, freta venuſtatem reſpondebit: *etiamſi nos haud intus magni faciatis, tamen vos cogimus vt nos ametis.* Deficientibus iſtis principiis viros videmus, vt placeant, mores recipere muliebres, feminasque nonnumquam (quamvis multo rarius) decentiam virilem adfectare, vt obſeruantiam inſtillent; quae autem fiunt contra naturam, ſemper praue fiunt.

In vita coniugali pari coniuncto debet vna quaſi perſona moralis effici, quae per viri prudentiam vxorisque guſtum animata gubernatur. Neque enim ſolum, quod illi maior peritia queat in experientia fundata tribui, ingenium animi, quo excellentius eſt, eo eſt etiam propenſius, ad ſummum laborum conſilium in tranquillitate rei amatae ponendum, contraque quo pulcrius eſt, eo magis elaborat liberalitate iſtum laborem referre. Igitur in eiusmodi ratione certamen de principatu puerile eſt, et, vbi iſtud adparet, notа certiſſima guſtus ruſtici, vel inaequaliter copulati.

*) Hoc commodum admodum minuitur eo, quod quidam voluerunt animaduertiſſe, eos viros, qui maturius frequentiusque eiusmodi coetibus illigati ſunt, in quibus mulieres modo praeeunt, plerumque fieri aliquantum pueriles, in vſuque cum viris longos eſſe vel etiam aſpernandos, idcirco quia guſtum perdiderunt occupationis, quae laeta quidem, ſed cui verum pretium ineſſe, iocoſa quidem, ſed etiam colloquiis feriis vtilitatem adferre debet.

Cum eo res redierit, vt de iure praefecti agatur, cauſſa iam maxime perdita eſt; vbi enim vniuerſa copulatio reapſe ſolum in inclinatione conſtituta eſt, ibi iam propemodum diuulſa eſt, ſimulatque ſermo exſiſtat de debita. Vindicatio mulierum hac oratione dura maxime turpis eſt, viroque ſumme et indecora et contemnenda. Interim ordo rerum ſapiens ſic fert, vt omnes iſtae venuſtates atque blanditiae duntaxat initio vim vniuerſam ſuam exſerant, poſtea vero conſuetudine curaque domeſtica paullatim fiant hebetiores, ac tum in amorem degenerent familiarem, vbi tandem vniuerſa ars in eo conſiſtit, vt ſatis earum reliquae ſeruentur, ne aequalitate ac taedio vniuerſum oblectationis pretium tollatur, propter quod vnice operae pretium fuit, ac eiusmodi coniunctionis conditionem accedere.

SECTIO QUARTA.

DE CHARACTERIBUS NATIONIBUS PROPRIIS *) QUATENUS DIVERSO SUBLIMITATIS SENSU AC PULCRITUDINIS NITUNTUR.

In nationibus noſtrae mundi partes ex mea quidem ſententia *Itali* et *Francogalli* ſenſu *pulcritudinis*,

*) Minime mihi propoſitum eſt, characteres nationum fuſe depingere; ſed quasdam modo lineas deſigno, quibus ſenſus ſublimitatis in iis ac pulcritudinis exprimitur. Facile poteſt intelligi, talium deſcriptionum veritatem poſſe mediocrem deſiderari, exemplaria illarum non niſi in multitudine eorum, qui ſenſum ſibi elegantiorem vindicant, eminere, nullique nationi animorum ingenia deeſſe, quibus praeſtantiſſimae huiusce generis proprietates copulentur. Idcirco vituperio, quod opportune in populum ceciderit, nemo homo poteſt offendi, ſi quidem ita comparatum eſt, vt illud quisque velut pilam poſſit in vicinum coniicere. Quae discrimina nationibus propria vtrum fortuita ſint ex temporibusque et forma regiminis pendeant, an per certam quamdam neceſſitatem cum climate coniuncta ſunt, hoc loco haud anquiro.

ſed *Theodiſci*, *Angli* atque *Hiſpani* ſenſu *ſublimitatis* omnes reliquas maxime excellere. *Hollandia* poteſt ea regio haberi, vbi hic ſenſus elegantior admodum euaneſcit. Pulcrum ipſum vel praeſtigioſum eſt ac mouens, vel ridens ac venuſtum. In illo ſuperiori certum quiddam ſublime ineſt, animusque in hoc ſenſu meditabundus eſt atque alienatus in ſenſu huiusce poſterioris autem ſubridens ac laetus. Italis prius ſenſus pulcri genus, Francogallis alterum potiſſimum videtur conuenire. In charactere nationi proprio, in quo expreſſio ineſt ſublimitatis, ſublimitas ea aut de genere terribiliori eſt, quod paullulum vergit ad portentoſum, aut in ſenſu conſiſtit vel generoſi, vel magnifici. Videor iure poſſe me ſenſum primi illius generis Hiſpano, ſed ſecundi Anglo, tertiique Theodiſco tribuere. Senſus magnificentiae natura ſua non exemplar eſt, vti caetera guſtus genera; et quamquam ſtudium imitandi poteſt cum quouis alio ſenſu coniunctum eſſe, tamen iſtud magis cadit in ſenſum ſplendide ſublimium; quippe qui reapſe ſenſus mixtus eſt ex pulcro ac generoſo, vbi quisque per ſe ſpectatus frigidior eſt, ideoque animus ſatis libertate pollet, in iis coniungendis exempla attendendi, quorumque etiam impulſu illi opus eſt. Quamobrem Theodiſco minor ſenſus pulcri erit, quam Francogallo, minorque eorum, quae ſublimitatem ſpectant, quam Anglo: verum in cauſſis, vbi vtrumque coniunctum videri debet, ſenſui eius conuenientius erit, vti quoque vitia facile euitabit, in quae nimia cuiusque eorum ſenſus generum vis virtusque ſolum poſſet incidere.

Duntaxat leuiter artes attingo ac diſciplinas, quarum optione poteſt nationum guſtus, quem iis attribuimus, confirmari. Ingenium Italicum praecipue in arte muſica et pictura, et ſtatuaria et architectura excelluit. His artibus pulcris omnibus guſtus par ſubtilis fauet in Francogallis, quamquam pulcritudo earum in illis minus ſit cum commotione animi con-

Digitized by Google

iuncta. Guſtus reſpectu perfectionis poëticae vel oratoriae in Francogallis magis ad pulcrum pertinet, in Anglis autem magis ad ſublime. Ioci faceti, comoedia, ſatyra ridens, nugae amatoriae et genus dicendi facile fluens et naturaliter, illic exemplaria ſunt. Contra in Anglis cogitationes argumenti arguti, tragoedia, carmen epicum, omninoque aurum graue ſalium ac leporum, quod malleo Francogallico lamina tenui magnae ſuperficiei poteſt extendi. In Theodiſcis ingenium etiamnunc valde micat per bracteam. Olim fuit clamans, exemplis autem ſolertiaque nationis venuſtius quidem factum eſt eſt et generoſius, illud vero minori ratione natiua, hoc motu minus audaci, quam in dictis illis nationibus. Guſtu ordinis putidae in Hollandis elegantiaeque, ſollicitudinem et ambiguitatem adferentis, fit, vt parum ſenſus reſpectu motuum ingenii ſimplicium et liberorum ſuſpicari poſſimus, cuius pulcritudo vitiis anxie euitandis deformaretur. Nihil vniuerſis poteſt artibus ac diſciplinis magis contrarium eſſe, quam guſtus portentoſus: quippe qui naturam obtorquet, quae exemplar eſt omnis pulcri et generoſi. Idcirco nationi Hiſpanicae parum quoque ſenſus et pulcrarum artium ac diſciplinarum prodidit.

Characteres animi in nationibus maxime conſpicui in eo ſunt, quod eſt in iis morale; qua propter ſenſum earum diuerſum reſpectu ſublimitatis et pulcritudinis ad hunc modum contemplabimur *).

Hiſpanus ſerius eſt et taciturnus ac verax. Pauci inueniuntur in orbe terrarum mercatores probiores Hiſpanicis. Mentem alit ſuperbam ſenſuque magis

*) Vix opus eſt, vt hoc loco ſuperiorem excuſationem repetam. In quouis populo pars politiſſima continet characteres omnis generis glorioſos ac laudabiles, et, in quem hoc illudue vituperium cadat, is, ſi ſatis excultus ſit ac perpolitus, quid e re ſua ſit, intelliget, ſcilicet vt quemque aliam ſorti ſuae permittat, ſed ſe ipſo excepto.

mouetur magnarum actionum, quam pulcrarum. Cum in temperamento eius parum beniuolentiae benignae et lenis deprehendatur, fit, vt saepius durum se praebeat adeoque crudelem. Supplicia solemni pompa religionis caussa (*auto da fe*) non tam per superstitionem etiamnum celebrantur, quam per inclinationem nationis portentosam, quae pompa venerabiliter terribili mouetur, qua vestem figuris diabolorum depictam (*san benito*) flammis, a deuotione furibunda incensis, tradi videt. Dici non potest, Hispanum superbiorem esse, aut amatoriis leuitatibus magis deditum, quam quemque ex alio populo: verum vtrumque est modo portentoso, qui rarus est atque insolitus. Aratrum relinquere gladioque longo cinctum et pallio in agro obambulare donec peregrinator praeterierit, vel in pugna taurorum, vbi mulieres velo denudatae conspiciuntur, dominam singulari salute indicare et tum in honorem illius periculosum certamen cum fera bellua inire, in actionibus sunt insolitis et raris, ab natura longe recedentibus.

Italus sensum videtur mixtum habere ex sensu Hispani et Francogalli; maiorem pulcri sensum quam Hispanus, et maiorem sublimitatis, quam Francogallus. Hoc modo reliqui, vt mea fert opinio, ductus characteris moralis in eo explicari queunt *).

In *Francogallo* sensus obtinet pulcri moralis. Est lepidus et comis et officiosus. Repente fit familiaris, iocosque amat et libertatem in conuersando, et vocabulo *viri femineue elegantis* vis inest potestasque non nisi illi intelligenda, qui sensum sibi venustum Francogalli comparauit. Ipsae sensationes illius sublimes,

*) In metaphysica, philosophiaque morali et religionis doctrinis, haud satis potest circumspectionis quoad scripta huius nationis adhiberi. In iis plerumque pulcrae obtinent praestigiae, in inuestigatione lenta explorationem haud sustinentes. Francogallus audaciam amat in pronuntiando; sed, vt ad veritatem peruenias, opus non audacia est, sed circumspectione. In historia amat ἀνέκδοτα, in quibus nihil quidquam desideratur praeter veritatem.

Digitized by Google

quarum illi haud paucae ſunt, ſenſui pulcrae ſubiectae ſunt et vim ſuam tantummodo accipiunt ex conſpiratione cum ſenſu pulcri. Lubenter facetus eſt, cogitationique ſine vlla haeſitatione aliquid veritatis concedet. Contra, vbi non licet facetum eſſe pariter cognitionem doctam demonſtrat, quam quispiam ex vllo quodam alio populo, velut in mathematicis caeterisque artibus ac diſciplinis ieiunis vel ſubtilibus. *Dicti faceti* penes eum haud pretium eſt tenue, quam alibi, cupide diuulgatur et libris conſeruatur, tamquam res eſſet grauiſſima, Ciuis eſt quietus, vexationesque publicanorum vlciſcitur ſatyris, admonitionibus ad curiam regni perferendis, quibus, poſteaquam populi patribus pulcram patriae amoris ſpeciem impertiuerunt, nihil quidquam amplius efficitur, quam vt relegatione glorioſa coronentur, aut carminibus laudatoriis argutis celebrentur. Res, quas laudes facultatesque nationales huius populi maxime referuntur, mulieres ſunt *). Non, quaſi hic plus quam alibi amarentur vel aeſtimarentur, ſed quoniam optime anſam praebent, iucundiſſimarum dotum ingenii, feſtiuitatisque et decorum bonorum manifeſtandarum; caeterum homo vanus vtriusque ſexus ſemper

*) Mulieres in Francogallia vniuerſis congregationibus vniverſaeque conſuetudini rationem modumque praeeunt. Iam quidem haud poteſt negari, coetus ſine feminis ſatis inelegantes atque inconcinnos longosque eſſe; ſed femina in iis ratione pulcra praeeat, vir ex ſua parte praeire generoſo deberet. Sin minus conſuetudo aeque longa erit, ſed ex ratione contraria, ſiquidem nihil quidquam tantum taedii iniicit, quam mera dulcedo. Secundum guſtum Francogallicum non dicitur: herusne domi eſt, verum herane domi eſt? hera ſedet coram abaco, hera vexatur vaporibus (qui genus ſunt nugarum pulcrarum); ad ſummam in hera et de hera omnes occupantur ſermones et oblectationes. Interim permultum abeſt, vt mulieres eo ſint honoratiores. Homo, qui nugatur, ſemper ſenſu caret, cum vere obſervantiae, cum vero etiam amoris tenerioris. Quouis noluerim praemio id dixiſſe, quod *Rouſſeauius* tam fidenter adſerit: *mulierem numquam quidquam amplius eſſe, niſi puellam adultam.* Sed Heluetius acutus haec ſcripſit in Francogallia et fortaſſe, qui tam magnus eſſet patronus feminarum, ſtomachabundus intellexit, eas haud maiori obſeruantia.

duntaxat se ipsum amat: alter illi tantummodo ludus est. Cum Francogalli minime proprietatibus careant generosis, dummodo istae sensatione pulcri solum possunt animari: mulierum vis posset maior esse in actionibus generosissimis virorum excitandis mouendisque, quam vspiam alibi in terrarum orbe, si opera daretur huic ingenio nationi proprio adiuuando. Dolendum est, lilias haud nere.

Vitium huic characteri nationi proprio proxime vicinum est puerile, siue vt molliori verbo exprimam, leue. Res graues tractantur velut ioci, minutiaeque sunt occupationi maxime seriae. In senectute Francogallus laetas cantilenas cantat, et, quantum potest, suauis quoque erga mulieres. Harum animaduersionum auctores habeo graues eiusdem nationis mihi adsentientes, et memet recipio in terga Montesquieui et Alemberti, vt ab omni metuenda indignatione tutum me praestem.

Anglus initio cuiusque notitiae frigidus est, erga quemque alienum indifferens. Parum est ad parua officia propensus; contra, simul atque amicus est, pronus fertur ad officia magna. Parum laborat in vsu facetum esse, decentiamque bellam ostendere, contra ea vero prudens est et grauis. Malus est imitator, parumque curat quod alii sentiant, et solum suum gustum sequitur. Ratione mulierum non est festiuitate Francogallica, sed longe maiorem erga eas obseruantiam declarat, quam fortasse nimium intendit, propterea quod in matrimonio vxori plerumque auctoritatem immensam concedit. Constans est, nonnumquam vsque ad pertinaciam, et audax certusque, saepenumero vsque ad temeritatem agitque ex principiis plerumque vsque ad libidinem. Facile eo vsque procedit, vt contra morem consuetudinemque ciuilem omnia agat, non quidem per vanitatem, sed quia alios parum curat, gustuique suo propter officium vel imitationem haud facile vim adfert; idcirco raro tanto-

pere amatur, quam Francogallus, ſed, ſi innotuerit, plerumque pluris habetur.

Theodiſco ſenſus eſt mixtus ex Angli ſenſu et Francogalli, priori tamen proxime accedere videtur, maiorque ſimilitudo huius poſterioris tantummodo adfectata eſt et imitando comparata. Temperamentum eius felix eſt cum in ſubtili tum pulcro ſentiendo; et ſi ſenſu ſubtilitatis Anglum haud aequet, nec pulcri ſenſu Francogallum: vtrumque vincit coniungendo. Plus officii ſuperiori demonſtrat in conſuetudiue, et quamquam haud tantum alacritatis iucundae ingeniique in coetum adfert, quam Francogallus, tamen maiorem in eo modeſtiam et prudentiam oſtendit Vti in quouis guſtus genere, ita quoque in amore ſatis ad viam inſtitutus eſt, et dum pulcrum cum generoſo copulat, in vtroque ſentiendo ſatis frigidus eſt, ad ingenium deliberationibus decentiae, magnificentiaeque atque attentionis occupandum. Idcirco familiae, tituli, ordines cum reſpectu ciuili tum ratione amoris illi in rebus ſunt magni momenti. Longe magis, quam caeteri ſuperiores, curat, *quod homines de ſe iudicauerint*, et ſi quid ſit in charactere illius, quod excitare poſſit deſiderium emendationis totius, haec imbecillitas erit, qua haud audet exemplar videri, quamquam illius vniuerſae dotes ei ſint, nimiumque ad opinionem aliorum deſcendat, quo proprietates morales omni firmitate priuantur, propterea quod verſipelles redduntur ac mobiles falſoque adfectatae.

Hollandus animi ingenio bono proboque ac ſedulo, et, quia ſolum vtilitatem ſpectat, parum ſenſu pollet eorum, quae ſubtiliori ſignificatione pulcra et ſublimia videntur. Vir magnus illi idem eſt, qui opulentus, amicum vocat, quocum vſu iunctus eſt literarum mutuarum, ſalutatioque ei admodum taedioſa eſt, ſi nullam vtilitatem adferat. Diſſimilis eſt cum Francogalli, tum Angli, et quodammodo Theodiſcus eſt lentiſſimus.

Quodſi periculum iſtarum cogitationum in vlla quadam cauſſa ad vſum transferamus, vt exempli gratia ſenſum honoris conſideremus, haec nationum discrimina conſpiciemus. Senſus honoris in Francogallo *vanitas* eſt, in Hiſpano *faſtus*, in Anglo *ſuperbia*, in Theodiſco *inſolentia*, in Hollando *elatio animi*. Haec vocabula prima ſpecie idem denotare videntur, ſed discrimina deſignant maxime conſpicua. *Vanitas* adpetit adſenſum, leuis eſt ac mobilis; ſed externa eius ratio *comis* eſt et vrbana. *Faſtuoſus* plenus eſt oblectatione magna falſo credita nec parum ambit adſenſum aliorum, mores eius rigidi ſunt atque *elati*. *Superbia* proprie cernitur tantummodo in conſcientia maioris pretii proprii dignitatisque, quod ſaepe poteſt veriſſimum eſſe (quapropter etiam ſubinde generoſa vocatur; numquam autem cuipiam faſtum tribuere generoſum poſſum, quippe qui ſemper falſam ſui ipſius aeſtimationem et nimiam indicat). Mores ſuperbi erga alios ſunt *indifferentes* et frigidi. *Inſolens* eſt ſuperbus et idem vanus. Adſenſus autem, quem ab aliis expetit, in honoribus teſtificandis verſatur. Idcirco ſplendorem amat ex titulis, ſtemmatibusque et pompa. Theodiſcus inprimis hoc vitio infectus eſt. Vocabulis clementis, propenſiſſimi, illuſtriſſimi, generoſiſſimi, et id genus aliis tumoribus oratio rigida redditur et ingrata, pulcraque ſimplicitas, quam alii populi orationi ſuae impertire poſſunt, impeditur. Mores *inſolentis* in vſu hominum cernitur in *caerimoniis*. *Elatus* eſt ſuperbus perſpicuas deſpicientiae aliorum notas moribus prodens. In vita *ruſticus* eſt. Haec miſera proprietas omnium longiſſime a guſtu ſubtiliori abhorret, ſiquidem aperte ſtupida eſt; neque enim haec profecto via eſt ſenſui honoris ſatisfaciendi, cum manifeſto contemtu omnes ad odium provocantur cauillationemque mordacem.

In amore Theodiſcus et Anglus ſtomacho ſunt ſatis firmo ac valente, aliquantum ſenſu ſubtiles, ſed

Digitized by Google

guſtu magis ſano atque *aſpero*. Italus ea in re *rimatur*, Hiſpanus *delirat*, Francogallus *ligurit*.

Religio noſtrae mundi partis non eſt a guſtu libidinoſo profecta, ſed originis magis venerandae. Idcirco quoque intemperantiam illius, et quod ad hominem in ea proprie refertur, notae eſſe poſſunt variarum proprietatum nationibus propriarum. Quam quidem religionis intemperantia conceptu hoc quadruplici complector: et *credulitatis*, et *ſuperſtitionis*, et *fanaticiſmi*, et *indifferentiſmi*. *Credulus* plerumque pars cuiusque nationis ignorans eſt, quamquam haud ſenſu ita ſubtiliori vtitur. Perſuaſio illi tantummodo pendet ex auditione ac rumore et auctoritate putatitia, haud vlla ſpecie ſenſus ſubtilioris rationem atque elaterem ſuppeditante. Exempla vniuerſorum populorum quaerenda ſunt in ſeptemtrionibus. Credulus, guſtu vtens portentoſo, conuertitur in *ſuperſtitioſum*. Hic guſtus adeo per ſe ipſe in cauſſa eſt, cur quodpiam facilius credatur, *) atque ex duobus hominibus, quorum alter hoc ſenſu infectus, alter autem ingenio animi frigido eſt et temperato, ille etiamſi magis ſapiat, tamen, quae in eo obtinet, inclinatione facilius inducetur ad aliquid monſtroſi credendum, quam hic, qui non cognitione ſua, ſed ſenſu vulgari tardoque contra intemperantiam iſtam munitur. Superſtitioſus inter ſeſe et rem ſummam venerationi ſubiectam lubenter certos quosdam homines potentes atque ingentes, vt ita dicam, gigantes ſanctitatis collocat, quibus natura obtemperet, quorumque voce adiurante portae tartari ferreae et pandantur, et concludantur,

*) Alias animaduerſum eſt, Anglos, populum tam ſagacem, nihilominus facile promulgationi mirae rei abſurdaeque poſſe decipi, ita vt initio credant; cuius rei multa exempla feruntur. Sed animi ingenium audax, varia experientia praeparatum, qua multae res mirae nihilominus ſunt inuentae verae, celeriter paruas difficultates perrumpit, quibus ingenium hebes ac diffidens mox retinetur, atque ita immerito ei nonnumquam ab errore cauetur.

qui, vertice caelum tangentes, pede ſtant in terra humili. Inſtitutioni rationis ſanae proinde in *Hiſpanis* magna erunt impedimenta ſuperanda, non ideo, quod illi ignorantia ibi expellenda eſt, ſed quoniam guſtus quidem mirus ei aduerſatur, cui, quod naturae convenit, triuiale eſt, et qui numquam putat ſenſu ſublimi ſeſe moueri, niſi res ei propoſita portentoſa ſit. *Fanatiſmus* poſitus in temeritate eſt, vt ita dicam, deuota et certa quadam ſuperbia nimiaque ſui fiducia excitatur, quo propius ad naturas caeleſtes accedat miroque volatu ordinem conſuetam ac praeſcriptam ſuperet. Fanaticus non niſi de inſpiratione proxima vitaque adſpectabili loquitur atque intuitiua, cum e contrario ſuperſtitioſus coram ſimulacris magnorum ſanctorum miracula patrantium vota nuncupet, fiduciamque in laudibus opinatis haud imitandis aliorum hominum ſui ipſius naturae collocet. In ipſis intemperantiae generibus vti ſupra monuimus, notae inſunt ſenſus nationibus proprii, atque ita fanaticiſmus. *) certe ſuperiorum temporum, maxime exſtitit in Germania et Anglia, quaſique quidam Stolo eſt ſenſus generoſi, ad characterem iſtorum populorum pertinentis, omninoque multum abeſt, vt pernicioſior ſit inclinatione ſuperſtitioſa, ſi ſtatim initio importuna ſit, quia aeſtus ingenii fanatici paullatim refrigeſcit et natura ſua tandem, neceſſe ſit, ad rectam temperantiam perueniat, cum e contrario ſuperſtitio in animi habitu tranquillo et patiente ſenſim profundius radices agit, hominique vincto fiduciam prorſus adimit, ſeſe vmquam ab opinione noxia liberandi. Tandem vanus et leuis ſemper caret ſenſu ſublimitatis acriori, eiusque religio motu caret, plerumque tantummodo res conſuetudinis eſt, quam omni cum feſtiuitate ob-

*) Fanaticiſmus ſemper eſt ab *Enthuſiaſmo* diſtinguendus. Ille commercium putat ſeſe proximum atque extraordinarium cum natura quadam celſiore ſenſu percipere; ſed hic ſtatum animi notat, cum vllo quodam principio iuſto plus incaluit, ſiue norma virtutis bonae, ſiue amicitiae, ſiue religionis, cum tamen ea in re opinio commercii vires naturae ſuperantis nihil quidquam agat.

ſeruat. Hic *indifferentiſmus* practicus eſt, ad quem ingenium nationi Francogallicae proprium omnium maxime pronum ferri videtur, vnde ad cauillationem friuolam diſtantia vnius gradus eſficitur, et qui reapſe, ſi pretium internum ſpectetur, a renuntiatione tota parum differt.

Quodſi adſpectu leui alias mundi partes perluſtremus, *Arabem* videmus hominem generoſiſſimum orientis, ſed ſenſu tamen praeditum, facile in portentoſa degenerante. Hoſpitalis eſt, magnanimus et verax; verum narratio eius atque hiſtoria omninoque ſenſus ſemper eſt cum mirabili perplexa. Phantaſia aeſtuans res illi imaginibus exhibet monſtroſis atque diſtortis, ipſaque propagatio religionis eius in magnis fuit portentis. Si Arabes quaſi Hiſpani ſint orientis, *Perſae* ſunt Aſiae Francogalli. Sunt boni poëtae, vrbani, guſtuque ſatis ſubtili. Parum ſtrenue obtemperant Islamo ingenioque animi ſuo ad hilaritatem propenſo interpretationem Corani ſatis leuem concedunt. *Iaponenſes* poſſent quaſi Angli iſtius mundi partis ſpectari: ſed vix in alia proprietate, quam conſtantia, quae vsque in extremam pertinaciam degenerat, quippe fortitudine mortisque deſpicientia. Caeterum paucas notas ſenſus ſubtilioris produnt. In *Indis* ſenſus obtinet *ineptiarum* eius generis, quod attingit portentoſum. Religio eorum conſiſtit in ineptiis. Simulacra idolorum ingenti figura, dens imiae potentis Hanumanni eximius, expiationes monſtroſae Faquirum (monachorum mendicantium paganorum) et id genus alia ſunt guſtum ſequuntur. Voluntaria vxorum deuotio in eodem rogo, quo cadauer mariti abſumitur, portentum eſt horribile. Ecquaenam puerilis ineptiae verbis officioſis *Sinenſium* longis atque excogitatis continentur? ipſae illorum picturae ineptae ſunt, et figuras miras ac portentoſas referunt, quales nuspiam in orbe terrarum reperiuntur. Sunt quaedam etiam ineptiae illorum venerabiles, idcirco quia

Digitized by Google

inde ab antiquiſſimis temporibus in vſu ſunt,*) nullaque ratio earum plures habet, quam iſti.

Aethiopum in Africa nullus ſenſus eſt ſuperans puerile. Humius, qui quemque prouocat, vt exemplo vno doceat, Aethiopem quemdam dotes ingenii prodidiſſe, contendit: in centenis millibus Nigrorum, qui ex prouinciis illorum aliorſum deducantur, quamvis eorum permulti manu mittantur, tamen ne vnum quidem vmquam inuentum eſſe, qui vel in arte, vel ſcientia, vel vlla alia laude quadam magni quid praeſtiterit, quamquam in Albis ſemper quidam ex infima plebe emergunt inſignibusque muneribus famam ſibi inter homines auctoritatemque pariunt. Adeo verum horum duorum generum humanorum discrimen eſt, tantumque illud reſpectu facultatum animi, quam coloris, eſſe videtur. Religio inter eos longe lateque propagata Fetiſſorum fortaſſe quoddam genus eſt idololatriae, quod tantopere vergit ad puerile, quantum fieri ab humana natura poſſe videatur. Penna auiculae, cornu bubulum, concha, vel quaeuis alia res triuialis, ſimulatque verbis quibusdam conſecratae ſunt, res eſt cultui obnoxia inuocationique in iuribus iurandis. Nigri admodum vani ſunt, ſed pro ratione Nigrorum, et adeo loquaces, vt fuſtibus ſint dispellendi.

Nulla omnium *ferorum* natio eſt, quae characterem animi adeo ſublimem proderet, quam *Americae ſeptemtrionalis*. Senſu pollent graui honoris, quem conſequantur, dum portenta fera centum milliariorum conquirunt, maxime diligenter deminutioni illorum cauent, cum hoſtis aeque durus comprehenſos cruciatibus immanibus cogit, vt gemitus ignauos emit-

*) Peccini eti mnum caerimonia ſeruatur, vt, ſole vel luna deficiente magno ſtrepitu draco pellatur, qui iſta corpora caeleſti vult deuorare, ſeruaturque conſuetudo miſera ex antiquiſſimis temporibus, quamquam nunc melius edocti ſunt.

tant. Ferus Canadianus caeteroquin verax est et probus. Amicitia, quam init, pariter portentosa est ac fanatica, atque ea, quae vmquam ex antiquissimis temporibus et fabulosis relata sunt. Egregie superbus est, vniuersumque libertatis pretium intelligit, nec vel in educatione tractationem sustinet, ex qua sensu submissionis humilis moueretur. Probabile est *Lycurgum* ipsis eiusmodi feris hominibus leges tulisse; et si legislator in sex illis nationibus exsisteret, rempublicam Spartanam videremus in nouo mundo oriri; quemadmodum expeditio Argonautarum ab expeditionibus istorum Indorum parum distat, nec Iason nulla re *Attacacullacullae* praestat, nisi honore Graeci nominis. His feris omnibus parum sensus inest pulcri significatione morali, et magnanimo offensionis condonatio, generosa eadem et pulcra, vt virtus in feris prorsus ignoratur, sed instar ignauiae misere despicitur. Fortitudo maxima laus feri est, vltioque dulcissima voluptas. Caeteri huiusce mundi partes indigenae pauca produnt vestigia characteris animi, ad sensationes subtiliores idonei et torpore miro nota efficitur huiusce generis hominum.

Quodsi rationem sexus in istis mundi partibus contemplemur, videmus, *Europaeum* solum arcanum aperuisse inuitamenta sensitiua inclinationis magnae tot floribus exornandi totque rebus moralibus pertexendi, vt iucunditates eius non solum praeter modum auxerit, verum etiam admodum decentes effecerit. Habitatori *orientis* ea in re gustus egregie falsus inest. Quoniam nullam cogitationem habet de pulcro morali, quod cum hoc adpetitu possit coniungi: pretium adeo perdit voluptatis sensuum, et gynecaeum ei fons est perpetuus perturbationis. Ad varias incidit ineptias amatorias, in quibus ornamentum putatium vnum ex praecipuis est, quo inprimis studet potiri, cuiusque vniuersum pretium in eo consistit, quod confingitur, et de quo omnino in nostra mundi parte multa dubitantur maligne, ad cuiusque conseruatio-

nem inſtrumentis vtitur iniquiſſimis ſaepiusque ſtudioſis. Idcirco femina ibi ſemper degit in carcere, ſiue virgo ſit, ſiue viro nupta barbaro et impotenti ſemperque ſuſpicioſo. In terris *Nigrorum* ecquid melius exſpectari poteſt, quam quod vbique illic inuenitur, ſcilicet ſexus femininus in maxima ſeruitute? Homo timidus ſemper dominus eſt ſeuerus tenuibus, vti quoque apud nos ille vir ſemper tyrannum in culina agit, qui extra domum ſuam vix audet cuiusdam in conſpectum venire. Labatus narrat quidem, fabrum lignarium Aethiopem, quem de ratione ſuperba erga vxores obiurgaſſet, reſpondiſſe: *Vos albi ſtulti eſtis egregie, ſiquidem primo vxoribus nimium conceditis, et poſtea querimini, ſi vobis exercent.* Videtur etiam in eo quidpiam eſſe, quod fortaſſe dignum ſit, vt ſub deliberationem vocetur; ſed, ne multa, iſte homo a capite ad calcem totus niger fuit; quod argumento eſt perſpicuo, id, quod dixerat, abſurdum fuiſſe. In omnibus feris *Canades* ſoli ſunt, penes quos ſexus femininus maiori veriorique auctoritate pollet. Fortaſſe ea in re noſtrum mundi partem moratam vincunt. Non quaſi feminae ibi modeſte ſalutarentur; haec enim duntaxat verba ſunt. Sed reuera imperant. Congregatae de grauiſſimis nationis inſtitutis, de bello ac pace deliberant. Tum legatos mittunt ad ſenatum virilem, et plerumque earum ſuffragiis cauſſa decernitur. Verum hoc ius ſatis care emunt. Omnia negotia domeſtica curantes in communionem vendunt vniuerſarum moleſtiarum virilium.

Quodſi poſtremo aliquantum conſideremus hiſtoriam, guſtum hominum videmus, inſtar Protei, formas ſemper mutabiles induere. Antiqua Graecorum Romanorumque tempora notas prodidere perſpicuas veri ſenſus cum pulcritudinis, tum ſublimitatis, et in poëtice, et in ſtatuaria, et in architectura et in legislatione ipſisque in moribus. Imperio Caeſarum Romanorum ſimplicitas cum generoſa tum pulcra conuerſa eſt in magnificentiam et poſtea in ſpiendo-

rem falſum, de quo nos etiamnunc reliquiae eloquentiae illorum poëſeosque et morum hiſtoria poteſt docere. Sed hae quoque guſtus ſubtilioris reliquiae cum vniuerſa reipublicae ruina reſpirarunt. Barbari, potentia firmata, certum quemdam guſtum peruerſum introduxere, quem Gothicum vocant, ad ineptias redeuntem. Non ſolum in architectura viſae ſunt ineptiae, verum etiam in diſciplinis caeterisque. Senſus degener, cum ſemel arte falſa duceretur, facilius quamque formam aliam naturalem induit, quam veterem naturae ſimplicitatem, atque aut in nimium incidit, aut in puerile. Summus motus, quem ingenium humanum inſtituit, vt ad ſublimitatem adſcenderet, conſtitit in portentis. Videbantur et ſacra portenta et profana, et ſaepenumero genus quoddam hybridum ingratum et ingens vtrorumque. Monachi, miſſale vna manu altera vexillum, quos vniuerſa agmina victimarum decepturam ſequuntur, vt in aliis caeli regionibus ſanctiorique terra oſſa obruantur, bellatores conſecrati, votis ſolemnibus ad vim delictaque ſacrati, poſtea mirum genus delirorum heroicorum, qui equites ſe nominantes portenta conquiſiuerunt, decurſiones equitum, certamina ſingularia actionesque fabuloſae. Interea temporis religio vna cum diſciplinis et moribus per miſeras ineptias deformata eſt, et animaduertimus, guſtum haud facile ex vna parte degenerare, niſi ſimul quoque in caeteris omnibus, quae adſenſum ſubtiliorem pertinent notas oſtendat perſpicuas corruptionis. Vota monaſtica magnam partem hominum vtilium in coetus copioſos otioſorum ſedulorum conuerterunt, quorum vitae genus contemplatiuum eos aptos redderet, ad ſexcentas ineptias ſcholaſticas pariendas, quae inde ad minores coetus profectae genus ſuum propagarent. Tandem, ingenio humano ab euerſione propemodum vniuerſa per ſpeciem quamdam regenerationis feliciter rurſum euecto, noſtra aetate rectum pulcri ac generoſi ſenſum cum in artibus ad diſciplinis, cum reſpectu moralitatis efflореſcere, nihilque magis optandum eſt,

quam ne ſplendore falſo, qui tam facile decipit, nosmet ſenſim a ſimplicitate generoſa remoueamur; inprimis autem, vt arcanum educationis nondum apertum veteri opinioni excipiatur, quo ſenſus moralis in pectore cuiusque iuuenis coſmopolitae mature ad efficacem ſenſum perducatur, ne vniuerſa ſubtilitas tantummodo ad voluptatem leuem redeat et otioſam, ea, quae extra nos eueniunt, maiori minoriue guſtu diiudicandi.

XIII.

FINIS OMNIUM RERUM.

Dictum est, praesertim in sermone pio, vsitatum, hominem moribundum *e tempore transire ad aeternitatem.*

Quod quidem dictum reapse nihil enuntiaret, si hoc loco sub *aeternitate* tempus intelligeretur progrediens in infinitum; tum enim homo tempus numquam relinqueret, sed semper ex alio in aliud tempus migraret. Ergo illo, necesse est, intelligatur *finis* temporis vniuersi, perduratione hominis haud interrupta, ea vero duratio (exsistentia eius vt quantitas spectata) tamen etiam pro quantitate accipiatur cum tempore nullo modo comparanda (duratio noumenon), de qua sane quidem non possumus (nisi negatiuam) cogitationem nobis informare. In hac cogitatione quidpiam inest horribile: siquidem ea quasi ad marginem ducit voraginis, vnde, fieri non potest, vt in ea submersus reuertatur, sed inest tamen in ea quoque aliquid inuitamenti; namque non possumus non oculum retro actum denuo ad eam conuertere (nequeunt expleri corda tuendo. *Virgil.*). Ea terribiliter *sublimis* est: partim propter obscuritatem, in qua phantasia fortius quam claro lumine agere solet. Tandem ea tamen quoque cum vniuersa hominum ratione mirabiliter, oportebit, contexta sit: quoniam in omnibus populis ratiocinantibus, omnibusque temporibus, vno alteroue modo conuestita deprehenditur. — Dum igitur transitum e tempore ad aeternitatem (haec idea, theoretice, vt cognitionis dilatatio spectata, realitate obiectiua gaudeat, siue non) vti illam ipsa ratio respectu morali sibi concipit, persequimur; in *finem* impingimus *omnium rerum*, vt naturarum temporalium rerumque experientiae, quae possit esse, subiectarum: qui vero finis in ordine finium morali simul initium est durationis earum ipsarum naturarum vt *hyperphy-*

ficarum, proinde conditionibus temporis haud obnoxiarum, quae ideo eiusque ſtatus nulli determinationi alii qualitatis ſuae quam moralis capax erit.

Dies quaſi fetus ſunt temporis, quoniam dies ſequens, cum iis, quae complectitur, procreatio eſt antegreſſi. Quemadmodum autem partus parentum poſtremus vocatur vltimus; ſic quoque placuit diem poſtremum (pars tempus vniuerſum tempus finiens) *diem vltimum* dici. Igitur dies vltimus pertinet adhuc ad tempus: eo enim fit adhuc vllum quidpiam (non ad aeternitatem pertinens, vbi nihil quidquam amplius fit, quia iſtud temporis continuatio foret): nempe ratio reddenda hominibus de moribus ſuis vitaque vniuerſa. Eſt *dies iudicii:* ſententia iudicis hominum condonans vel condemnans igitur proprius finis eſt omnium rerum in tempore, ſimulque initium aeternitatis (beatae vel non beatae), in qua, quae cuique obtigit, ſors manet vti illi momento ſententiae pronuntiandae ei cecidit. Igitur die vltimo ſimul quoque *iudicium vltimum* comprehenditur. — Quodſi ergo ad *res vltimas* etiam finis mundi, vti forma praeſenti adparet, nimirum caſus ſtellarum de caelo vt fornice quodam, aut ruina ipſius huius caeli (ſeu fuga eius inſtar libri inuoluti) combuſtio vtrorumque, creatio caeli noui nouaeque terrae beatorum domicilii, infernique ſedis damnatorum; tum dies ille iudicii ſane haud vltimus foret, verum nonnulli alii eum ſequerentur. Sed, cum cogitatio finis omnium rerum originem haud ab argutatione de itinere rerum in mundo *phyſico* ducat, verum de morali, eaque re ſola excitetur; praeterea ordo euentorum moralis ſolum queat ad res ſenſibus inacceſſas (quae non niſi in moralibus intelligi poſſunt), cuiusmodi idea eſt aeternitatis, referri: ſequitur, vt cogitatio rerum illarum vltimarum, *poſt* diem vltimum futurarum, duntaxat vt modus hunc poſteriorem adſenſus reuocandi, vna cum conſequentibus moralibus theoretice haud comprehendendis contemplanda videatur.

Sed notandum eſt, inde ab antiquiſſimis temporibus duo ſyſtemata reſpectu aeternitatis futurae exſtitiſſe: vnum *vnitariorum*, qui *vniuerſis* hominibus (plus minusue longis expiationibus purgatis) aeternam beatitatem, alterum *dualiſtarum*,*) qui quibusdam electis beatitatem, *caeteris* autem omnibus poenas aeternas adiudicant. Siquidem ſyſtema, quo vniuerſi deſtinati forent ad *reprobationem*, vtique non poterat locum habere, quia alias nulla ratio probans adeſſet, cum omnino fuiſſent creati; *exſtinctio* autem vniuerſorum ſapientiam indicaret deceptam, quae, opere ſuo proprio parum contenta, nullum aliud remedium videt defectibus vitiisque illius medendi, quam vt iſtud euertat. Interim dualiſtis ſemper eadem difficultas obeſt, quibus impediebantur quo minus damnationem omnium aeternam cogitatione ſibi informarent: etenim quem in finem, poſſis interrogare, etiam pauci iſti, cur vel vnus modo, fuerunt creati, ſi non niſi idcirco adeſſe deberet vt aeternum damnaretur? quod tamen peius eſt, quam non eſſe.

Quantum nos quidem intelligimus, quantumque nosmet ipſos poſſumus explorare, ſyſtema dualiſticum (ſed non niſi *vno* principio ſumme bono), reſpectu *practico*, cuique homini, quomodo ſe ipſum iu-

*) Eiusmodi ſyſtema in religione vetere Perſica (Zoroaſtri) in duobus principiis aeterna pugna ſecum inuicem decertantibus, principio bono *Ormuzdo*, maloque *Arihmane*, ponendis conſtitutum fuit. — Mirum eſt, linguam terrarum duarum, ab ſe inuicem longe remotarum, longius autem a praeſente Theodiſcum linguae domicilio diſtantium, in denominandis hisce duobus principiis, theodiſcam eſſe. Memini me apud *Sonneratum* legere, in *Ava* (terra Burachmanum) principium bonum *Godomanum* (quod verbum in nomine Cagii Codomanni etiam ineſſe videtur) adpellari; et, cum vox Arihmann cum verbo *arge Mann* ſimilitudinem ſoni habeat, praeſens quoque lingua Perſica vim continet verborum origine theodiſcorum: quaeſtio fuerit pertinens ad ſcrutatorem antiquitatum ſequendi filum Ariadnaeum contagionis linguarum in origine conceptuum *religioſorum* praeſentium quorumdam populorum. Vid. *Sonnerati* itinerarium Lib. II. Cap. 2.

dicare debeat (quamquam non quomodo alios iudicandi poteſtatem habeat) rationem in ſe cohibet praeponderantem: nam, quantum ſe nouit, ratio ei nullam ſpem aeternitatis aliam reliquam facit, quam qualem ſua ipſius conſcientia ex vita huc vsque acta in vita extrema aperit. Verum ad *dogma*, proinde ad ſententiam theoreticam per ſe ipſam (obiectiue) ratam et locum habentem, illud, vt merum rationis iudicium, multum abeſt, vt idoneum ſit. Ecquis enim homo ſe ipſum nouit? ecquis alios, tam penitus nouit, vt decernere poſſit, an, ſi a cauſſis vitae, vt putat, bene actae vniuerſa, quae merita fortunae dicuntur, velut temperamentum bonum ingenitum, robur maius naturale virium ſuperiorum (et intelligentiae et rationis ad compeſcendas adpetitiones), praeterea quoque occaſionem, vbi caſus forte fortuna compendium fecerit multarum ſollicitationum, quae in alium cadunt, ſi haec omnia e charactere ſuo vero ſepararet (vti, quo hunc rite aeſtimet, neceſſario ſunt illi deducenda, ſiquidem, vt munus fortunae, non poteſt ſuo ipſius merito tribuere); quis tum, inquam, decernet, an coram oculo iudicis mundi quispiam homo, ſecundum pretium morale internum, vllam omnino laudem prae caeteris habeat, atque ita haud forſitan arrogantia abſurda ſit, tenui hac ſui ipſius cognitione, in vſum ſuum de pretio morali (ſorteque promerita) ſui ipſius pariter atque aliorum vllum quodpiam iudicium ferre. — Proinde ſyſtema cum vnitarii tum dualiſtae, vtrumque vt dogma ſpectatum, facultatem rationis humanae contemplatiuam prorſus videtur ſuperare, omniaque nos eo retro ducere, vt ideas rationis iſtas ſimpliciter duntaxat ad conditiones vſus practici adſtringamus. Neque enim quidquam nouimus, quo de ſorte noſtra in mundo futuro iam in praeſenti poſſemus edoceri, niſi iudicio propriae conſcientiae noſtrae, ſcilicet, quid per ſtatum praeſentem moralem noſtrum, quantum illum nouimus, liceat ea de re rationi conuenienter iudicari: nimirum principia, vitae noſtrae, quae ad mortem in nobis vidimus obtinere

fue beni, fue mali) eadem et pari mortem perfuturas fore; ne minima quidem ratione nobis opitulante mutationis illorum in futura vita fupponendæ. Proinde confequentiam quoque illi meritò vel culpæ hanc dimittendam, fub impetu principii boni malive, fecundum sententiatem nobis fuorum exfpectandæ; quo quidem refpectu proinde prudentia fuadet, ut ita agamus, quafi alia vita, futuraque mercis, quo præfentem vitam ad extimum perducimus, cum confequentia esse, nobis eam ingredientibus immutabilis fit. Agitur refpectu publico, oportebit, ipfemet dualifmum fuo arbitratu; ita tamen ut nonnunc deliberet, utrum publica theoretico et folum contemplativo, alteri mercatur præferiri; præfertim cum vitarium nimium videatur nonnet fecuritate indifferente fore.

Cur vero homines omnino finem mundi exfpectant? et, hoc in concreto, cur ipfum finem terribilem (maximæ parti genus humani)? — Quare finem omnino mundi homines exfpectent, in caufa videtur effe, quod ratione docentur, durationem mundi tantummodo pretium habere, quamvis naturæ ratione præditæ in illo fcopo exfiftentiæ fuæ conjudicandum fint, quo fi haud potuerint, cruciatio ipfa ita effe temeraria videtur: inftar fabulæ fine exentu, nullumque confilium fapiens oftendentis. — Quod autem finem exfpectant terribilem, caufa inedi in fententia de ratione deprauata generis humani [*] vsque ad defperationem magna; cui vi fi-

[*] Nulla non tempore fapientes. vt fili videbuntur (fine philofophia), initio bonis in humana natura ea vis quidem fingulis attentione habita, in exequtionibus fimillima ingenita et partim fubfidiaria fefe exhaudiunt, vt orbem terrarum. decimillium illud hominum, finis vltimo contentuque dignum deginnet ea. vi *Mundi finis*, quemadmodum eum olim fibi Mahumedicus eum confpexit, vix cuiquam in vitæ humanæ decurrentis exfpectandum eft. fere, vt a quodam fequente breui deprehenat. a) Vt exgrahemus, cui tentantur fapientes Brahmini, Theologique reliqui orbitrata cum a etiam Plato) addicti fint: ipfum exfiftentiæ et experientiæ humanæ, ipfemet fapientes, e certo expectorum, tunc anima-

nis adferatur, et quidem terribilis, vnam normam eſſe ſummae et ſapientiae et iuſtitiae (quoad maximam partem hominum). — Idcirco *ſigna vltimi diei praenuntia* (ſiquidem phantaſia magnis exſpectationibus excitata omnibus portentisque abundat) cuncta ſunt de genere terribili. Nonnulla in iniuſtitia deprehendunt inualeſcente, pauperumque per inſolentem helluationem diuitum oppreſſione, atque vniuerſo fidei defectu; aut in bellis cruentis vbique locorum ſe inflammantibus, et id genus aliis: verbo, in ruina morali celerique omnium vitiorum incremento, vna cum malis ea comitantibus, quae, pro opinione eorum, ſuperiora tempora numquam viderint. Contra alii in inſolitis naturae mutationibus, in terrae motibus, procellisque atque inundationibus, aut cometis ac meteoris.

Sane, nec ſine iniuria, homines onus exſiſtentiae ſuae perſentiſcunt, quamquam ipſi in cauſſa ſunt. Ratio mihi in eo videtur verſari. Cultura dotum ingenii, dexteritatisque et guſtus (cum comite luxuria) in progreſſibus humani generis, moralitati euoluen-

rum hominum aut beſtiarum. 3) Vt *hoſpitium inſanorum*: vbi non ſolum pro ſe quisque ſua ipſius conſilia euertit, ſed alteri alter omnem, qui excogitari poſſit, dolorem creet, vtroque ſolertiam poteſtatemque id faciendi ſummo ſibi honori ducit. Tandem 4) vt *cloaca*, quo omnes ſordes aliorum mundorum eiectae fuerint. Haec poſtrema cogitatio quodammodo exemplaris, hominique Perſico male faceto tribuenda eſt, qui paradiſum, ſedem illam primi paris hominum, in caelum collocauit, in quo quippe horto arborum copia eſſet fructibus eximiis abundantium, quorum comeſorum reliquiae transſpiratione inſenſibili egererentur; vna tamen arbore medio in horto excepta, fructum quidem dulcem ferente, ſed eum, qui non poſſet ſudando eiici. Cum autem nulla habita ratione interdicti, primis parentibus collibitum eſſet eum deguſtare; nullum aliud, quo minus caelum inquinarent, remedium fuit, quam angelus e longinquo tellurem oſtenderet, additis verbis: „haec latrina eſt „totius rerum vniuerſitatis," tum eo illuc deduceret ad neceſſaria curanda, poſteaque iis ibi relictis ad caelum reuolaret. Inde igitur genus humanum in terris originem duxiſſe.

Digitized by Goo

dae neceſſario prafeſtinat; isque ſtatus ipſe omnium moleſtiſſimus eſt, et cum moralitati periculoſiſſimus, tum bono phyſico; ſiquidem neceſſitates multo gravius accreſcunt, quam inſtrumenta eas explendi. Verum initium morale generis humani, quod velut (poena Horatii) pede claudo ſemper eam perſequitur, illam properanter currendo aegre ſpirantem ſaepiusque pedem impingentem (vti ſane poteſt ſub moderatore mundi ſapiente ſperari) aliquando adſequetur ac ſuperabit; atque ita, ex ipſis argumentis empiricis laudis moralitatis hac noſtra aetate, cum omnibus ſuperioribus comparata, vtique ſpes ali poſſet, diem vltimum potius cum vectura Eliae, quam cum gregis Corae ſimili ad inferos deſcenſu acceſſurum, omniumque rerum finem adportaturum fore. Sed tamen huiusce fiduciae in virtute heroicae, ſubiectiue quidem, nulla tum vniuerſe potens cum animis emendandis eſſe contagio videtur, quam ſcenae terrore ſtipatae, quae res vltimas antecedere cogitatur.

SCHOLION.

Cum hoc loco ſolum in ideis verſemur (aut iis ludamus), quas ratio ipſa creat, cui quae ſubiectae ſunt, res (ſi quae ſint) prorſus ſint vltra orbem finientem noſtrum ſitae, quae quidem, quamquam cognitioni noſtrae contemplatiuae transſcendentes, neque idcirco tamen omni reſpectu inanes habendae ſunt, ſed reſpectu practico nobis ab ipſa ratione legislatoria ſubminiſtrantur, non fere, vt de rebus iis obnoxiis, quod per ſe ſint et ſecundum naturam anquiramus, verum quomodo eas in vſum moralis ſcopum rerum omnium ſpectantis, cogitare debeamus (quo, quae alias penus inanes forent, realitate practica potiuntur obiectiua); *liber* nobis campus patet, fructum iſtum propriae rationis noſtrae, conceptum illum de fine omnium rerum vniuerſalem, pro ratione illius ad noſtram cognoſcendi facultatem, deſcribendi, quaeque illi ſubſunt in claſſes deſcribendi.

Itaque totum 1) in finem rerum omnium *naturalem* *) deſcriptum, ſecundum ordinem finium moralium ſapientiae diuinae, quem *ergo* (reſpectu practico) *vtique* poſſumus *intelligere*, 2) in *myſticum* eorum finem (ſupernaturalem), ſecundum ordinem cauſſarum efficientium, de quibus *nihil quidquam intelligimus*, 3) in finem omnium rerum *praeternaturalem* (peruerſum), qui a nobis ipſis, eo quod ſcopum *perperam interpretamur*, arceſſitur, exhibebitur: quorum quem primo loco deſcripſimus, modo tractatus eſt, nunc duo reliqui ſequentur.

* * *

In *apocalypſi* (X, 5. 6.) „angelus, ſubláta ad caelum manu, per eum, qui inde ab aeterno viuit ad aeternum, caelumque creauit, et ſic porro, iurat: *in poſterum nullum amplius tempus eſſe debere.*“

Niſi hunc angelum „voce ſua ſeptem tonitruum“ (v. 3.) ſumſeris dicere ineptias voluiſſe, mens eius fuerit, neceſſe eſt, nullam in poſterum *mutationem* eſſe debere; namque ſi in mundo etiam nunc mutatio eſſet, etiam tempus adhuc exſtaret, quoniam illi non niſi in hoc eſſe locus poteſt, neque illa, hoc ſuppoſito vllo modo cogitari poteſt.

Hic igitur finis omnium rerum, vt ſub ſenſus ſubiectarum, proponitur, de quo nullam nobis animo poſſumus cogitationem informare: quoniam nosmet ipſa neceſſaria illaqueamus repugnantiis, ſi vnum pedem velimus e mundo ſenſibili ferre in intelligibilem; quod hoc loco ita fit, vt momentum, quo finis ſupe-

*) *Naturale* (formaliter) dicitur, quidquid ſecundum leges certi cuiusdam ordinis, qualis ille cumque ſit, proinde quoque moralis (ergo haud ſemper duntaxat phyſicae) neceſſario conſequitur. Cui contrarium eſt *non naturale*, quod vel ſupernaturale eſſe poteſt, vel praeternaturale. Id, quod ex *cauſſis naturae* neceſſarium eſt, etiam vt materialiter naturale (phyſice neceſſarium) cogitaretur.

riores efficitur, etiam initium esse debeat mundi posteriοris, proinde hic cum illo ad eamdem temporis seriem referatur, id quod repugnat.

Sed nos quoque dicimus nobis durationem cogitatione informare vt *infinitam* (vt aeternitatem); non idcirco, quoniam fere de quantitate illius vllam quamdam cogitationem habeamus determinabilem — id enim fieri non potest, cum ei tempus prorsus desit, vt illius mensura: — verum conceptus ille, quoniam, vbi nullum tempus est, ibi quoque *nullus finis* locum habet, solum negatiuus est de duratione aeterna, quo cognitio nostra ne latum quidem pedem progreditur, sed tantummodo dicitur, rationi, respectu practico scopi habito, in via mutationum perpetuarum numquam posse satisfieri: quamquam etiam, si principio tentaret status subsistentis atque immutabilis naturarum mundanarum, aeque minus quoad vsum *theoreticum* satisfaceret, sed potius in vniuersam cogitationum vacuitatem incideret; vbi tum nihil ei relinquitur, quam vt mutationem in infinitum (in tempore) progredientem, progressu ad scopum perpetuo, cogitet, in *sensus animi* (qui non vt ille, phaenomenon est, sed quidpiam sensibus inaccessum, nec proinde in tempore mutabilis est) manet constanterque idem est. Quamobrem regula vsus practici rationis huic ideae conuenienter non nisi eo redit, vt normam ita capere debeamus, quasi, in vniuersis mutationibus in infinitum progredientibus a bono ad meliora, status noster moralis, secundum mentem animique sensum (homo noumenon), „cuius vita in caelo est," nulli omnino temporis mutationi obnoxius esset.

Sed aliquando tempus venturum esse, quo omnis mutatio (cum eaque tempus ipsum) finem habeat, cogitatio est, phantasiam sollicitans. Tum scilicet vniuersa natura riget, quasique saxea redditur; cogitatio vltima sensusque vltimus tum in subiecto cogitante consistentes manent, et sine mutatione

ſemper eadem. Naturae, quae exſiſtentiae ſuae illiusque magnitudinis (durationis) non poteſt niſi in tempore ſibi conſcia fieri, eiusmodi vita, neceſſe eſt, ſi modo vita dicenda ſit, exſtinctionis eſſe ſimilis videatur: ſiquidem, vt cogitando queat in eam penetrare, tamen omnino quidpiam, oportebit, cogitet; *cogitatione* autem continetur reflexio, quae ipſa non niſi in tempore fieri poteſt. — Idcirco habitatores mundi alterius ſic depinguntur, vt, pro vario eorum domicilio (caelo vel inferno), aut ſemper eumdem hymnum Halleluiah, aut aeternum easdem lamentationes incanant (XIX. 1-6; XX, 15.) quo vniuerſus omnis mutationis in ſtatu eorum defectus indicari debet.

Nihilominus haec idea, vt maxime captum noſtrum ſuperet, tamen reſpectu practico rationi eſt prope cognata. Etiamſi ſtatum hominis moraliter phyſicum hac in vita optimum ſumſerimus, nimirum progreſſus perpetui adpropinquationisque ad ſummum bonum (ei propoſitum); tamen (vel in ipſa conſcientia mentis ſuae immutabilis) cum ſpe ſtatus ſui aeternum mutabilis (cum moralis tum phyſici) non poteſt *tranquillitatem* coniungere. Status enim, in quo nunc verſatur, etiamnum malus manet, comparatus cum alio meliori, in quem ingredi paratus eſt; cogitatioque progreſſus ad ſcopum infiniti ſimul tamen proſpectus eſt in infinitam malorum ſeriem, quae, quamquam bono maiori praeponderentur, tamen locum haud concedunt tranquillitati, quam ſibi non niſi eo cogitare poteſt, quod *ſcopus* tandem aliquando *attingetur*.

Ea de re homo inueſtigans incidit in *myſticam* (namque ratio, quia haud facile vſu ſuo immanente, hoc eſt, practico contenta eſt, ſed in transſcendenti libenter aliquid audet, ſua quoque myſteria habet), ſe ipſam, et quaecumque vult, ratio haud intelligit, verum potius delirat, quam, vti habitatorem mundi ſenſibilis intellectualem decet, intra huiusce terminos ſe

circumſcriptam teneat. Inde ſyſtema eſt Laoquiuni de *ſummo bono*, quod conſiſtere dicitur in *nihilo*, hoc eſt, in conſcientia ſui voragine dei confluendo cum eo, ideoque exſtinguenda perſonalitate ſua abreptum ſeſe ſentientis; cuius ſtatus vt habeant praeſenſionem. Philoſophi Sinenenſes in cubiculis obſcuris, clauſis oculis, omnes neruos intendunt, ad iſtud nihilum cogitandum et ſentiendum. Vnde *pantheiſmus* (Tibetanorum aliorumque populorum orientalium exſtitit), et, qui ex ſublimatione illius metaphyſica poſtea natus eſt, *Spinoziſmus:* qui ambo ſunt cum vetuſtiſſimo *emanationis ſyſtemate* omnium humanarum ex natura diuina (extremaque in eam reſorptione) vinculo ſororio arctiſſime coniuncti. Vniuerſa haec ſolum eum in finem, vt poſtremo tamen laetari poſſent de *quiete aeterna*, qua tum opinatus finis beatus rerum omnium abſoluitur; qui reapſe conceptus eſt, quocum iis ſimul intelligentia perit, ipſaque vniuerſa cogitatio finem habet.

* * *

Finis rerum omnium, quae hominum manibus tractantur, ipſis finibus bonis propoſitis, in *ſtultitia* verſatur, hoc eſt, in eiusmodi inſtrumentis ad fines vtendis, qui hisce finibus ipſa contraria videntur. *Sapientia*, hoc eſt, ratio practica, pro convenientia rationum, ſcopo rerum omnium, ſummo bono, prorſus conſentanearum duntaxat penes deum eſt; eiusque contra ideam haud aperte agere, id eſt, quod poſſet ſapientia humana adpellari. Haec munitio contra ſtultitiam, quam homini non niſi conatibus frequentique conſiliorum mutatione conſequendam ſperare licet, potius „praemium eſt, quod vel optimus homo duntaxat perſequi poteſt, an forte queat *adprehendere*;“ cuius vero perſuaſione arrogante tentari ſeſe patiatur, multo minus ſic agere, quaſi illud *adprehenderit.* — Inde quoque conſilia de die in diem mutata, ſaepenumero pugnantia, inſtrumento-

rum conuenientiſſimorum, vt *religio in populo quodam vniuerſo pura ſimulque efficax* reddatur; ita, vt poſſit vtique exclamari: in vobis, mortales miſeri, nihil conſtans eſt, niſi inconſtantia!

Cum interea hi conatus tandem aliquando ita ſucceſſere, vt respublica apta ſit atque ſolum propenſa non ſolum ad doctrinis piis vſu receptis, verum etiam rationi practicae iis colluſtratae (quod etiam ad religionem abſolute neceſſarium eſt) obediendum; cum ſapientes (modo humano) in populo non ex compoſito (veluti clerus), verum vt ciues, conſilia capiunt, in iisque maximam partem conueniunt, quae argumento ſunt haud dubio, verum eos curare; populusque etiam in vniuerſum (etſi nondum ex parte minima), neceſſitate vniuerſe ſenſu percepta, neque in auctoritate conſtituta, culturae neceſſariae initiorum moralium, oblectamentum capit: tum nihil magis e re eſſe videtur, quam vt illos agere ſinas iterque continuare, cum ſemel, quod *ideam* ſpectat, quam perſequuntur, recta via incedant: quod autem euentum attinet ex inſtrumentis ad ſcopum optimum delectis, cum hoc, quomodo pro curſu naturae acciderit, ſemper incertum maneat, *prouidentiae* permittatur. Etenim, vt maxime *incredulus* ſis, tamen, vbi nullo modo fieri poteſt, vt euentum ex certis quibusdam pro vniuerſa humana ſapientia (quae, ſi nomine ſuo digna eſſe debet, tantummodo rationem ſpectet moralem, oportebit) delectis inſtrumentis certo praeuideatur, ſapientiae diuinae cum curſu naturae concurrentia ratione practica credenda eſt, niſi ſcopum malis omnem abiicere. — At occurretur: iam ſaepius doctum eſt, conſilium praeſens optimum eſſe; iſtud nunc ſemper eſſe ſequendum; eum nunc ſtatum eſſe aeternum. „Is qui (ſecundum hunc conceptum) bonus eſt, ſemper bonus erit, et qui (contra illum) malus eſt, is ſemper malus erit.“ (Apocal. XXII, 11.): quaſi aeternitas, cum eaque omnium rerum finis, iamiam poſſet acceſſiſſe; — et nihilominus ab

Digitized by Google

eo inde tempore ſemper noua conſilia, quorum noviſſimum ſaepenumero duntaxat inſtauratio cuiusdam veteris fuit, in medium ſunt adlata, neque in poſterum *plura* conſilia *poſtrema* deerunt.

Tantopere imbecillitatis meae mihimet conſcius ſum, ea in re nouum ac felix periculum faciendi, vt, ad quod vtique nullo magno ingenio opus eſt, potius ſuaſerim: vt res ita eſſe patiamur, vti poſtremo fuerant, ac propemodum per aetatem vt ſatis bonae ſeſe in conſequentibus oſtenderunt. Quod vero cum non iudicium fuerit virorum ingenii magni, vel tamen molientis; liceat mihi, non tam, quid iis faciendum ſit, ſed quid, ne offendant, vtique cauendum videatur, modeſte indicare, quoniam alioquin ſuo ipſorum conſilio (quamuis optimo) aduerſaturi ſint.

In religione chriſtiana, praeter ſummam obſervantiam quam ſanctitas legum illius neceſſario inſtillat, aliquid ineſt *dignum amore*. (Hoc loco non intelligo amabilitatem perſonae, quae eam nobis ſummo cum detrimento comparauit, ſed rei ipſius; nimirum conſtitutionis moralis, quam ille fundauit; illa enim non poteſt niſi ex hac elici). Obſeruantiam, dubium non eſt, primam eſſe, ſine qua quippe nullus quoque amor verus locum habet; quamquam ſine amore tamen magnam poſſumus erga quempiam obſeruantiam fouere. At ſi non ſolum de officio proponendo agatur, verum etiam faciendo, ſi rationem actionum *ſubiectiuam* perconteris, ex qua, ſi ſupponi liceat, facillime exſpectari poteſt, quid homo *facturus ſit*, non ſolum ex obiectiua, *quid facere debeat*; tamen amor, vt receptio libera voluntatis alterius in normam noſtram, neceſſaria pars eſt ſupplendae imperfectionis naturae humanae (vt ad ea, quae ratio per legem dictitat, nosmet oporteat cogi): quae quis enim haud libenter facit, ea ita parce facit, et fortaſſe exceptionibus de officii praecepto ſophiſticis, vt earum, vt elaterum,

illis haud accedentibus, haud ita habenda ratio videatur.

Quodſi autem, vt rem praeclare agamus, ad religionem chriſtianam praeterea vlla quaedam adiiciatur auctoritas (etiamſi diuina foret), vt maxime beniuolum eius conſilium finisque bonus fuerit; tamen ratio illius amabilis euanuit: namque pugnat, alicui *praecipere*, vt aliquid non ſolum faciat, ſed etiam *libenter* faciat.

Religioni chriſtianae propoſitum eſt, vt amor, erga munus faciendi officii in genere, promoueatur, eumque etiam producit; quoniam fundator illius non vt imperator, qui *voluntatem ſuam* obedientiam poſtulantem, ſed vt humanus loquitur, qui hominibus voluntatem eorum propriam bene intellectam, quippe qua ipſi ſponte acturi forent, ſi ſe ipſos rite explorarent, proponit.

Igitur ab ratione *liberali* — quae pari interuallo ab animo diſtat ſeruili et effrenato — religio chriſtiana doctrinae ſuae aditum exſpectat, eaque hominum animos ſibi conciliare poteſt, quorum intelligentia iam ex cogitatione legum officii colluſtrata eſt. Senſu libertatis in deligendo ſcopo, grata iis atque amabilis legislatio redditur. — Quamobrem, etſi doctor illius etiam *poenas* minatur, tamen hoc non ita intelligendum eſt, certe propriae religionis chriſtianae naturae haud conuenit ita interpretari, quaſi iſtae fieri elateres debeant, praeceptis illius obtemperandi: eatenus enim deſineret amabilis videri. Verum iſtud non niſi pro monito benigna ex beniuolentia legislatoris oriundo, vt nobis a pernicie caueamus, ex transgreſſione legis neceſſario oritura (ſiquidem lex eſt res ſurda et inexorabilis. *Liuius.*) accipiendum videtur; quoniam non religio chriſtiana, vt vitae norma voluntarie accepta, ſed lex ea in re minatur: quae, vt ordo conſtans atqe immutabilis in na-

tura rerum ſita, ipſa haud eſt arbitrio creatoris, conſequentiam illius ſic aliterue decernendi, permiſſa.

Cum religio chriſtiana *praemia* pollicetur (velut: „animo eſtote laeto bonoque, omnia vobis in caelo compenſabuntur);" iſtud ex ratione liberali non ſic eſt interpretandum, quaſi oblatio foret, qua homines ad vitam bonam quodammodo *mercede conducantur;* tum enim chriſtiana religio itidem per ſe ipſa neutiquam digna foret amore. Nihil niſi *poſtulata* actionum eiusmodi, quae ab momentis proficiſcuntur continentibus nec quidpiam ad vtilitatem propriam referentibus, erga illum, qui iſtud poſtulat, hominibus poteſt obſeruantiam inſtillare; ſine obſeruantia vero nullus amor verus ac genuinus eſt. Ergo promiſſioni illi non is ſenſus tribuendus videtur, quaſi praemia pro elateribus actionum accipienda ſint. Amor, quo animus liberalis benigna facienti deuincitur, haud bonum ſequitur, quod indigens accipit, verum tantummodo pro benigna *voluntate* illius, qui pronus fertur ad illud impertiendum: etiamſi eius rei haud polleat facultate, vel aliis momentis, quae reſpectus ſalutis publicae communis poſtulat, ab eo perficiendo impediatur.

Haec illa amabilitas moralis eſt, quam religio chriſtiana in ſe cohibet, quae per multas extrinſecus ſibi adiunctas neceſſitates, opinionibus frequentius variantibus, etiamnunc ſplendore penetrat, eamque ab auerſatione conſeruauit, quam alias experiri debuiſſet; et quae (quod ſane notabile eſt) tempore colluſtrationis maximae, quae vmquam in hominibus exſtitit; ſemper ſeſe in luce conſpiciendum praebet eo clariori.

Quodſi quando religio chriſtiana eo ventura foret, vt deſineret amabilis eſſe (quod vtique fieri poſſet, ſi, pro ſpiritu leni ſuo, auctoritate muniretur imperatoria): cogeretur, vt, quia in rebus moralibus non licet eſſe medio, neutramue partem ſequi (mul-

to minus coalitione principiorum contrariorum locus eſt) auerſatio illius et pertinacia erga illam in animis hominum obtineret; et *antichriſtus*, qui caeteroquin diei vltimi praecurſor putatur, imperium (in metu, opinor, propriaque vtilitate conſtitutum), quamuis breue, inſtitueret: tum vero, quoniam chriſtianiſmus ad religionem homimum vniuerſalem *deſtinatus* quidem foret, verum vt ea euadat, a fortuna parum *adiutus*, *finis omnium rerum* (peruerſus) reſpectu morali acceſſurus foret.

Digitized by Google

XIV.

DE TONO QUODAM ILLUSTRI IN PHILOSOPHIA NUPER INSTITUTO.

Nomen philoſophiae, ſignificatione prima ſapientiae ſcientificae vitae relicta, permature iam vt titulus exornandae intelligentiae hominum meditabundorum haud vulgarium, quaeſitum eſt, quibus ea nunc modus videbatur myſterii reuelandi. — *Aſcetis* in deſerto Macario *res monaſtica* dicebatur philoſophia. *Artifex efficiendi auri* ſeſe *philoſophum per ignem* vocabat. *Collegia* et veterum temporum et recentiorum ſunt *adeptae* myſterii per traditionem, de quo nobis per inuidentiam nolunt quidpiam aperire (philoſophus per initiationem). Tandem poſſeſſores illius recentiſſimi illi ſunt, qui iſtud *in ſe* habent, nec tamen per caſum aduerſum enuntiare *poſſunt*, et per orationem vniuerſe communicare (philoſophus per inſpirationem). Quodſi igitur cognitio exſtaret rerum ſenſibus inacceſſarum (quae reſpectu theoretico ſola in veris myſteriis eſt), quae vtique poteſt reſpectu practico per intelligentiam humanam aperiri; tamen talis cognitio ex illa, vt facultate cognitionis *per conceptus*, illi longe poſtponeretur, quae vt facultas *viſionis* proxime per intelligentiam percipi poſſet; namque intelligentiae, quam vocant discurſiuae ad conceptus ſuos ex principiis et diſſoluendos et rurſum componendos, multique gradus operoſe conſcendendi ſunt, vt in cognitione progrediatur, cum contra *viſio intellectualis* rem obiectam proxime et ſimul comprehenderet atque exhiberet. — Qui igitur ſeſe putat viſionem iſtam intellectualem tenere, is intelligentiam discurſiuam deſpiciet; et, vice verſa, commoditas eiusmodi vſus rationis vehemens ſolicitatio eſt ad talem facultatem videndi audacter ſumendam, itemque philoſophiam in ea fundatam de meliori nota commendandam: id quod etiam ex propenſione homi-

num naturali ſui ipſius ſtudioſa, cui ratio tacita indulget, facile poteſt explicari.

Scilicet non ſolum naturalis ſegnities, verum etiam vanitas hominum (libertas perperam intellecta) in cauſſa eſt, cur ii, qui *habent, vnde vitam tolerent*, ſiue largiter ſit ſiue parce, comparati cum iis, quibus laborandum eſt, vt vitam propagent, ſe ducunt *illuſtres*. — *Arabs*, vel *Mongolus* ſpernit oppidanum, et ſe cum eo collatum putat illuſtrem: ſiquidem circumuagatio in deſertis cum equis et ouibus magis oblectationi eſt, quam labori. *Waldunguſus* fratri arbitratur exſecrationem ſeſe impingere, cum dicit: „vtinam pecora ipſe educas velut *Buraetus*!“ Hic deteſtationem longius mittit dicens: „vtinam agrum colas velut *Ruſſus*!“ Hic fortaſſe, pro ſenſu animi, dicet: „vtinam ſedeas ad machinam textoriam, velut *Theodiſcus*!“ — Vno verbo: omnes ſe opinantur illuſtres, pro eo atque concedunt, ſibi non opus eſſe, vt laborent; atque ex hoc principio nuperrime res eo ceſſit, vt philoſophia quaedam putatitia, in qua haud *deſudandum* eſt, ſed modo oraculum in ſe ipſo audiendum ac perfruendum, vt vniuerſa ſapientia funditus potiatur, haud celato ſed palam ſeſe promulget: idque ea oratione, quae declarat, ſeſe cum iis, qui — *ad normam ſcholae* — inde a critica facultatis cognoſcendi ad cognitionem dogmaticam lento gradu et conſiderato progredi ſe obligatos ducunt, nullo modo velle comparari, ſed — *ex more ingeniorum* — vno obtutu ſagaci ad interiora ſua, omnia quae ſtudio diligentiaque poſſunt comparari, et fere plura quoque, poſſe praeſtare. De partibus ſcientiae, quae laborem poſtulant, velut de matheſi, phyſica, hiſtoria veterum temporum, philologia et ſimilibus, ac de ipſa philoſophia, quatenus ea cogitur ad explicationem ad viam methodumque inſtitutam atque ad compoſitionem conceptuum ſyſtematicam deſcendere, nonnulli vtique poſſunt inſtar paedagogorum *ſuperbire*; verum nemini, niſi philoſopho *viſionis*, qui haud labo-

re Herculeo cognitionis ſui ipſius ab imo ſurſum, ſed eum transuolando, apotheoſi ſibi haud operoſa deorſum demonſtrat, poteſt in mentem venire, vt ſe *illuſtrem* gerat; quoniam hic ex propria auctoritate loquitur, nullique tenetur ea de re rationem reddere. Sed iam ad rem ipſam accedamus.

Plato, pariter mathematicus ac philoſophus, in proprietatibus certarum figurarum geometricarum, velut circuli, ſpeciem quamdam admiratus eſt *formae finalis*, vtilitatem ad varietatem enodandam problematum, vel varietatem enodationis vnius eiusdemque problematis (velut in doctrina de locis geometricis) ex vno principio, quaſi requiſita ad certos quosdam conceptus quantitatiuos conſtruendos *de induſtria* iis indita ſint, quamquam vt neceſſaria *ex anticipatione* et perſpici poſſunt et probari. Sed forma finalis non poteſt, niſi re obiecta ad intelligentiam, vt cauſſam, referenda cogitari.

Cum igitur intelligentia noſtra, vt facultate *per conceptus* cognoſcendi, non poſſimus cognitionem vltra conceptum noſtrum *ex anticipatione* dilatare (quod tamen in matheſi reuera accidit); *Plato* cogebatur *viſiones ex anticipatione* nobis hominibus ſumere, quarum vero *origo* prima haud eſſet in intelligentia *noſtra* (neque enim intelligentia noſtra facultate continetur videndi, ſed cogitandi, ſeu facultate discurſiua) verum in ea, quae ſimul cauſſa prima eſſet rerum omnium, hoc eſt, in intelligentia diuina, quae quidem viſiones tum *directe* πρωτότυπα (ideae) dici merentur. Sed noſtram viſionem iſtarum idearum diuinarum (namque viſio *ex anticipatione* nobis ſane neceſſaria fuit, ſi nobis facultatem enuntiationum ſyntheticarum *ex anticipatione* in matheſi pura vellemus enodare) nobis tantum *indirecte*, vt ἐκτύπων, tamquam vmbrarum rerum omnium, quas *ex anticipatione* ſynthetice cognoſcimus, cum natiuitate noſtra, quae ve-

ro ſimul obſcurationem harum idearum, per obliuionem originis illarum, in ſe cohibuerit, tributam eſſe: quod inde manauerit, quoniam ſpiritus noſter (nunc anima dictus) in corpus detruſum fuerit, cuius a vinculis paullatim ſe liberandi magnum illud philoſophiae negotium eſſe oportere *).

Neque tamen haud obliuiſcendus Pythagoras eſt, de quo quidem parum nouimus, quam vt de principio metaphyſico philoſophiae illius quidquam certi ſtatuere queamus. Quemadmodum in Platone miracula *figurarum* (geometriae), ita in Pythagora miracola *numerorum* (arithmetices) hoc eſt, ſpecies certae cuiusdam formae finalis, certaque quaedam vtilitas ad multa problemata matheſeos rationalia in naturam illius quaſi de induſtria indita, vbi viſio *ex anticipatione* (ſpatium tempusque) non vero ſolum cogitatio diſcurſiua ſupponenda eſt, attentionem excitauit, tamquam ad ſpeciem quamdam *magiae* tantummodo vt poſſibilitatem, non ſolum conceptuum quantitatiuo-

*) Plato in vniuerſis his ratiocinationibus certe conſtanter agit. Sine dubio illi, quamquam obſcurus, quaeſtio ob oculos verſabatur, quae modo ex breui tempore aperte tractata eſt, haec ſcilicet: „qui fit, vt enuntiationes poſſint eſſe ſyntheticae *ex anticipatione?* — Quodſi tum, quod ſerius demum inuentum eſt, potuiſſet diuinare: vtique *viſiones ex anticipatione* eſſe, ſed non intelligentiae humanae, verum ſenſitiuas (quae ſpatium tempusque dicuntur) vniuerſas proinde res ſenſibus obnoxias a nobis non niſi vt viſa, ipſasque earum formas, quas in matheſi poſſumus ex anticipatione determinare, non formas eſſe rerum per ſe ipſarum, ſed (ſubiectiuas) ſenſualitatis noſtrae, quae proinde ad vniuerſas res, quae ſubiici poſſent experientiae, ſed ne paſſum quidem vlterius valent; viſionem puram (qua opus habuit ad cognitionem ſyntheticam ex anticipatione ſibi enodandam) haud in intelligentia diuina, eiusque prototypis naturarum omnium, vt rerum in ſeſe conſiſtentium, quaeſiturus fuiſſet, atque ita facem fanatiſmo praelaturus. — Namque hoc quidem intellexit: ſi in viſione, quae geometriae fundamento ſubeſt, rem per ſe ipſam poſſe *empiricae* videri adſerere vellet, iudicium geometricum, vniuerſumque matheſin ſolam fore ſcientiam empiricam; id quod *exiſtitati* repugnat, quae (poſt rationem viſibilem) ipſa illi locum illuſtrem in omnibus ſcientiae partibus concedit.

Digitized by Google

rum noſtrorum in genere dilatandorum, verum etiam qualitatum eorum peculiarium quaſique myſterioſarum enodarent. — Hiſtoria docet, eum proportione numerorum in finis reperta, et legi, ſecundum quam ſolam iis muſica abſoluitur, ad cogitationem eſſe adductum: quoniam hoc in luſu ſenſationum matheſis (vt numerorum ſcientia) pariter principium formae illius (et quidem, vti videtur, ex anticipatione, propter eius neceſſitatem) continet, in nobis viſionem, quamuis modo, obſcuram, ineſſe naturae cuiusdam per intelligentiam in eam imperantem ſecundum aequationes ordinatae; quae idea tum, ad corpora translata caeleſtia, etiam doctrinam de concentu ſphaerarum produxit. Atqui nihil ſenſus magis animat, quam muſica; principiumque animans in homine *anima* eſt; et cum muſica, ſecundum Pythagoram, ſolum in proportionibus numerorum conſiſtat perceptis, illudque (quod bene notandum) principium animans in homine, anima, ſimul natura ſit libera ſe ipſamque determinans: eius de illa definitio: *animus eſt numerus ſe ipſum mouens*, fortaſſe enodari poteſt, et quodam modo defendi; ſi ſumſeris, eum per hanc facultatem ſe ipſam mouendi, eius discrimen a materia, quippe quae per ſe in anima eſt, et non niſi per quidpiam externum moueri poteſt, proinde libertatem, voluiſſe indicari.

Ergo de *matheſi* cum Pythagoras tum Plato *philoſophati ſunt*, propterea quod vniuerſam cognitionem *ex anticipatione* (ſiue viſionem contineret ſiue conceptum) ad intellectualia retuleruat, et hac philoſophia ſeſe *myſterium* offendere crediderunt, vbi nullum myſterium adeſt: non, quia ratio ad vniuerſas quaeſtiones ſibi propoſitas reſpondere, ſed quoniam oraculum eius obmuteſcit, cum quaeſtio tantopere amplificata eſt, vt eius nulla amplius ſententia videatur. Velut ſi geometria quasdam qualitates circuli *pulcras* dictas (vt in opere Montuclaſii videri licet) proponit, et nunc quaeritur: vnde illi hae qualitates veniunt, quae ſpeciem quamdam vtilitatis formaeque

finalis late patentis continere videntur? ad hoc nulla poteſt alia reſponſio adferri, quam: quaerit delirus, quod non reſpondet Homerus. Qui quaeſtionem mathematicam cupit enodari philoſophice, is eo ſibi ipſe repugnat; exempli gratia: qui ſit, vt proportio *rationalis* trium laterum trianguli rectanguli non niſi proportio poſſit eſſe numerorum 3, 4, 5? Verum homo de quaeſtione mathematica *philoſophans* putat hic ſeſe in myſterium impingere, et ob hanc ipſam cauſſam effuſe magnum quidpiam videre, vbi reapſe nihil videt; in eoque ipſo, quod ideam in ſe molitur, quam nec ſibi enodare poteſt, nec cum aliis communicare, ponit philoſophiam genuinam (philoſophiam arcani), vbi tum virtus poëtica alimentum capit in ſenſu ac fruitione delirandi: quod vtique longe ſuavius eſt atque ſplendidius, quam lex rationis, de poſſeſſione per laborem acquirenda; — in quo vero etiam egeſtate ac ſuperbia fit ridicule vt philoſophiam loqui *oratione magnifica* audiamus.

Contra philoſophia *Ariſtotelis* laborioſa eſt. Quem vero hoc loco duntaxat (vt duos illos ſuperiores) vt metaphyſicum conſidero, hoc eſt, vt analyſtam vniverſae cognitionis *ex anticipatione* in elementa diſſolventem, vtque artificem rationalem in iis rurſus inde (ex categoriis) componendis, cuius tractatio, quo vsque pertinet, vtilitatem ſuam retinuit, quamquam in *progreſſu* cecidit in irritum ita vt eadem principia, quae valent in rebus ſenſibus obnoxiis tamen ſaltum periculoſum faciendum haud ſentiret) etiam ad res ſenſibus inacceſſas extendendi, quo categoriae illius haud pertinent: vbi neceſſe fuit, vt organon cogitationis in ſe ipſo, rationem, ſecundum duos campos illius et theoreticum et practicum, antea deſcriberet. ac metiretur, quod vero negotium ſerioribus temporibus relictum fuit.

Iam orationem nouam illam in philoſophando (in qua philoſophia ſuperſederi poteſt) audiamus et aeſtimemus.

Digitized by Google

Hominibus *illuſtri loco* conſtitutis, ſi philoſophentur, etiamſi at verticem metaphyſices moliantur, ſummo honori dueendum eſt, merenturque indulgentiam de peccato contra ſcholam (vix euitabili, ſiquidem ad hanc ſeſe ad modum aequalitatis ciuilis demittunt *). — Eos autem, qui cupiunt eſſe philoſophi, ſeſe gerere *magnifice*, iis nullo modo poteſt indulgeri, quoniam efferunt ſeſe ſupra *ſocios*, eorumque ius libertatis aequalitatisque haud alienandum, in cauſſis ſolius rationis, laedunt ac violant.

Principium ex contagione *ſenſus* cuiusdam ſublimioris cupiendi philoſophari, omnium maxime aptum eſt ad orationem magnificam; ecquis enim mihi ſenſum impugnabit? Praeterea ſi fidem queam facere, hunc ſenſum non ſolum ſubiectum eſſe, in *me*, verum etiam a quouis poſtulari poſſe, proinde quoque obiectiuum, vt que partem cognitionis ergo haud fe-

*) Discrimen eſt inter philoſophari, et perſonam agere philoſophi. Quod poſterius fit oratione magnifica, cum deſpotiſmus in rationem populi (quin fere adeo in ſuam) ſingulis ad fidem caecam adſtringendo pro philoſophia venditur. Quo tum pertinet, exempli gratia, „fides legionis fulminatricis temporibus Marci Aurelii" itemque „ignis incommodo Iuliani Apoſtatae in ruderibus Hieroſolymarum per miraculum erumpens;" quae propria philoſophia genuina perhibetur, contrariumque „illius incredulitas carbonarii" vocatur (quaſi carbonarii, profunde abditi in ſuis, nota inuſti incredulitatis reſpectu fabularum illis nuntiatarum): quo etiam accedit adſeueratio, iam abhinc bis mille annorum de philoſophia actum eſſe, ſiquidem Stagirita ſcientiae tantum occupauerit, vt parum, quod alicuius momenti ſit, ſucceſſoribus indagandum reliquerit." — Sc aequatores conſtitutionis politicae non ſolum ii ſunt, qui, ex mente Ruſſouii, ciues volunt cunctos inuicem eſſe aequales, quoniam quisque ſit *in vniuerſis*; verum etiam ii, qui cupiunt, vt omnes inuicem ſimiles ſint, quoniam praeter vnum cuncti *nihil* ſint, ſuntque monarchiſtae per inuidiam: qui modo Platonem, modo Ariſtotelem ad gubernacula admouent, vt, ſuae ipſorum impotentiae ſponte cogitandi conſcii, odioſam cum aliis vna viuis comparationem haud ſuſtineant. Atque ita (praeſertim per ſententiam hanc poſtremam) homo illuſtris eo perſonam ſuſtinet philoſophi, vt vniuerſae philoſophandi rationi finem imponat obicurando. —

re ſolum, vt conceptum, argutando effectum, verum, vt viſionem (adprehenſionem ipſius rei obiectae) valere; permultum praeſto vniuerſis iis, quibus incumbit probatio, antequam de veritate adſertionum iis liceat gloriari. Igitur vti oratione poſſum praecipientis qui moleſtia ſuperſedet titulum poſſeſſionis probandi (beati poſſidentes). — Ergo viuat philoſophia ex ſenſibus recte nos ad rem ipſam ducens! Valeat argutatio ex conceptibus, quae tantum per ambages tentat notarum vniuerſalium, et quae, priusquam materiam habeat, quam proxime poſſit, prehendere, ante formas poſtulat determinatas, quibus materiam illam ſubſternere queat! Et, poſito, rationem de iure huiusce quaeſtus cognitionum ſublimium nullo modo poſſe amplius rationem reddere, tamen manet in facto poſitum: „philoſophia *myſteria* habet, quae *ſenſu poſſint percipi* *)."

*) Nobilis quidam eorum poſſeſſor ea de re ſic dicit: „Quamdiu ratio, vt legislatrix voluntatis, ad viſa (quippe ad actiones hominum liberas) dicere cogitur: *placet - displicet*; tam diu illi viſa vt realitate effecta conſideranda ſunt;" ex quo tum elicit: eorum legislationem non ſolum *formae*, verum etiam *materiae* (finis conſiliiue) vt rationis determinandae voluntatis indigere, hoc eſt, *ſenſum voluptatis* (vel taedii) in re quadam *oportere antecedere*, ſi ratio debeat practica eſſe. — Hicerror, qui, ſi eum ſineres irrepere omnem philoſophiam moralem ſublaturus, neque quidquam praeter normam felicitatis, cuius reapſe nullum eſſe principium obiectiuum poteſt (quoniam pro diuerſitate ſubiectorum diuerſa eſt) reliquum facturus foret; hic error, inquam, non poteſt niſi per ſequentem *obruſſam ſenſorum* certo luci exponi. Ea *voluptas* (idue taedium), quae neceſſario debet *legem antecedere*, vt actio fiat, *pathologica* eſt; ea vero, *quam*, vt fiat, *lex* debet neceſſario antegredi, *moralis* eſt. Illius principia ſubſunt empirica (materia arbitrii) huius principium purum eſt *ex anticipatione* fundamento ſubſtratum (quod ſolummodo pendet ex forma voluntatis determinandae). — Quo quidem etiam fallacia cauſſae non cauſſae facile poteſt aperire, cum eudaemoniſta perhibeat, voluptatem (*tranquillitatem*) homini probo propoſitam quo eam ex conſcientia vitae bene actae olim ſentiat (proinde proſpectum *felicitatis* futurae) tamen proprium eſſe *elaterem* vitae bene (legi conuenienter) agendae. Cum enim eum, tamen antea vt probum legique obtemperantem, hoc eſt, vt hominem, in quo *lex ante voluptatem* antegrediatur, ſumere debeam, vt aliquando per

Cum hac autem ſenſibilitate perhibita rei, quae tamen ſolum poteſt in ratione pura inueniri, ſic comparatum eſt. — Huc vsque tantummodo de tribus adſenſionis gradibus vsque ad abitum illius in ignorantiam auditum erat: de ſcientia, de fide, ac de opinatione.*) Iam noua adducitur, cui nihil quidquam

conſcientiam vitae bene actae voluptatem animi perſentiſcat; orbis in concludendo inanis eſt, quo haec poſterior, quae *conſequens* eſt, in *cauſſam* vertatur vitae illius.

Quod autem adeo *Syncretiſmum* attinet quorumdum doctorum morum, *eudaemonia*, etſi haud totam, tamen *ex parte* pro principio moralitatis vtendi obiectiua (etiamſi conceſſeris, illius quoque ſenſim ſubiectiue quoque cum voluntate officio conuenienter determinanda contagionem eſſe); tamen hoc iter rectum tendit ad vacuitatem omnis principii. Namque elateres, a felicitate depromti, ſeſe immiſcentes, quamquam ad easdem *actiones* agunt, quam quae e principiis moralibus promanant; tamen maculant ſimul atque infirmant *ſenſum* moralem ipſum, cuius dignitas ordoque ſublimis in eo ipſo conſiſtit, vt, nullo habito illius reſpectu, quin ſuperandis vniuerſis illius commendationibus, nulli alii quam legi obedientiam praeſtemus.

*) Verbo medio vtuntur ſenſu theoretico quoque ſubinde idem ſignificante cum eo, quod *probabile* exiſtimatur, tumque probe notandum eſt, de eo, quod omnes, qui eſſe poſſunt experientiae terminos ſuperat, nec dici poſſe eſſe *probabile*, nec *improbabile* videri, proinde quoque vocabulum fidei reſpectu eiusmodi rei *ſignificatione theoretica* minime locum habere. — In verbis: hoc illudue *probabile* eſt, intelligitur quiddam medium (adſenſionis) opinationem inter atque ſcientiam: ita vt, *quidquid libuerit*, inde fingere poſſis. Quodſi quis autem, exempli gratia, dicat: certe quidem *probabile* eſt, animam poſt mortem viuere, *quid velit*, neſcit. Namque probabile dicitur id, quod pro vero reputatum plus quam partem dimidiam, certi (rationis ſufficientis) pro ſe pugnantem habet. Ergo rationes, neceſſe eſt, ſcientiam partialem, *cognitionisue* obiectae rei, de qua iudicatur, partem, contineant. Si igitur res nullo modo ſubiecta ſit ſub cognitionem nobis poſſibilem (cuiusmodi natura animae eſt, vt ſubſtantiae viuae etiam extra coniunctionem cum corpore, hoc eſt, vt ſpiritus); de poſſibilitate illius nec probabiliter poteſt, nec improbabiliter, ſed nullo modo iudicari. Nam rationes ſic dictae cognoſcendi in ſerie inſunt, ad rationem ſufficientem, proinde ad cognitionem ipſam, minime adpinquante, idcirco quia ad quidpiam ſenſibus inacceſſum referuntur, de quo, qua tali, fieri non poteſt cognitio theoretica.

cum logica commune eſt, quae in nullo intelligentiae progreſſu, ſed in praeuiſione ſenſitiua eorum cerni debet, quae nullo modo ſunt ſenſibus obnoxia, hoc eſt, *praeſenſio* rerum ſenſibus inacceſſarum.

Verum per ſe planum eſt, in eo certum quemdam tactum mysticum, ſaltumque (*ſalto mortale*) a

Pariter cum fide *teſtimonii* alius cuiusdam, quod quidpiam ſenſibus inacceſſum attingere debet, comparatum eſt. Adſenſio teſtimonii ſemper eſt aliquid empiricum; et perſona cui propter teſtimonium fidem habere debeo, res eſſe debet obnoxia experientiae. Quodſi autem pro natura ſenſibus inacceſſa accipiatur: de exiſtentia eius ipſa, proinde eam eiusmodi naturam eſſe, quam mihi illud teſtatur, per nullam experientiam poſſum edoceri (quoniam iſtud ſibi ipſi repugnat) neque ex impoſſibilitate ſubiectiua viſum vocis internae mihi immiſſae aliter atque ex contagione ſupernaturali enodandi ad eam concludere (ſecundum ea quae modo disputata ſunt de iudicatione ex probabilitate). Ergo nulla fides eſt theoretica rerum ſenſibus inacceſſarum.

Sed ſignificatione (moraliter) practica fides rerum ſenſibus inacceſſarum, non modo eſſe poteſt, verum ea adeo cum his arctiſſime coniuncta eſt. Namque ſumma moralitatis in me, quamuis ſenſibus inacceſſa, proinde haud empirica, tamen cum veritate atque auctoritate haud ignoranda (per imperatiuum categoricum) data eſt, quae vero finem praecipit, qui, theoretice ſpectatus, ſine potentia gubernatoris mundi eo agente, per vires meas ſolus, non poteſt impetrari (ſuum bonum). Illi autem moraliter practice *fidem habere*, non eſt exiſtentiam illius antea theoretice veram accipere, vt ad finem illum praeceptum intelligendum illuſtrationem capiamus, ad eumque efficiendum elateribus potiamur: namque ad id lex rationis iam per ſe obiectiue idonea eſt; verum vt ſecundum ideale illius finis ita agamus, ac ſi eiusmodi gubernatio mundi actualis eſſet; quoniam imperatiuus ille (haud fidem quidem ſed actionem praecipiens) ex parte hominis obedientiam *arbitrique* ſubmiſſionem ſub legem, ex parte *voluntatis* finem ei praecipientis autem ſimul facultatem fini conſentaneam (quae non humana eſt) continet, cuius cauſſa ratio humana quidem actiones, non vero actionum euenta (finem impetrandum) praecipere poteſt, quippe quae haud ſemper, vel prorſus, ſunt in hominis poteſtate. Igitur in imperatiuo categorico rationis quoad materiam practicae, qui praecipit homini: equidem volo, vt actiones tuae cum ſcopo omnium rerum conueniant, iam in eſt ſuppoſitio voluntatis legislatricis vniuerſam potentiam complectentis (diuinae) ſimul cogitata, neque eſt quod ſingulatim obtrudatur.

conceptibus ad incogitabile, facultatem adprehendendi ea, quae nullus conceptus adsequitur, exspectationemque mysteriorum, vel potius lactationem eorum, reapse vero ingeniorum ad fanaticismum deprauationem inesse. Nam praesensio cernitur in praeuisione obscura, spemque continet enodationis, quae vero in quaestionibus rationis fieri non potest nisi conceptibus, si igitur illae transscendentes sint, ad nullamque *cognitionem* propriam rei obiectae ducere queant, necessario surrogatum illorum, communicationem supernaturalem (illuminationem mysticam), debent pollicери: quo quidem mors continetur philosophiae vniversae.

Plato *academicus* igitur, quamuis haud per culpam suam (siquidem visionibus suis intellectualibus duntaxat ex adsumto vsus est, ad *explicandam* possibilitatem cognitionis syntheticae *ex anticipatione*, vt eam per illam ideam in intelligentia diuina legendam *dilataret*), factus est pater vniuersi fanaticismi *in philosophando*. — Nolim tamen Platonem (nuperrime in sermonem Theodiscum conuersum) *epistolographum* cum illo superiori permutari. Hic vult, praeter, quatuor *res* illas ad cognitionem necessarias, quippe *nomen* rei, *descriptionem*, *exhibitionem* et *scientiam*, etiam *quintam* (currus rotam), scilicet quoque rem ipsam eiusque *exsistentiam veram*. — Haec natura immutabilis, quae non nisi in anima potest et per animam videri, in hac vero, velut ex saliente ignis scintilla, sibi sponte lucem accendit, vult (tamquam philosophus exaltatus) sese adprehendisse; de qua nihilominus haud posse dici, quoniam continuo de ignorantia conuincerere, minime ad populum: quia quoduis eiusmodi iam periculosum tentamen foret, partim eo quod sublimes veritates illae despicientiae rusticae exponerentur, partim (quod hoc loco vnum rationi consentaneum est) quod anima ad spes inanes vanamque magnorum mysteriorum cognoscendorum opinionem intenderetur.

Digitized by Google

Ecquis eſt, quin hic myſtagogum videat, non ſolum per ſe delirantem, ſed ſimul quoque in collegiis ſecretioribus verſetur, et dum ad adeptas ſuos, cum populo comparatos (in quo omnes profani intelliguntur) verba facit, de philoſophia ſic dicta ſua *magnifice* ſentit! — Liceat mihi, nonnulla exempla recentiora in medium proferre.

In lingua myſtico-Platonica recentiori declaratur: „vniuerſa hominum philoſophia duntaxat poteſt aurora adumbrari; ſol praeſentiendus eſt.“ At nemo ſolem praeſentire poteſt, niſi alias iam quemdam viderit; nam ſane fieri poſſet, vt in globo noſtro ad regulam noctem dies ſequeretur (velut in hiſtoria Moſaica creationis), quamuis, propter caelum perpetuo nubilum, vnquam ſolem conſpiceres, omniaque negotia nihilominus ad hanc vicißitudinem (diei temporisque anni) iuſtum iter ſuum ſequerentur. Interim in eiusmodi rerum ſtatu philoſophus genuinus ſolem non *praeſentire* quidem poſſet (id enim non eius muneris eſt), ſed tamen fortaſſe *diuinare*, vt, ſumta hypotheſi quadam de tali corpore caeleſti illud viſum enodare, atque etiam rem acu tangere poſſet. — Fieri quidem non poteſt, vt in ſolem (res ſenſibus inacceſſas) introſpicias, niſi oculis capiare; ſed fieri commode poteſt, vt eam in reflexo (ratione animam moraliter illuminante), ipſoque reſpectu practico idoneo, conſpicias, velut Plato ſenior fecerat: pro quo nec Platonici „nobis profecto duntaxat ſolem ſcenicum largiuntur,“ quoniam nos tantum tactibus (praeſenſionibus) hoc eſt, ſolum ratione ſubiectiua, quae nullum omnino conceptum praebet rei obiectae, illudere cupiunt, quo opinione cognitionis rationis obiectiuae lactent, quae ſpectat transſcendens. — In eiusmodi verbis ſymbolicis, quibus iſta praeſenſio debet enodari, philoſophus tacticus Platonizans inexhauſtus eſt: velut „tam prope ad deam ſapientiam accedere, vt *ſtrepitum* veſtimenti eius percipere queas;“ verum etiam in collaudanda arte *Platonis ſpurii*, „cum velum Iſidis ne-

queas tollere, illud tamen, ita ſubtile reddere, vt poſſis ſub eo deam *praeſentire*.." — Quam ſubtile, non dicitur; ſpero tamen etiamnum tam denſum, vt ex ſpectro fingi quaecumque poſſint: alias enim conſpectus foret, qui euitari deberet.

In eamdem gratiam, argumentis probis deficientibus, „analogiae, probabilitates" (de quibus iam ſupra disputauimus), et „periculum caſtrandae rationis ſublimatione metaphyſica *) tam ſubtilibus neruis in-

*) Quae nec Platonicus haetenus dixit, reſpectu thematis tractanda, mera *metaphyſica* ſunt; ideoque non poſſunt niſi principia rationis formalia attingere. Senſim vero ea inſerit *hyperphyſicam*, hoc eſt, haud fere principia rationis practicae, ſed doctrinam de *natura* rerum ſenſibus inacceſſarum (dei, ſpiritusque humani), neque hanc vult „*ateo ſubtilem*" neri. Quam *nihili omnino* autem philoſophia ſit, quae hoc loco materiam conceptuum rationalium purorum attingit, ſi (velut in theologia transſcendentali) haud diligenter fuerit ab omni filo empirico ſeiuncta, ſequenti exemplo illuſtretur.

Conceptus transſcendentalis de deo, vt *ente omnium realiſſimo*, in philoſophia non poteſt praeteriri, vt maxime abstractus fuerit: pertinet enim ad colligationem et ſimul ad probationem omnium concretorum, quae poſtea in theologiam adplicatam doctrinamque religionis poſſunt recipi. Iam quaeritur vtrum deum mihi, vt *complexum* realitatum omnium, an vt *cauſſam* earum ſupremam debeam cogitatione informare. Quodſi prius faciam, materiae iſtius, ex qua ens ſummum compono, exempla mihi adferenda ſunt, ne conceptus illius, prorſus inanis, careat ſignificatione. Igitur illi fere *intelligentiam*, aut etiam *voluntatem* et ſimilia, vt realitates attribuam. Atqui omnis, quam noui, intelligentia verſatur in facultate *cogitandi*, hoc eſt, in facultate repraeſentatiua discurſiua, ſiue ea, quae per notam pluribus rebus communem (a quarum proinde discrimine in cogitatione mihimet temperandum eſt), proinde fieri non poteſt ſine *circumſcriptione* ſubiecti. Ergo intelligentia diuina non eſt pro facultate cogitandi accipienda. Verum de intelligentia alia, quae forte facultate intuitiua contineretur, ne minimum quidem conceptum habeo; ergo conceptus deintelligentia, quam in ente ſummo pono, inani voce ſonat.— Pariter: cum in eo realitatem aliam, *voluntatem*, pono, per quam illud cauſſa eſt rerum omnium extra ſe, ea mihi ſumenda eſt, in qua eius adquieſcentia minime pendeant ex exiſtentia rerum extra ſe; hoc enim foret negatio. Atqui rurſum ne minimum quidem conceptum habeo, nec vllum poſſum exemplum adferre voluntatis, in qua ſubiectum ad-

dutae, vt in certamine cum vitio difficulter posset consistere, vt argumenta citantur; cum tamen in his ipsis

quiescentiam suam ponat in successu felici volitionis, quae proinde haud ex exsistentia *pendeat* rei externae. Ergo conceptus de voluntate entis summi, vt realitate illi inhaerente, quemadmodum superior, aut inanis est, aut (quod peius est) anthropomorphisticus, qui, si, quod vitari non potest, in rem practicam inuehitur, omnem religionem corrumpit, eamque conuertit in idololatriam. — Quodsi autem de ente realissimo conceptum informem velut de *caussa* omnis realitatis, dico: deus est ens, quod caussam continet eorum omnium in mundo, *quo nos homines intelligentiam sumere cogimur* velut vniuersae formae finalis in eo); est ens, a quo exsistentia omnium entium cosmicorum originem ducit, non ex necessitate *naturae* illius (per emanationem), sed ex ratione, ad quem *nos homines voluntatem liberam sumere cogimur*, quo possibilitatem illius nobis explicemus. Hic quidem, quidnam *natura* entis summi (obiectiue) sit, plane inaccessum nobis prorsusque extra sphaeram cognitionis theoreticae nobis possibilis positum esse potest, et tamen (subiectiue) hisce conceptibus realitas *respectu practico* (ad vitam) relinqui; cuius quidem respectu quoque solum *analogia* diuinae et intelligentiae et voluntatis cum humana eiusque ratione practica sumi potest, quamuis respectu theoretico nulla in iis analogia locum habeat. Igitur ex lege morali, quam nobis nostra ratio per auctoritatem praescribit, non vero ex natura rerum per se ipsarum, conceptus de deo prodit, ad quem nobis *ipsis* informandam ratione pura practica cogimur.

Itaque si quis ex viris istis gigantibus, qui ex nuperrimo cum incitatione mentis sapientiam praedicant, quae nullam sibi molestiam faceſſit, quoniam hanc deam in lucinia vestimenti deprehendissent eaque esse sese potitos, dicat „se illum despicere, qui cogitet sibi *deum fingere*;“ istud in proprietatibus est eorum collegii, quorum oratio (vt inprimis secundatorum) *magnifica* est. Nam per se patet, conceptum, qui ex ratione nostra prodire debet, a nobis ipsis factum esse oportere. Quem si ab vllo quodam viso (re experientiae obnoxia) depromere voluissemus, ratio cognoscendi nostra foret empirica, neque ad valorem cuiuis, proinde ad certitudinem practicam apodicticam, quae legem habere vniuerse obligantem debet, inutilis. Potius sapientia nobis conspicua, primo cum conceptu illo a nobis ipsis informato, vt prototypo comparanda foret, vt videremus, an haec persona quoque charactéri illius prototypi sponte effecti consentanea sit; ac tum quoque, cum nihil in ea deprehendimus, quod huic repugnet, tamen nullo modo fieri potest, vt convenientiam cum eo secus ac per experientiam sensibus inaccessam (siquidem res obiecta est sensibus inaccessa) cognoscamus: id quod pugnat. Igitur *theophania* ex idea Platonis

principiis ex anticipatione ratio practica robur suum alioquin numquam praeuisum maxime sentiat, et potius ratione empirica (ob eam ipsam caussam ad legislationem vniuersalem inutili) euinceretur.

Tandem sapientia Theodisca recentissima prouocationem *ad philosophandum ex tactu* (haud fere, vti aliquot annos antiquior, ad *sensum* moralem *per philosophiam* commouendum *corroborandumque*) spectationi exponit, in qua necessario debet caussa cadere. Illius prouocatio haec est: „nota certissima genuinae hominum philosophiae, non est, quod illa certiores, sed quod *meliores* reddamur.“ — Ab hoc periculo postulari non potest, vt emendatio hominis (per sensum mysticum effecta) ab exploratore moralitatem illius in clibano explorante testimonio confirmetur; namque pondus actionum bonarum quisque facile quidem ponderare potest, sed quantum puritatis in sensu animi contineant, quis tandem de eo dicere testimonium potest, quod *vniuerse* valeat? At tale quidem esse oporteret, si eo quidquam deberet probari, sensu illo omnino homines meliores reddi, contra doctrinam humanam inertem esse. Igitur istius obrussam nulla potest experientia ministrare, verum solummodo in ratione practica, vt ex anticipatione data, quaerenda est. Experientia interna tactusque (qui per se empiricus est, ideoque fortuitus) tantummodo per dictamen rationis, quouis tempore perspicue loquentis, cognitionisque scientificae capacis, excitatur; non autem fere per tactum singularis quaedam regula practica rationi inducitur, quod fieri non potest: quoniam illa alioquin numquam potest vniuerse probabilis videri. Igitur necesse est, vt possit perspici ex anticipatione, quo

efficit *idolon*, quod non potest nisi per superstitionem coli; contra *theologia*, quae a conceptibus propriae rationis nostrae proficiscitur, proponit *ideale*, quod nobis extorqueat ad orationem, cum ipsum ex officiis oriatur sanctissimis a theologia liberis.

principio homines reddi meliores possint, si modo distincte atque inde sese animae illorum admoueatur, impressioque magna animaduertatur, quam illud in iis relinquit.

Atqui quisque homo in ratione sua ideam videt officii, atque ad vocem eius aeneam contremiscit, cum inclinationibus ad contumaciam sollicitatur. Persuasum ei est, etiamsi hae cunctae contra vocem illam coniurent, tamen maiestate legis, quam sibi sua ipsius ratio praescribit, eas omnes vincere oportere, proinde quoque voluntatem suam ad eam rem aptam videri. Haec omnia homini, etsi haud scientifice, at perspicue proponenda sunt, vt cum de auctoritate rationis sibi praecipientis, tum quoque de ipsis illius praeceptis certus sit; atque eatenus in doctrina versantur. — Iam hominem propono, vti se ipsum percontatur: quid est in me, quod efficit, vt intima adpetituum invitamenta, votaque omnia, quae ex natura mea proueniunt, legi deuouere possim, quae nullam mihi vtilitatem in compensationem pollicetur, nullumque damnum in ea migranda minatur; quin quam eo ardentius colo, quo seuerius praecipit, et quo minus contra offert? Atque haec quaestio, per admirationem magnitudinis atque excellentiae initiorum internorum in natura humana, simulque per magnitudinem mysterii, quo tegitur (nam responsio: *libertas* est, tautologica foret, quoniam hac ipsa mysterium absoluitur) animam excitat vniuersam. Non satiari possumus eo spectando, admirandaque in nobis potentia, nulli naturae potentiae cedente; atque haec admiratio cernitur in eo ipso tactu ex ideis genito, qui, si de doctrinis philosophiae moralis a scholis sacrisque suggestibus praeterea exhibitione istius mysterii singularis saepiusque repetita occupatio doctorum absolueretur, alte in animam penetraret, nec deesset homines moraliter emendare.

Hic igitur, quo Archimedes indiguit, nec tamen iuuenit, locus fixus est et stabilis, quo ratio possit ve-

Digitized by Google

ctem adplicare, ita quidem, vt eum neque mundo praeſenti, neque futuro, ſed ſolum ideae internae libertatis, quae per legem moralem grauem atque inconcuſſam, vt fundamentum certum, propoſita eſt, adplicet, quo voluntatem humanam, vel vniuerſa natura reſiſtente, principiis ſuos commoueat. Hoc igitur myſterium eſt, quod non poteſt, niſi conceptibus intelligentiae lente euoluendis principiisque diligenter examinatis, ergo non niſi labore, ad ſenſum reuocari. — Non eſt empirice (rationi ſoluendum propoſitum), verum ex anticipatione (vt vera cognitio intra terminos rationis noſtrae) datum, adeoque cognitionem rationalem amplificat vsque ad res ſenſibus inacceſſas, ſed non niſi reſpectu practico: haud quidem per *tactum*, quo conſtituatur cognitio (myſticum), verum per *cognitionem* diſtinctam, quae vim exſerit in ſenſu (morali). — Oratio poſſeſſoris putatitii iſtius myſterii non poteſt eſſe ſatis magnifica: nam ſola ſcientia dogmatica aut hiſtorica tumefacit. Scientia per criticam rationis ſuae ipſius remiſſa dogmatici neceſſario cogit ad temperantiam poſtulationum (modeſtiam); ſed arrogantia hiſtorici, lectio Platonis et auctorum claſſicorum, qui modo ad excolendum guſtum faciunt, non poteſt poteſtatem dare cum ea philoſophi perſonam agendi.

Atque hoc quidem tempore non videbatur ſupervacaneum arrogantiam iſtam reprehendi, quo in conſuetudinem abiit, vt ornamento tituloque philoſophiae abuterentur, et philoſophus viſionis (ſi talis concedatur) propter commoditatem ad faſtigium cognitionis ſaltu audaci ſine labore perueniendi ſenſim poſſet factionem magnam circum ſe conuocare (eſt enim audacia contagioſa): quod politia non poteſt in regno ſcientiarum tolerare.

Superba ratio ac friuola de *formali* cognitionis noſtrae (quod tamen munus praecipuum philoſophiae eſt) velut de paedantiſmo quodam, nomine *fabricatio-*

nis formarum decernendi, hanc ſuspicionem confirmat, nimirum conſilium ſecretum; ſub titulo philoſophiae reapſe omnem philoſophiam expellendi, atque vt victores illius magnifice ſe gerendi.

— — Pedibus ſubiecta viciſſim
Obteritur, nos exaequat victoria caelo.

Lucret.

Quam parum autem hic conatus, exploratrice critica ſemper vigili, ſuccedere poſſit, ſequens exemplum planum faciet.

In forma conſiſtit rei eſſentia (forma dat eſſe rei, dixerunt ſcholaſtici), quatenus haec per rationem cognoſci debet. Quae res cum ſubiecta eſt ſenſibus, tum forma rerum in viſione eſt (vt viſorum), ipſaque matheſis pura uihil aliud eſt, quam doctrina formarum *viſionis* purae; quemadmodum metaphyſica, vt philoſophia pura, cognitionem ſuam ſupremo conſtituit in *formis cogitandi*, ad quas poſtea quaeuis res (materia cognitionis) poteſt adſumi. Atque id his formis poſita eſt poſſibilitas vniuerſae cognitionis ſyntheticae ex anticipatione, quam nos habere non poteſt negari. — Transitionem autem ad res ſenſibus inacceſſas, quo ab ratione neceſſario pellimur, et quam non poteſt niſi reſpectu practico inſtituere, efficit ea quoque ſolum eiusmodi legibus (practicis), quae non quidem materiam actionum liberarum (finem earum) ſed tantum formam, vtilitatem normarum ad vniuerſalitatem legislationis, principio conſtituunt. In vtroque campo (et theoretico et practico) non *datio formarum* arbitraria, *ad modum* delineationis vel adeo *fabricationis* (in vſum ciuitatis) inſtituta, ſed labor diligens et ſtudioſus ante omnem *fabricationem* rem obiectam datam tractantem, quid? quod ne illa cogitata quidem, antegreſſus, ſuam ipſius facultatem (rationis) et recipiendi et aeſtimandi; contra vir bonus, viſioni rerum ſenſibus inacceſſarum oraculum aperiens, non poterit reprehenſionem declinare, ſeſe tractationem ingenio-

rum mechanicam ſpectare, eique nomen philoſophiae tantummodo honoris cauſſa attribuere.

At, quo vniuerſa haec concertatio partium, quibus reapſe vnum idemque bonum conſilium propoſitum eſt, nimirum vt homines et ſapientes reddantur et probi? — Tumultus eſt de nihilo, diſcordia ex diſſenſu, in quo nulla reconciliatione opus eſt, ſed tantum mutua declaratione, ad pactum faciendum, quo concordia in poſterum eo arctior reddatur.

Dea obuelata, cui nos ambo genua flectimus, lex eſt moralis in nobis, in maieſtate ſua ſacroſancta. Vocem eius quidem audimus, praeceptumque illius fere quoque intelligimus; in ea audienda vero dubii ſumus, vtrum ab homine, ex plenipotentia ſuae ipſius rationis, an ab alio, cuius natura illi ignota eſt, et quae ad hominem per hanc rationem eius propriam loquitur, proficiscatur. Reapſe fortaſſe prudentius egerimus, ſi ab hac inueſtigatione nosmet liberaremus; cum ea ſolum in contemplatione verſetur, et, quae nobis facienda ſunt (obiectiue) ſemper eadem maneant, ſiue vnum principium ſiue alterum fundamento ſubſtraueris: cum ratio didactica, legis moralis in nobis ad conceptus diſtinctos ex via logica reuocandae, proprie ſola *philoſophica* ſit, ea vero, qua lex illa perſona induitur atque rationem moraliter percipientem in Iſidem conuertitur obuelatam (quamquam huic nullas proprietates alias attribuimus, quam quae ad iſtam viam methodumque inueniuntur) in modo verſatur cogitandae *aeſthetico* vnius eiusdemque rei; qua quidem vti poſthac poſſumus, cum per illam principia iam fuerint conſtituta, vt exhibitione ſenſitiua, quamvis tantummodo analogica, ideae illae animentur, ſed ſemper tamen cum quodam diſcrimine incidendi in viſionem fanaticam, quae mortem adfert philoſophiae vniuerſae.

Igitur illam deam *praeſentire* poſſe, oratio foret idem denotans, ac per *ſenſum* moralem ad conceptus officiorum duci, priusquam principia, ex quibus ille pendet, potueris tibi *diſtincte* cogitando informare; quae quidem legis praeſenſio, ſimulatque tractatione ſcholaſtica transierit in cognitionem claram, in proprio philoſophiae munere verſatur, ſine qua illud rationis effatum in voce cerneretur oraculi, *) variis explicationibus expoſiti.

Caeterum, „ſi," hac compoſitionis lege non accepta, velut alia occaſione data, Fontenellius dixit: „homo ſimpliciter velit fidem oraculis habere; illi nemo poterit impedire."

*) Haec myſteriorum nundinatio de genere eſt longe alio. Adeptae illius non celant ſe lucem ad Platonem accendiſſe; et hic Plato putatitius fatetur ingenue: ſe, ſi quaeratur, in quo conſiſtat (quid ea illuminetur), dicere non poſſe. Quo vero melius! Tum enim per ſe intelligitur, eum, alterum Promethea, ſcintillam illius, proxime caelo abstuliſſe. Sic facile poteris vti oratione magnifica, ſi, ab nobilitate haereditaria vetuſta oriundus, et dicere: „Noſtris temporibus vltra actatem ſapientibus fere cuncta, quae ex ſenſu dicuntur vel aguntur, pro inſania habentur. O miſerum te Platonem! niſi ſigillo eſſes antiquitatis ornatus, et ſi, te haud lecto, eruditionem nobis vindicare poſſemus, ecquis aetate illa *proſaica*, qua ſumma ſapientia putatur, nihil quidquam videre, quam quae ante pedes conſpiciuntur, nec quidquam ſumere, quam quod manibus prehendi poteſt, te etiamnum legere cuperet?" — Sed haec concluſio caſu fit aduerſo, vt haud *conſequens* videatur: ea enim nimium probat. Namque *Ariſtoteli*, philoſopho maxime proſaico, profecto itidem impreſſum eſt antiquitatis ſigillum, et, ſecundum illud principium poſtulare poteſt, vt legatur! — Ac reapſe quidem vtique omnis philoſophia proſaica eſt; et conditio nunc rurſum poëtice philoſophandi ſane fieri poſſet, vt pariter acciperetur, atque conſilium mercatori: vt rationes ſuas in poſterum haud in proſa, ſed in verſibus conſignaret.

XV.

NUNTIUM PACTIONIS PROPEDIEM CONFICIENDAE AD PACEM AETERNAM IN PHILOSOPHIA. *)

SECTIO PRIOR.

SPES LAETA PACIS AETERNAE PROPE INSTANTIS.

De gradu infimo naturae viuae hominis vsque ad ſummum illius, quippe ad philoſophiam.

Chryſippus oratione graui ſua Stoica **) „natura, ait, porço pro *ſale animam* dedit, ne *putreſceret.*“ Qui gradus eſt infimus hominis ante vniuerſam culturam, nimirum adpetitus mere animalis. — Videtur autem philoſophus in eo oculum diuinantem ad ſyſtemata phyſiologica noſtrae aetatis conuertiſſe; modo quod nunc pro vocabulo animae voce *vis vitalis* vti placuit (quod etiam recte fit: ſiquidem ex effecto commode poteſt ad vim, quae illud edit, non vero continuo ad *ſubſtantiam* ſpeciatim ad hoc effecti genus inſtitutam concludi), *vita* autem in *contagione* actioneque virium ſollicitantium (ſollicitatione vitali) poni et facultate ad vires ſollicitantes *retro agendi* (facultate vitali), isque homo *ſanus* dicitur, in quo ſollicitatione aequabili neque effecti nimium neque parum edit: propterea quod contra occupatio naturae *animalis* transitura foret in *chemicam*, quam putredo ſequitur, ita, vt haud (vti olim creditum eſt), putredo ex morte et poſt mortem, ſed mors ex putredine antegreſſa conſequi deberet. — Hoc igitur loco *natura* in homine iam ante humanam eſſentiam eius, proinde vniuerſa atque in abstracto, vti ea in animali agit, modo ad vires

*) In menſtruis Berol. Vol. XXVIII. Faſc. 6. p. 485 ſeq.

**) Cic. de nat. deorum, Lib. II. Sect. 160.

euoluendas, quibus poſtea homo ad leges libertatis vti queat, depingitur; ſed haec actio eiusque excitatio haud practica eſt, verum adhuc tantum mechanica.

A.

De cauſſis phyſicis philoſophiae hominis.

Nullo reſpectu habito *conſcientiae ſui ipſius*, hominem prae caeteris animalibus diſtinguentis, ob quam is animal *ratione vtens* eſt (cui etiam, propter vnitatem conſcientiae poteſt *vna* tantum anima tribui); *propenſio* hac facultate ad *argutandum* vtendi, ipſa abit in methodum, et quidem ſolum per notiones, *argutandi*, hoc eſt, *philoſophandi*; poſtea quoque polemice cum philoſophia ſua alios vexandi, hoc eſt: *disputandi*, et quoniam hoc haud facile fit ſine commotione animorum, commodo philoſophiae ſuae *litigandi*, poſtremo cateruatim contra ſe inuicem (ſchola contra ſcholam velut exercitus contra exercitum) apertum *bellum gerendi;* haec propenſio, inquam, vel potius *pruritus*, vt vnum inſtitutorum naturae benignorum et ſapientium ſpectandum erit, quo illa calamitatem illam magnam viuo corpore putreſcendi, ab homine conatur depellere.

De effecto philoſophiae phyſico.

Id quod cernitur in *ſtatu ſalubritatis rationis*, vt effecti philoſophiae. Cum autem ſtatus ſalubritatis humanae (vti ſupra dictum eſt) in aegrotatione ac reconualeſcentia perpetua verſetur, ſola *diaeta* rationis practicae (fortaſſe quaedam illius gymnaſtica) nondum ſufficit, ad aequilibrium, quod ſtatus ſalubritatis verſatur atque in cuſpide crinis haeret, conſeruandum; verum philoſophiam (therapeutice) oportet vt *materiam medicam* agere, cuius in vſum tum dispenſatoriis et medicis (quibus vero quoque ſolis ius competit vſus *imperandi*) opus eſt: in quo politia curam gerere debet, vt medici artifices, nec meri amatores ius ſibi arro-

gent, *cui philoſophiae dare operam debeas*, ſuadendi, atque ita in arte, cuius ne prima quidem elementa tenent, turpiter ſe dent.

Exemplo virium philoſophiae, vt materiae medicae, philoſophus fuit Stoicus Poſidonius periculo in ſe ipſo facto in praeſentia Pompeii magni (Cic. Quaeſt. Tuſc. Lib. II. Sect. 61): dum ſcholam Epicuream acriter impugnando vehementem arthriditis impetum ſuperauit, quam in pedes demonſtrando depulit, atque acorde et capite defendit, atque ita *effecti phyſici* philoſophiae proximi, quod natura per illam ſpectat (ſalubritatis corporis), argumentum propoſuit, dum de ſententia declamauit, *dolorem non eſſe in prauis.* *)

De ſpecie philoſophiae cum ſtatu pacis conſtante illius haud conciliandae.

Dogmatiſmus (veluti ſcholae Wolfianae) eſt pulvinus ad indormiſcendum finisque animationis omnis; quae tamen ipſa in beneficio philoſophiae verſatur. — *Scepticiſmus*, qui, abſolutus ſit, ipſum illius contrarium conſtituit, nihil habet, quo vim poſſit in ratione mobili exſerere; quia cuncta intacta ſeponit. — *Mo-*

*) Reſpectu ſalutis et *malorum* (dolorum) homo (velut omnes naturae animales) obnoxius eſt legi *naturae*, praebetque ſe tantummodo patiendo; ſed ratione *praui* (boniquc) legi *libertatis* ſubeſt. Illa continet ea, quae homo *patitur*; haec ea, quae voluntarie agit. — Reſpectu *facti* diſtinctio inter *dextrum* et *ſiniſtrum* in mero discrimine verſatur in relatione hominis externa. Reſpectu libertatis eius autem et relatione legis ad eius inclinationes, discrimen eſt in inteſtino illius. — Superiori in caſu *rectum obliquo*, ſed in poſteriori rectum *prauo* ſeu varo obtortoue opponitur.

Latinos euentum malum in parte ſiniſtra ponere, fortaſſe propterea fit, quod manu ſiniſtra impetum tam facile poſſumus quam dextra defendere. Quod vero in auguriis, auſpex facie ad templum ita dictum (in regione auſtrali) converſa, fulgur ad ſiniſtrum pro proſpero accepit, in cauſſa videtur eſſe, quod deus fulminator, qui auſpici e regione cogitabatur, fulgur tum dextra tenet.

deratiſmus, qui medium tenet, in ſubiectiuaque *probabilitate* lapidem philoſophorum inueniri putat, multis rationibus ſolitariis (quarum nulli per ſe illum probandi neruus eſt) coaueruandis defectum rationis idoneae ac ſufficientis ſuppleri exiſtimat, nulla omnino philoſophia eſt: et cum hac materia medica (doxologia) velut cum tinctura peſtilentiaria aut theriaco Venetiano comparatum eſt, ita vt, ob *nimium boni* quod ad dextram in iis ſiniſtramque prehenditur, *ad nihilum proſint*.

De philoſophia critica cum ſtatu pacis conſtante illius reuera concilianda.

Philoſophia critica eſt ea, quae non cum *conatibus* condendi ſyſtemata aut euertendi, adeoue tantum (vti Moderatiſmus) tectum ſine domo, quo occaſione data confugere poſſis, fulcris ſustinendi, ſed ab inueſtigandis rationis humanae facultatibus (quo illud cumque conſilio fiat) incipit occupare, neque tam temere argutatur, cum de philoſophematibus ſermo eſt, quae nequeunt per vllam, quae eſſe poteſt, experientiam probari. — Iam tamen aliquid in ratione humana eſt, quod nobis nulla poteſt experientia innoteſcere, et nihilominus realitatem ſuam veritatemque in effectis manifeſtat, quae in experientia proponi poſſunt, proinde quoque (et quidem ſecundum principium ex anticipatione) ſimpliciter imperari. Idque notio eſt *libertatis*, et lex inde enaſcens imperatiui categorici, hoc eſt, abſolute praecipientis. — His *ideae*, quae rationi mere contemplatiuae prorſus inanes forent, quamquam his ad illas, vt principia cognoſcendi ſcopi noſtri neceſſario ducimur, realitatem nanciſcuntur quamuis tantum moraliter practicam: vt ſcilicet ita nosmet *componamus*, quaſi res iis velut materia ſubiectae (deus et immortalitas) quae proinde reſpectu illo (practico) poſtulari poſſunt, datae eſſent.

Haec philoſophia, quae (contra eos, qui praepoſtere viſa permutant cum rebus per ſe ipſis) in ſtatu

ſemper armato, eo ipſo quae in ſtatu armato rationis actionem perpetuo comitante verſatur, ſpem aperit pacis inter philoſophos aeternae per impotentiam fragilitatemque argumentorum *theoreticorum* contrarii ex vna parte, et per vim roburque rationum *practicarum* in ſectandis illius principiis ex altera parte; — pacis, cuius praeterea haec in laudibus eſt, quod vires ſubiecti per impetus in discrimen putatitium vocati ſemper agiles ſeruat, atque ita quoque conſilium naturae, ad illud animandum perpetuo atque lethargum ab eo arcendum, per philoſophiam adiuuat ac promouet.

* * *

B.

Initia et fundamenta hyperphyſica vitae hominis commodo philoſophiae illius.

Ope rationis animae hominis *mens* (νοῦς) data eſt, ne *vitam* degat tantummodo mechaniſmo *naturae* legibusque illius technico-practicis, verum etiam ſpontaneitati *libertatis* eiusque legibus moraliter practicis conuenientem. Hoc principium vitae non in notionibus *rerum ſenſibus ſubiectarum* nititur, quae cunctae primo (ante vniuerſum rationis vſum practicum) *ſcientiam* ſupponunt, hoc eſt, cognitionem theoreticam, verum proxime et ſine interuentu ab idea *rerum ſenſibus inacceſſarum* proficiſcitur, ſcilicet ab *libertate* atque ab imperatiuo categorico morali, quo illa nobis demum aperitur; atque ita philoſophiam conſtituit, cuius doctrina haud fere (veluti matheſis) in inſtrumento bono (ad fines, qui placeant, idoneo), proinde in mero adiumento verſatur, ſed qua pro principio vti *per ſe ipſa in officio eſt.*

Quid eſt philoſophia, vt doctrina in omnibus ſcientiis homini maxime neceſſaria?

Ea in eo, quod iam illius nomen indicat, in *inueſtigatione ſapientiae* cernitur. Sed ſapientia conſpira-

Digitized by Google

tione voluntatis cum *ſcopo* (ſummo bono) continetur: cumque hic, quatenus impetrari poteſt, etiam in officio ſit, et vice verſa, ſi in officio eſt, etiam impetrari poſſe neceſſe ſit, eiusmodi lex autem actionis moralis dicatur: ſapientia homini nihil aliud erit, quam principium *voluntatis* legum moralium ſequendarum, qualiscumque res illi propoſita fuerit, quae vero ſemper *ſenſibus inacceſſa* erit: quoniam voluntate per rem empiricam determinata ſane quidem vſus cuiusdam regulae technice practicus, nullum autem *officium* (quod in relatione haud phyſica verſatur) conſtitui poteſt.

De rebus ſenſibus inacceſſis cognitioni noſtrae ſubiectis.

Quae quidem et *deus* ſunt et *libertas* et *immortalitas*. — 1) *Deus*, vt natura vniuerſos obligans; 2) *libertas*, vt facultas hominis cultum officiorum (tamquam praeceptorum diuinorum) contra omnem naturae potentiam tuendi; 3) *immortalitas*, vt ſtatus, in quo in hominem proſperitas vel calamitas pro modo pretii eius moralis cadere debet. — Intelligitur, eas coniunctas quaſi in concatenatione trium enuntiationum *ratiocinationis* imputantis teneri; cumque iis, ob eam ipſam cauſſam, quod ideae ſunt rerum ſenſibus inacceſſarum, nulla poteſt realitas obiectiua reſpectu theoretico dari, ea, ſi illis nihilominus talis debet comparari, non niſi reſpectu practico iis, vt *poſtulatis* *) rationis moraliter practicae concedi poterit.

*) *Poſtulatum* cernitur in imperatiuo practico ex anticipatione dato, cuius poſſibilitas non poteſt explicari (quod proinde quoque non poteſt probari). Itaque non res, neque omnino *exiſtentia* vllius cuiuspiam rei, ſed modo norma quaedam (regula) actionis ſubiecti cuiuspiam poſtulatur. — Quodſi ergo in officio ſit, vt ad certum finem quemdam (ſummum bonum) actiones meas componam; etiam ius mihi competat, neceſſe eſt, ſumendi: conditiones adeſſe, quibus efficiretur ſolis, vt queam iſtud officium facere, quamuis illae quidem ſenſibus inacceſſae ſint, neque nos (reſpectu theoretico) vlla earum cognitione poſſimus potiri.

Digitized by Google

In his igitur ideis media, quippe *libertatis*, quoniam eius exſiſtentia in imperatiuo categorico comprehenditur, quod nulli dubio locum concedit, duas reliquas comites habet; propterea quod illo ſummum *ſapientiae* principium, proinde quoque ſcopus voluntatis perfectiſſimae (ſumma felicitas cum moralitate conſpirans) ſupponente, tantum conditiones continentur, quibus ſolis fit, vt huic ſatis fieri queat. Namque natura illa, quae hanc distributionem aequabilem ſola poteſt efficere, deus eſt; ſtatusque, in quo haec effectio in naturis coſmicis ratione praeditis ſolum poteſt illi ſcopo prorſus conuenienter fieri, cernitur in ſumenda duratione vitae iam in earum natura fundata, hoc eſt, *immortalitate*. Quodſi enim duratio vitae in ea non eſſet fundata, illa tantummodo *ſpem* vitae futurae, non vero futuram vitam per rationem (comite imperatiuo morali) neceſſario ſumendam denotaret.

Summa.

Quamobrem mera ignorantia, vel permutatio principiorum moraliter practicorum moralitatis cum theoreticis, in quibus ſolum ſuperiora reſpectu *rerum ſenſibus inacceſſarum* poſſunt *cognitionem* largiri, ſi adhuc controuerſia de iis, quae philoſophia vt doctrina ſapientiae proponit, moueatur; ac de hac, quia contra eam nihil grauioris momenti obiicitur, nec obiici poteſt, iure optimo poterit

Tranſactio pacis in philoſophia aeternae prope inſtans nuntiari.

SECTIO POSTERIOR.

SPES DUBIA PACIS AETERNAE IN PHILOSOPHIA INSTANTIS.

Schloſſerus, vir magnis ſcriptoris dotibus et (vti eredi fas eſt) mente ad bonum promouendum compo-

ſita, quo ab adminiſtratione legum ſeruili auctoritati obnoxia otio ſeſe haud tamen otioſo recreet, inopinato in arenam deſcendit *metaphyſices:* vbi litium acerbarum longe plures ſunt, quam in campo, quem modo reliquerat. — Philoſophia critica, quam ſe noſſe putat, quamquam non niſi ſummas poſtremas ex ea promanantes inſpexit, et quas, quia, qui eo ducunt, gradus haud diligentia curioſa fecerat, neceſſario perperam intelligere cogebatur, eum concitauit. Atque ita continuo praeceptor euaſit viri cuiusdam iuuenis, qui (vti perhibet) operam dare philoſophiae criticae vellet, etſi ipſe illam haud didicerat, vt illi eam diſſuaderet.

Id agit tantummodo, vt, ſi fieri poſſit, criticam rationis purae de medio tollat. Conſilium eius ſimile eſt fidei illorum amicorum, qui ouibus pollicebantur: ſe, ſi illae modo canes mitterent, inſtar fratrum cum iis pace perpetua victuros. — Tiro iſti conſilio obediens, in crepundiis eſt in manu magiſtri, „ad guſtum (vti hic perhibet) ſcriptoribus vetuſtatis (in arte perſuadendi, per rationes adſenſus ſubiectiuas, pro via conuincendi, obiectiuis) confirmandum.“ Tum certus eſt: illum ſibi *veriſimilitudinem* loco *probabilitatis*, et hanc, in iudiciis, quae ſimpliciter non niſi ex anticipatione poſſunt ex ratione proficiſci, pro certitudine vendi paſſurum. „Oratio barbara aſpera philoſophiae criticae“ minus illi adridebit; cum tamen oratio *lepida*, in philoſophiam elementarem translata, ibi barbara habenda videatur. — Dolet eum et male habet, „vniuerſis ominationibus proſpectibusque ad res ſenſibus inacceſſas, cuiuis poëſeos genio, alites praecidi debere“ (ſi philoſophiam attineat!).

Philoſophia in ea parte, quae continet *doctrinam ſcientiae* (in theoretica) et quae, quamquam maximam partem arrogantias in cognitione theoretica coërcendas ſpectat, tamen nullo modo poteſt praeterire, in

Digitized by Google

practica pariter cogitur ad *metaphyſicam* (morum) vt ſummam principiorum notionis libertatis *formalium*, reuerti, priusquam de fine actionum (materia voluntati ſubiecta) quaeratur. — Philoſophus noſter anticriticus hunc gradum transſilit, vel potius adeo prorſus ignorat, vt principium, quod eſſe obruſſa omnis *iuris* poteſt: *age ad normam ex qua ſimul velle queas, vt ea lex vniuerſalis euadat*, penitus perperam accipiat, eique vim tribuat, qua illud ad conditiones empiricas reuocetur, atque ita ad canonem rationis moraliter practicae purae (cuiusmodi tamen eſſe neceſſe eſt) inutile reddatur; quo quidem in campum longe alium ſe coniicit, quam quo canon ille eum ablegat, conſecutionesque abſonae efficiuntur.

Sed manifeſtum eſt, hoc loco non de principio *adiumentorum* ad certum quemdam *finem* vtendorum ſermonem eſſe (tum enim illud principium pragmaticum foret, non vero morale); nec, ſi norma voluntatis meae, pro lege vniuerſali accepta, normae voluntatis *alius* cuiuspiam, ſed ſi *ſibi ipſi* repugnet (quod ex mera notione, ex anticipatione, poſſum, ſine omni relatione empirica, veluti „vtrum communio bonorum an dominium in normam meam recipiantur?“ ex principio repugnantiae diiudicare), hoc in criteriis eſſe indubitatis poſſibilitatis moralis actionum. — Sola inſcitia, fortaſſe etiam aliquantum propenſionis malae ad dolum, poterat hunc impetum excitare, qui interim

paci aeternae in philoſophia adnuntiandae

nihil poteſt derogare. Namque pactum de facienda pace, quod ita comparatum eſt, vt, ſi partes ſe inuicem modo intelligant, etiam continuo (ſine transactione) confectum ſit, etiam pro confecto poteſt, certe confectioni propinquum, adnuntiari.

* * *

Philoſophia, etiamſi ſolum vt *doctrina ſapientiae* (id quod etiam propria illius ſignificatio eſt) tamen etiam vt doctrina *ſcientiae* non poteſt praeteriri: quatenus haec cognitio (theoretica) notiones continet elementares, quibus ratio pura vtitur; licet iſtud fiat tantummodo ad huius carceres ei ob oculos ponendos. Iam vix quaeri de philoſophia poteſt ſignificatione ſuperiori: vtrum libere atque ingenue *fateri debeas*, quid et vnde illud reapſe de re illi ſubiecta (rebus ſenſibus obnoxiis atque inacceſſis) ſcias, an reſpectu practico (quia ſumtio illius ſcopo rationis prodeſt) modo ſupponas?

Fieri poteſt, vt haud omnia *vera* ſint, quae quispiam vera putat (nam *errare* poteſt); verum in omnibus, quae loquitur, eum eſſe *veracem* oportet (non debet *imponere*): ſiue confeſſio eius ſolum interna (coram deo) ſit, ſiue etiam externa. — Transgreſſio huius officii veracitatis adpellatur *mendacium:* quapropter mendacium externum, ſed etiam internum eſſe poteſt, ita vt ambo coniuncta, vel etiam ſecum inuicem pugnantia poſſint euenire.

Mendaciŭm autem, ſiue internum ſit ſiue externum, duplicis generis eſt: 1) cum id pro *vero* vendis, quod falſum eſſe tibi conſcius ſis; 2) cum quidpiam pro *certo* vendis, quod tamen ſubiectiue incertum eſſe, tibi conſcius videare.

Mendacium („a patre mendaciorum, per quem omnia praua in mundum venerunt") proprius eſt naevus putridus in natura humana; vt maxime *oratio veracitatis* (exemplo quorumdam inſtitutorum Sinenſium, qui literis aureis tabernas inſcribunt: „hic non decipitur") inprimis in iis, quae res ſenſu inacceſſas ſpe-

Digitized by Google

ſtant, oratio conſueta videatur. — Praeceptum: *ne mentiare* (etiamſi ex conſilio ſanctiſſimo fiat) pro principio in philoſophiam vt doctrinam ſapientiae arcte receptum, non ſolum pacem in ea aeternam efficere poſſet, verum etiam in omne tempus poſterum ei cavere.

Digitized by Google

XVI.

ARGUMENTUM

QUO,

DEUM ESSE,

VNO POTEST EVINCI.

PRAEFATIO.

Nec mea dona tibi ſtudio diſpoſta fideli,
intellecta prius quam ſint, contemta relinquas.
Lucret.

Equidem haud tantam de vtilitate laboris, qualis praeſens, opinionem foueo, quaſi omnium cognitionum noſtrarum grauiſſima · DEUS EST, ſine ope inueſtigationum profundarum metaphyſicarum titubet ac vacillet atque in discrimine verſetur. Neque enim conſilium fuit prouidentiae, vt cognitiones noſtrae ad felicitatem ſumme neceſſariae ex ſubtilitate penderent ratiocinationum argutarum, verum vt intelligentiae naturali communi proxime traderentur, quippe quae, niſi arte praua perturbetur, non poteſt non ad verum nos atque vtile perducere, quatenus iis maxime indigemus. Vnde is ſane rationis vſus, qui ipſe adhuc intra carceres cognitionum communium vulgariumque verſatur, argumenta ſatis euidentia de exſiſtentia et proprietatibus huiusce naturae ſuppeditat, quamuis ſcrutator ſubtilis vbique demonſtrationem terminationemque notionum diligenter definitarum et ratiocinationum rite coniunctarum deſideret. Nihilominus tamen non poſſumus non anquirere, anne haec demonſtratio vspiam ſeſe nobis oſtendat. Vt enim cupiditatem praeteream haud iniquam, a qua mens ad inueſtigationem adſueta ſibi non poteſt temperare, vt in cognitione tam graui quiddam pleni perſpicueque

comprehenſi attingamus, ſperari poteſt, cognitione tali, ſi ſemel ea potitus fueris, multo plura in ea re poſſe enodari. Quo vero ad hunc finem peruenias, in infinita metaphyſices voragine natandum videtur. Quae quidem in oceano conſiſtit littore et pharo deſtituto, vbi nautam in naui haud tentata imitari debemus, qui ſimulatque vspiam ad terram adpellitur, iter ſuum examinat atque anquirit, anne fortaſſe fluminibus marinis curſus perturbatus fuerit, quamuis, quascumque nauigandi ars praeceperit, cautiones adhibuerit.

Interim haec demonſtratio nondum adhuc inuenta eſt, vti iam alii monuerunt. Quae hoc loco in medium adfero, etiam non niſi in argumento ad demonſtrationem verſantur, atque in materia ad aedificandum operoſe congeſta, quae examini peritorum propoſita eſt, vt ex partibus eius vtilibus ad regulam firmitatis et conuenientiae aedificium exſtruatur. Vti autem, quae in medium attuli, pro demonſtratione ipſa haberi nolo, ita quoque reſolutiones notionum, quibus vſus ſum, iam definitionibus continentur. Quippe quas veras eſſe notas exiſtimo rerum, de quibus ago, e quibus definitiones queant iuſtae effici, per ſe propter veritatem perſpicuitatemque vtiles, quae vero vltimam manum artificis exſpectant, vt definitionibus poſſunt adcenſeri. Quoddam tempus eſt, cum in tali ſcientia, qualis metaphyſica eſt, omnia nos definire poſſe ac demonſtrare, contra ea vero tempus aliud eſt, quo non niſi timidi ac diffidentes eiusmodi labores adgredimur.

Quae nunc propoſui, contemplationes profectae ſunt ex meditatione diuturna, ſed generi orationis nota ineſt, laboris inchoati atque imperfecti, quatenus occupationes variae temporis ad eam rem neceſſarii haud quidquam reliquum fecerunt. Interim inſinuatio admodum fruſtranea videtur, ſi veniam lectoris implores, quod, qualemcumque per cauſſam, tantummodo viliora illi poſſis proponere. Neque enim is

vmquam iſtud condonabit, etiamſi maxime ea de re te excuſaueris. Mei quidem operis forma haud prorſus abſoluta non tam negligentiae cuidam tribuenda eſt, quam omiſſioni ſtudioſae. Primas modo lineas formae adumbrare volui, ad quam, opinor, aedificium haud paruae praeſtantiae exſtrui poſſet, ſi a manibus peritioribus deſcriptioni partium maior veritas in vniuerſumque conuenientia abſoluta impertiretur. Quo quidem conſilio inutile foret, diligentiam nimium anxiam impendi, vt in partibus ſingulis omnes lineae diligenter perficerentur, cum formae demum in toto ſeuera artificum ſententia exſpectanda videatur. Ex quo factum eſt, vt ſaepius argumenta adferrem, neque tamen putarem, nexum illorum cum conſecutione in praeſenti a me poſſe perſpicue doceri. Nonnumquam iudicia intelligentiae communis attuli, neque tamen arte logica formam iis firmitatis impertii, quae materiae in ſyſtemate neceſſaria eſt, vel propterea quod arduum videbatur, vel quod longitudo praeparationis neceſſariae magnitudini operis haud conueniebat, vel etiam quia, cum nullam demonſtrationem pollicerer, iure me ab obligatione liberare poſſe putabam, quae haud incuria a ſcriptoribus ſyſtematicis poſtulatur. Atque huiusmodi lectorum iudicium cognitioni humanae inprimis vtile videtur. Reliqui quidem ad nexum in magno perſpiciendum inepti, in vnam alteramue partem minutam ſollicite infixi, nec, vtrum reprehenſio, quam ea fortaſſe mereret, etiam pretium totius infeſtet, atque anne emendationibus in partibus ſingularibus forma praecipua, quae tantum in partibus ſub vitium cadit, conſeruari queat, haud curantes, ſemper in eo occupati ſunt, vt quoduis aedificium inchoatum ſubvertant ac proſternant, et hi quidem ob multitudinem metui poſſunt, ſed ſententia eorum, ſi de vero pretio ſtatuendo agatur, apud prudentes parum ponderis habeat.

Equidem haud ſcio, an in nonnullis locis ſatis copioſe mentem meam explicauerim, quo omnis occa-

ſio illis demeretur conuiciandi, qui libello notam inurere ſolent errorum; verum quae tandem cautio circumſpectióque iſti inſaniae potuiſſet praeuenire? Interim tamen iis memet ſatis dilucide aperteque locutum exiſtimo, qui nihil aliud in libro inuenire volunt, quam quod animus ſcriptori fuit in illo proponere. Quoad eius fieri potuit, a confutationibus volui abstinere, vt maxime ſententiae meae ab aliorum ſententiis abhorreant. Atque hanc comparationem contemplationi lectoris, qui vtrasque perſpexit, relinquo. Quodſi iudicia rationis haud ſimulatae in variis hominibus cogitantibus ſinceritate patroni cauſſarum incorrupti examinarentur, qui rationes duarum partium litigantium ita ponderat, vt cogitatione ſeſe in locum transferat eorum, qui eas proferunt, vt illas tam firmas videat, quam fieri vmquam poſſunt, et tum demum apud ſe ſtatuat, cui potiſſimum parti ſe tradere velit, tum multo minor discrepantia foret in philoſophorum ſententiis, et aequitas infucata, ipſi cauſſae partis aduerſae, quantum fieri poſſit, maxime patrocinandi, breui ingenia ſcrutantia in vna via coniunctura foret.

In inueſtigatione ardua ac difficili, qualis praeſens videtur, poſſe mihi videor exſpectare, fore vt ſubinde ſententiae falſae, tractationesque mancae, atque imperfectae videantur. Neque etiam ab lectore poſtulo, vt mihi vbique adſentiatur, quod equidem nulli vmquam auctori conceſſerim. Igitur mihi haud mirum videbitur, in nonnullis rebus meliora me edoceri, docilemque memet praebebo in tali inſtitutione accipienda. Difficile eſt, ab iure veritatis nos abdicare, quod initio fidenter profeſſi ſumus, cum rationes proponebamus: vnum haud item difficile eſt, cum hoc ius lene erat, incertumque et modeſtum. Vel ipſa vanitas ſubtiliſſima, ſi ſe ipſam probe intelligat, animaduertet, haud parum laudis eſſe, pati ſe de errore conuinci, quam vt ipſa alios conuincat, et illam actionem fortaſſe plus veri honoris adferre, quatenus ma-

iori renuntiatione ſuique ipſius examinatione ad eam opus eſt, quam ad alteram. Videri poſſet, ac ſi vnitas, quae oculis in contemplanda re propoſita obuerſari debet, negligatur ac laedatur, quod paſſim longiores illuſtrationes phyſicae occurrunt; ſed, cum in iſtis cauſſis potiſſimum viam ac methodum, per phyſicam ad dei cognitionem adſcendendi, ſpectem, iſtud conſilium ſine eiusmodi exemplis aegre potui conſequi. Meditatio ſeptima ſectionis ſecundae propterea maiori indiget venia, potiſſimum cum, quae illi ſubiecta eſt, materia e libro, quem quondam celato nomine edidi,*) depromta fuit, vbi fuſius ea de re, quamquam in contextu cum variis hypotheſibus aliquantum audacibus tractatum eſt. Interim et cognatione, quae ſaltim libertati licitae eiusmodi explicationes audendi, cum fine meo primario intercedit, et deſiderio item, vt quaedam in hac hypotheſi a peritis iudicentur, factum eſt, vt hanc meditationem inſererem, quae fortaſſe breuior eſt, quam vt omnes rationes eius intelligantur, aut etiam longior iis, qui hic nil niſi metaphyſicam exſpectant, atque a quibus ea facile poteſt praeteriri.

Opus ipſum tribus abſoluitur ſectionibus, quarum *vna* argumentum ipſum, *altera* magnam illius vtilitatem, *tertia* vero rationes proponit, ita vt euincatur, dari nullum aliud poſſe ad demonſtrationem exiſtentiae dei.

*) Hiſtoria naturalis ac theoria caeli catholica. Regiomonti et Lipſiae 1755.

SECTIO PRIMA

IN QUA

ARGUMENTUM

AD DEMONSTRATIONEM

EXSISTENTIAE DEI

PROPONITUR.

MEDITATIO PRIMA

DE EXSISTENTIA IN GENERE.

Regula ſubtilitatis haud ſemper poſtulat, vt in ipſa oratione profundiſſima quaeuis notio obuia euoluatur ſeu explicetur; cum ſcilicet certi ſumus, notionem communem tantum claram ibi, vbi vſurpatur, nullam poſſe errori anſam praebere: veluti geometra proprietates rationesque extenſi occultiſſimas aperit, quamquam in eo tantummodo conceptu ſpatii vulgari vtitur, atque vti in ſcientia profundiſſima verbum *repraeſentationis* ſatis adcurate intelligitur, fidenterque vſurpatur, etſi ſignificatio illius numquam poteſt per definitionem reſolui.

Quamobrem in hisce meditationibus haud vsque ad enodandam notionem exſiſtentiae maxime ſimplicem beneque intellectam deſcenderem, niſi hoc ipſo loco hic neglectus confuſioni poſſet erroribusque graviſſimis anſam praebere. Certum eſt, in vniuerſa philoſophia reliqua illam ita inenodatam, vti in vſu communi inuenitur, ſine dubitatione poſſe adhiberi, ſi ab vna illa quaeſtione de exſiſtentia abſolute neceſſa-

ria et fortuita discesseris; hic enim inuestigatio subtilior ex notione infeliciter expolita alioquin maxime pura conclusiones falsas effecit, quae per partem philosophiae sublimissimam sese dilatarunt.

Ne quis tamen exspectet, me definitione iusta exsistentiae initium facturum esse. Optandum esset, vt hoc numquam fieret, vbi adeo incertum est, rite nos explicasse, atque hoc saepius accidit, quam cogitamus. Equidem ita memet componam, quasi is, qui definitionem quaerit, anteaque sese de eo certiorem reddit, quod de re definitioni subiecta certo adfirmari possit vel negari, quamquam nondum statuit, in quo notio plene definita illius versetur. Diu ante, quam definitionem de re tibi proposita tentaueris, et vel tum, cum minime illam audes proponere, multa de illa re possunt certissime dici. Dubito, vllum vmquam hominem rite, quid spatium sit, definitione terminasse. Verum, licet mihimet ab ea temperem, tamen certus sum, ibi, vbi illud est, relationes externas esse oportere, neque illud plures posse quam tres dimensiones videri, et quae sunt generis eiusdem. Cupiditas, quidquid ea sit, oblectationem ex adpetitu percipiendam supponit et sic porro. Saepenumero ex iis, quae ante omnem definitionem rei certo nouimus, ea quae ad finem inuestigationi propositum pertinent, prorsus certo possunt deriuari, et tum difficultatibus nosmet inutilibus implicamus, cum eo vsque progredimur. Insania methodorum, imitatioque mathematicorum, qui in via bene munita tutus progreditur, in fundo lubrico metaphysices vim eiusmodi errorum protulit, qui nobis perpetuo ob oculos versantur, et tamen parum spei est, eo homines moueri sese passuros esse cautioresque euasuros. Atque haec methodus sola est, per quam equidem aliquas enodationes spero, quas frustra in aliis quaesiueram: quod enim cogitationem gratam, quam de se concipiunt, spectat, fore vt maiori acumine rem melius atque alii tangant,

nouimus ſane, ſemper omnes ſic locutos fuiſſe, qui nos ex errore alieno transferre in ſuum voluerunt.

I.

Exſiſtentia nullum omnino attributum eſt vel determinatio vllius rei cuiuspiam.

Haec ſententia mira videtur atque abſona, ſed ea indubitato certa eſt. Ponatis ſubiectum, quod vultis, aliquod, veluti Iulium Caeſarem. Vniuerſa eius, quae cogitari poſſunt, praedicata, ipſis illis temporis locique haud excluſis, in eo comprehendatis, breui intelligetis illum virum cum vniuerſis his determinationibus exſtare potuiſſe, vel, etiam non exſtare. Natura, quae huic mundo et huic heroi in illo exſiſtentiam decreuit, omnia praedicata iſta, ne vno quidem excepto agnoſcere poterat, et tamen illum vt rem mere poſſibilem ſpectare, quod, ſi ab eius decreto diceſſeris, haud exſtet. Ecquis dubitare poteſt, millena millia rerum, quae vero non adparent, ſecundum omnia praedicata, quae complexurae forent, ſi exſtarent, ſolum poſſibiles eſſe; in cogitatione, quam natura ſumma de iis habet, ne vnam quidem deeſſe, quamquam exſiſtentia in iis haud inuenitur; namque eas non niſi vt res poſſibiles cognoſcit. Quamobrem eſſe non poteſt, vt, ſi exſtent, vno praedicato amplius gaudeant, ſiquidem in poſſibilitate rei cuiusdam ſecundum determinationem omnimodam nullum omnino poteſt praedicatum deeſſe. Atque ſi deo placuiſſet, alium rerum ordinem, mundumue alium condere, tum is cum vniuerſis determinationibus illis nec aliis pluribus exſtiturus fuiſſet, quas in eo tamen cognoſcit, etiamſi ſolum poſſibilis eſt.

Nihilominus verbo vtimur exſiſtentiae vt praedicato idque etiam ſine metu errorum facere poſſumus, ſi modo nolimus exſiſtentiam e meris notionibus poſſibilibus deriuare, quod facere ſolent, qui exſiſtentiam

abſolute neceſſariam probare volunt. Tum enim fruſtra in praedicatis eiusmodi naturae poſſibilis anquirimus, exſiſtentia profecto in iis haud inuenitur. Eſt autem exſiſtentia in omnibus cauſſis illis, in quibus in communi ſermonis vſu vt praedicatum inuenitur, non tam praedicatum ipſius rei, quam potius cogitationis, quam de illa habemus. Sic verbi cauſſa vnicornu marino competit exſiſtentia, non item vnicornu terreſtri. Id quod nihil aliud ſignificat, quam repraeſentationem vnicornu marini conceptum eſſe experientiae, hoc eſt, repraeſentationem rei cuiusdam exſtantis. Vnde quoque, ad veritatem huius ſententiae de exſiſtentia eiusmodi rei euincendam, non in conceptu ſubiecti anquirimus, quippe in quo tantummodo praedicata inueniuntur poſſibilitatis, verum in origine cognitionis, quam de eo habemus. Dicimus ſcilicet, nos illud vidiſſe, aut ab iis, qui illud viderunt, accepiſſe. Igitur non prorſus vere dicitur: vnicornu marinum animal eſt in rerum veritate adparens, ſed vice verſa, certae cuidam beſtiae marinae praedicata competunt, quae in vnicornu coniuncta cogito. Neque dico recte: ſexangula recta in rerum natura exſtant, ſed certis quibusdam in natura rebus, velut cellulis apium, praedicata competunt, quae in ſexangulo coniuncta cogitantur. Vnicuique linguae humanae ex fortuita origine eius nonnullae prauitates inſunt immutabiles, putidumque foret atque inutile, eam poliri atque circumſcribi, vbi in vſu conſueto nulli inde errores poſſunt emergere, ſufficit, vt in cauſſis rarioribus meditationis altius auctae, vbi opus fuerit, haec diſtinctio adiiciatur. De iis, quae hoc loco diximus, modo tum demum idonee iudicare poteris, poſtquam, quae ſequuntur, perlegeris.

2.

Exſiſtentia cernitur in poſitione rei cuiusdam abſoluta, eoque etiam ab vnoquoque praedicato diſtinguitur, quod vt tale ſemper tantum relate ad rem aliam quamdam ponitur.

Ac notio quidem poſitionis prorſus ſimplex eſt, eademque quae notio exſiſtentiae in genere. Atqui poteſt quidpiam vt ſolum relate poſitum, ſeu potius tantum relatio (reſpectus logicus) cuiuspiam vt notae alicuius rei cogitari, et tum τὸ eſſe, hoc eſt poſitio huius relationis nihil eſt niſi notio copulatiua in iudicio quodam. Cum vero non ſolum haec relatio, verum res per ſe ipſa poſita conſideratur, tum τὸ eſſe iſtud idem eſt atque exſiſtentia.

Atque haec notio adeo ſimplex eſt, vt ad eam explicandam nihil dici queat, niſi vt cautio animaduertatur, ne cum relationibus illa, quae rebus pro notis inſunt et criteriis, permutetur.

Quodſi perſpexeris, vniuerſam cognitionem noſtram tandem tamen notionibus indiſſolubilibus terminari, etiam comprehendes, fore quasdam, quae propemodum indiſſolubiles ſint, hoc eſt, vbi notae et criteria tantummodo perparum clariores ſint ac ſimpliciores, re ipſa. Atque hoc accidit in definitione noſtra exſiſtentiae. Lubenter fateor, per eam notionem definiti non niſi perparum perſpicuam reddi. Nec vero natura rei reſpectu facultatum intelligentiae noſtrae altiorem gradum concedit.

Cum dico, deus eſt omnipotens, tum tantum haec logica relatio deum inter et omnipotentiam cogitatur, vbi poſterior in notis eſt et criteriis prioris. Neque quidquam amplius hic ponitur. An deus ſit, hoc eſt, abſolute poſitus videatur ſeu exſtet, id quidem in ea nullo modo continetur. Idcirco quoque τὸ eſſe iſtud in ipſis relationibus vſurpatur, quae non-

entibus inter ſe intercedunt. Velut deus Spinozae mutationibus ſempiternis obnoxius eſt.

Cum cogito, deum pronuntiare de mundo quodam poſſibili omnipotens *fiat* ſuùm, tum toti in intelligentia ſua repraeſentato nullas determinationes nouas impertit, neque aliquod addit praedicatum nouum, verum ponit hunc rerum ordinem, in quo vniuerſa non niſi relate ad hoc totum poſita erant, cum praedicatis omnibus abſolute ſiue ſimpliciter. Relationes praedicatorum omnium ad ſubiecta numquam quidpiam exſtans deſignant atque adparens, niſi ſubiectum iam vt exſtans atque adparens ſupponatur. Deus eſt omnipotens, pronuntiatum verum etiam in iudicio illius maneat, neceſſe eſt, qui eius exſiſtentiam haud agnoſcit, ſi modo mentem meam recte percipit, et, quo ſenſu dei notionem ſumam, intelligit. Verum exſiſtentia illius proxime ad modum, oportebit, pertineat, quo notio eius ponitur, neque enim ea in praedicatis ipſis inuenitur. Et niſi iam ſubiectum vt exſtans atque adparens ſupponatur, in vnoquoque praedicatorum in medio relinquitur, vtrum iſtud ad ſubiectum in veritate rerum adparens, an modo poſſibile pertineat. Vnde exſiſtentia ipſa non poteſt eſſe in praedicatis. Cum dico, deus eſt res exſtans et adparens, tum videtur, ac ſi relationem cuiusdam praedicati ad ſubiectum enuntiem. Verum eſt quoque quaedam prauitas in hoc oratione. Proprie dicendum eſſet: quidpiam, quod exſtat atque adparet, deus eſt, id eſt, rei cuidam exſtanti competunt praedicata, quae nos coniuncto verbo, *deus*, notamus. Haec praedicata relate ad hoc ſubiectum poſita ſunt, ſed res ipſa cum vniuerſis praedicatis ſimpliciter poſita eſt.

Metuo, ne longiori illuſtratione ideae tam ſimplicis obſcurus fiam. Poſſem praeterea quoque metuere, ne ſenſum illorum tenerum offenderem, qui maxime de ieiunitate queruntur. Verum, etſi reprehenſionem illorum haud flocci faciam, tamen hoc

quidem tempore, vt mihi condonent, implorare cogor. Quamquam enim putida iſtorum ſapientia, qui certos vtilesque conceptus in culina ſua fuſoria logica tamdiu coquunt atque expoliunt, donec in vaporibus ſalibusque volatilibus euanuerint, perinde memet atque vllum quempiam capit, tamen res meditationi ſubiecta, quam tracto, eo de genere eſt, vt vel plane deſperandum ſit, vllo nos vmquam tempore ea de re apodictice certos euaſuros fore, vel patiendum eſt, vt notiones noſtrae in hosce atomos reſoluantur.

3.

An dici poteſt, in exſiſtentia plus ineſſe, quam in ſola poſſibilitate.

Ad hanc interrogationem vt reſponderi poſſit, prius tantum moneo, diſtinguendum eſſe, quid ſit et quomodo poſitum. Ac ſuperius quidem quod attinet, in re vera et actuali non plus poſitum eſt, quam in re mere poſſibili; ſiquidem omnes determinationes et vniuerſa praedicata rei actualis etiam in ſola illius poſſibilitate poſſunt inueniri; ratione poſterioris autem, ſane quidem per actualitatem plus poſitum eſt. Namque ſi quaero: quomodo haec omnia in ſola poſſibilitate poſita ſunt? tum intelligo, iſtud non niſi relate ad rem ipſam fieri. Scilicet cum triangulum eſt, tum tria ſunt latera, ſpatiumque incluſum, et tres anguli ac ſimilia; vel potius relationes iſtarum determinationum ad tale quidpiam quale triangulum eſt, ſolum poſitae ſunt, verum cum illud exſtat, tum haec omnia abſolute, id eſt, res ipſa cum hisce relationibus, proinde plura, poſita ſunt. Itaque vt in repraeſentatione adeo ſubtili cuncta, quibus confuſioni caueri poſſit, comprehendantur, aio, *in* re quadam exſtante atque in veritate rerum adparente, nihil pluris ponitur quam *in* re mere poſſibili (tum enim ſermo eſt de praedicatis illius), verum *per* aliquid exſtans atque adparens plus ponitur quam *per* quidpiam mere poſſibile, quippe

quod etiam ſpectat poſitionem rei ipſius abſolutam. Atque etiam in poſſibilitate ſola, non res ipſa, ſed merae relationes cuiuspiam ad aliquid ſecundum decretum repugnantiae poſitae ſunt, et fixum manet ratumque, exſiſtentiam proprie in nullis omnino vllius cuiusquam rei praedicatis videri. Quamquam hoc loco animus minime eſt ad confutationes deſcendere, atque ex mea quidem ſententia, ſi ſcriptor mente ab opinionibus praeiudicatis libera cogitata aliorum legerit; et meditatione coniuncta in ſuccum et ſanguinem verterit, iudicium de dogmatibus nouis ſuis et abhorrentibus ſatis fidenter poteſt lectori permittere, tamen paucis illum verbis eo ducam.

Definitio exſiſtentiae Wolfiana, quae illam in complemento ponit poſſibilitatis, aperte vaga eſt atque incerta. Niſi iam antea noueris, quid de poſſibilitate queat in re quadam cogitari, ex hac definitione non diſces. Baumgartenius determinationem internam omnimodam, quatenus ea id ſuppletur quod per praedicata in eſſentia latentia et inde promanantia indefinitum relinquitur, pro eo adfert, quod in exſiſtentia plus ſit quam in ſola poſſibilitate; ſed iam vidimus, in coniunctione rei cuiusdam cum vniuerſis, quae excogitari poſſunt, praedicatis numquam vllum illius a mere poſſibili discrimen ineſſe. Iam vero ſententia: rem poſſibilem vt talem ſpectatam reſpectu multorum praedicatorum indefinitam eſſe, poteſt, ad verbum ſumta, magnam prauitatem parere. Namque regulae excluſi medii inter duo contradictorie oppoſita iſtud prohibent, nec proinde, vt hoc vtar, homo, qui nullam certam ſtaturam, aetatem, locum et id genus alia haberet, eſſe poteſt. Ea potius hoc ſenſu accipienda eſt: per praedicata in re quadam ſimul cogitata, multa alia nullo modo definita ſunt, quemadmodum iis, quae in conceptu cuiusdam hominis vt talis coniunctis, reſpectu criteriorum ſingularium et aetatis et loci et ſimilium nihil quidquam conſtituitur. Verum hoc genus infinitionis tum perinde in re exſtante

Digitized by Google

quam in re mere possibili inuenitur, quocirca istud ad nullum vtriusque discrimen adhiberi potest. Celeberrimus Crusius τὸ alicubi et aliquando ad determinationes exsistentiae certas refert atque indubitatas. At, misso examine ipsius sententiae: vniuersa, quae sunt, alicubi esse et aliquando oportere, haec praedicata etiamnum quoque ad res mere possibiles pertinent. Sic enim in quibusdam locis definitis quidam homo posset certo quodam tempore exstare, cuius determinationes vniuersas omniscius ita, vti illi inessent, si exstaret, probe nouit, et qui nihilominus actu haud exstat; et Iudaeus sempiternus, Ahasuerus, pro vniuersis terris, quas peragrare, vel omnibus temporibus, quibus degere fertur, sine dubio homo possibilis est. Non, opinor, postulabitur, vt τὸ alicubi et aliquando tum tantum idoneum exsistentiae criterium sit, cum res actualiter hic loci aut tum temporis est; tum enim postulares, vt id iam concederetur, quod te polliceris per notam idoneam sponte distincturum.

MEDITATIO SECUNDA

DE POSSIBILITATE INTERNA, QUATENUS EA EXSISTENTIAM QUAMDAM SUPPONIT.

I.

Distinctio necessaria in possibilitatis notione.

Quaecumque secum ipsa pugnant, interne impossibilia sunt. Haec vera atque indubitata sententia est, licet in medio relinquas, eam veram definitionem videri. In hac vero repugnantia manifestum est, quidpiam cum quopiam in pugna versari logica oportere, hoc est, id negare, quod in eadem illa simul affirmatur. Ex ipsa mente summi Crusii, qui hanc pugnam non solum in repugnantia interna ponit, sed contendit eam omnino per intelligentiam ex lege sibi naturali percipi, in impossibili semper coniunctio est,

non quidpiam, quod ponitur, et aliquid, quo iſtud ſimul tollitur. Hanc repugnantiam dico incogitabilitatis formale ſeu impoſſibilitatem; materiale vero, quod in eo datum eſt, et quod in ea pugna verſatur, per ſe ipſum eſt aliquid et cogitari poteſt. Triangulum quod quadrangulum foret, fieri ſimpliciter non poteſt. Interim iſtud nihilominus triangulum itemque quidpiam quadrangulum per ſe ipſum aliquid eſt. Haec impoſſibilitas nititur tantummodo in relationibus logicis vnius cuiusquam cogitabilis ad aliud, vbi alterum modo non poteſt alterius in criteriis eſſe. Pariter in quauis poſſibilitate illud quidpiam, quod cogitatur, et tum conuenientia eorum, quae in eo ſimul cogitantur, cum decreto repugnantiae debet diſtingui. Triangulum rectangulum fieri per ſe ipſum poteſt. Cum triangulum, tum anguli recti in datis ſunt ſeu materia in ea poſſibilitate, ſed conuenientia vnius cum altero ex decreto repugnantiae formam poſſibilitatis conſtituunt. Hanc poſteriorem etiam rationem logicam poſſibilitatis adpellabo, quia comparatio praedicatorum cum ſuis ſubiectis ſecundum regulam veri non niſi in relatione logica verſatur, illud quidpiam, ſiue quod in hac conuenientia tenetur, nonnumquam poſſibilitatis reale vocatur. Caeterum moneo, hoc loco ſemper de nulla poſſibilitate vel impoſſibilitate alia, quam de interna ſeu ſimpliciter abſoluteque ſic dicta ſermonem fore.

2.

Poſſibilitas omnium rerum interna vllam quamdam exiſtentiam ſupponit.

Ex iis, quae modo diximus manifeſtum eſt, poſſibilitatem ceſſare, non ſolum cum repugnantia interna tamquam ratio impoſſibilitatis logica deprehenditur, verum etiam cum nulla materia, nec vllum quoddam datum ad cogitandum adeſt. Tum enim nihil cogitabile datum eſt, omne autem poſſibile quidpiam

Digitized by Google

eſt, quod cogitari poteſt, et cui relatio logica, ſecundum principium repugnantiae competit.

Quodſi ergo omnis exſiſtentia tollatur, nihil poſitum ſimpliciter eſt, nihil omnino datum eſt, nulla materia cuiuspiam quod cogitari poſſit, vniuerſaque poſſibilitas prorſus perit. Nulla quidem repugnantia interna in negatione ineſt exſiſtentiae vniuerſae. Cum enim ad hanc poſtularetur, vt aliquid poneretur et ſimul tolleretur, hic vero omnino nihil poſitum ſit, ſane quidem dici non poteſt, in hac ſublata repugnantiam internam contineri. At vero, vllam quamdam poſſibilitatem eſſe et tamen nihil quidpiam actuale, id quidem pugnat, quoniam, ſi nihil exſtat etiam nihil datum eſt, quod cogitari poſſet, et tecum ipſe pugnas, ſi nihilominus velis, quidpiam poſſibile videri. In analyſi notionis exſiſtentiae intelleximus, τὸ eſſe, ſive ſimpliciter poſitum eſſe, ſi his verbis haud vtimur, ad relationes logicas praedicatorum ad ſubiecta indicandas, idem denotare, quod exſiſtentia. Si igitur dicas: nihil quidquam exſtat, idem dicis, atque nihil omnino aliquid eſt; et pugnat egregie, ſi nihilominus adiicis, aliquid poſſibile eſſe.

3.

Fieri ſimpliciter non poteſt, vt nihil omnino quidquam exſtet.

Id, quo omnis omnino poſſibilitas tollitur, eſſe ſimpliciter non poteſt. Quippe haec verba ſunt, quibus vnum idemque declaratur. Atqui primo per id, quod ſecum ipſum pugnat, vniuerſae poſſibilitatis forma, ſcilicet conuenientia cum principio repugnantiae tollitur; ergo quod ſecum ipſum pugnat ſimpliciter impoſſibile videtur. Quod vero non locum habet in vniuerſa omnis exſiſtentiae priuatione: quippe in qua, vti docuimus, nulla repugnantia interna ineſt. Verum eo, quo materia et data omnium poſſibilium tol-

luntur, eo etiam omnis poſſibilitas negatur. Atqui hoc fit tollenda exſiſtentia vniuerſa; ergo omni exſiſtentia negata, vniuerſa quoque poſſibilitas tollitur. Proinde eſſe ſimpliciter non poteſt, vt nihil omnino quidpiam exſtet.

4.

Omnis poſſibilitas in vllo quopiam actuali data eſt, vel in illo vt determinatio, vel per illud vt conſequens.

Omni poſſibilitate in vniuerſum et vnaquaque ſingulatim euinci poteſt aliquid actuale, ſiue vna res illud ſit ſiue plures, ſupponi. Haec relatio omnis poſſibilitatis ad vllam quampiam exſiſtentiam eſſe duplex poteſt. Aut poſſibile tantummodo cogitari poteſt, quatenus illud ipſum actuale eſt, et tum poſſibilitas in actuali, vt determinatio data eſt; aut idcirco poſſibile eſt, quia quidpiam aliud eſt, hoc eſt, poſſibilitas eius interna vt conſequens per exſiſtentiam aliam data eſt. Exempla illuſtrantia nondum commode poſſunt hoc loco adferri. Natura illius ſubiecti, quod vnum in hac meditatione eſſe exemplo poteſt, antea conſiderari debet. Interim tantummodo moneo, memet illud actuale, quo vt principio poſſibilitas aliorum interna data eſt, principium reale primum huiusce poſſibilitatis abſolutae docturum eſſe, quemadmodum decretum repugnantiae primum illius principium logicum eſt, quoniam in conuenientia cum eo ſita eſt poſſibilitatis forma, velut illud data cogitabilium materiamque ſuppeditat.

Bene intelligo ſententias eius generis, vti in hac meditatione proponuntur, ſubinde adhuc illuſtrationis indigere, vt eam perſpicuitatem accipiant, quae ad euidentiam poſtulatur. Interim natura ipſius rei propoſitae tam abstracta omni conatui colluſtrationis maioris impedimenta adfert, quemadmodum artibus microſcopicis viſus imago propoſitae rei vsque ad mini-

Digitized by Google

marum partium distinctionem quidem dilatatur, sed eodem quoque modo claritas impressionis et vigor minuuntur. Nihilominus, quantum in me erit, cogitationem de exsistentia, quae in ipsa possibilitate interna fundamento subest, conceptibus vulgarioribus intelligentiae sanae reddere propiorem conabor.

Videtis, corpus igneum, hominem astutum et similia aliquid possibile esse, et, si nil nisi possibilitatem internam desidero, minime necesse putabitis, vt corpus igneuue et id genus alia vt data oporteat exstare, nam semel cogitari possunt, quod satis est. Sed conuenientia praedicati igneum cum subiecto corpus secundum principium repugnantiae in his inest conceptibus ipsis, siue in rebus actualibus siue mere possibilibus versentur. Largior quoque nec corpus nec ignem in rebus actualibus versari oportere, et nihilominus corpus igneum interne possibile videri. Verum pergo interrogare: an corpus ipsum per se possibile sit. Vos, quoniam hoc loco non potestis ad experientiam prouocare, data possibilitatis eius, scilicet extensionem, rationem imperuiam seu impenetrabilitatem, vim et nescio quid amplius mihi denumerabitis atque addetis, nullam in iis repugnantiam internam videri. Cuncta etiamnum concedo; at vos mihi reddere rationem oportet, quamobrem vos conceptum extensionis vt datum aliquod recte sumendi iure vtamini; vt enim ille nullam vim habeat, possibilitas vestra corporis dicta in fallaciis ac praestigiis versatur. Iam admodum vitiose ad experientiam de hoc dato prouocaturi essetis; siquidem nunc hoc ipsum quaeritur, an possibilitas interna corporis ignei locum habeat, etiamsi nihil quidpiam exstet. Ponamus, vos nunc haud amplius conceptum extensionis in data posse simpliciora dispescere, vt doceatis, in eo nihil quidquam pugnae inesse, vti sane necessario tandem ad aliquid, cuius possibilitas disolui non potest, vobis veniendum erit, tum hoc loco quaeritur, vtrum spatium extensioue voce inani sonent, an iis quidpiam denotetur.

Digitized by Google

Defectu repugnantiae hic nihil quidquam efficitur; vox inanis nihil vmquam quidpiam, quod pugnet, designat. Quodsi spatium haud exstat, aut certe per aliquid, quod exstat, datum vt consequens est, spatii vox nihil omnino quidquam denotat. Quamdiu vos possibilitatem ex principio repugnantiae probatis, in eo insistitis, quod cogitabile vobis in re datum est, solumque coniunctionem ex hac regula logica spectatis, verum postremo, si perpenditis, quomodo istud vobis datum sit, numquam ad quidpiam aliud potestis, quam ad exsistentiam prouocare.

Sed progressum harum meditationum exspectabimus. Vsu ipso atque adplicatione conceptus facilior reddetur, quem, nisi vires nostras ipsas superemus, vix nobis solis reddere perspicuum possumus, propterea quod de primo ipso illo, quod perspicuitati fundamento subest, tractat.

MEDITATIO TERTIA

DE EXSISTENTIA SIMPLICITER NECESSARIA.

I.

Conceptus exsistentiae absolute necessariae in genere.

Simpliciter necessarium est, cuius contrarium per se ipsum esse non potest. Haec definitio verbi est sine dubio vera. Quodsi vero interrogem: quanam re efficitur, vt τὸ non-esse rei simpliciter impossibile sit? tum id, quod quaero, definitio rei est, quae nobis omnibus aliquid ad finem nostrum prodesse potest. Omnes conceptus nostri de necessitate interna, in proprietatibus rerum possibilium, cuius illae cumque generis sunt, eo denique redeunt, vt contrarium sibi ipsi repugnet. At si de exsistentia simpliciter necessaria agatur, minime per idem criterium aliquid in ea

Digitized by Google

intelligere tete conarere. Exſiſtentia nullum omnino praedicatum eſt, exſiſtentiaeque exſtinctio nulla praedicati negatio, quo quidpiam in re tolleretur, pugnaque interna oriretur. Exſtinctio rei exſtantis plena eſt negatio omnium eorum, quae ſimpliciter ſeu abſolute per exſiſtentiam ſuam ponerentur. Relationes logicae inter rem vt poſſibilem et illius praedicata nihilominus manent. Verum haec longe aliud quid ſunt, quam poſitio rei ſimpliciter cum praedicatis illius, quippe qua exſiſtentia continetur. Idcirco non idem, quod in re ponitur, verum aliud quiddam per non-exſiſtentiam tollitur, nec proinde vnquam in eo repugnantia ineſt. In meditatione poſtremo huius operis omnia in caſu illo, vbi exſiſtentiam abſolute neceſſariam reapſe putarunt ex principio repugnantiae comprehendi, explicatione clara huius inutilitatis magis perſpicua reddentur. Interim neceſſitas in praedicatis conceptuum mere poſſibilium, dici neceſſitas logica poteſt. Verum illa, cuius principium primarium inueſtigo, ſcilicet exſiſtentiae neceſſitas, eſt realis abſoluta. Primo video, id, quod ſimpliciter vt nihilum atque impoſſibile ſpectare debeam, omnia, quae cogitari poſſunt, delere oportere. Namque in eo ſi adhuc quidpiam cogitandum reliquum fieret, non prorſus illud incogitabile, ſimpliciterque impoſſibile foret.

Quodſi autem aliquantum animo perpendam, cur id, quod ſecum pugnat, ſimpliciter nihilum atque impoſſibile ſit, intelligo: eo quod illa re principium repugnantiae, vltima ratio logica omnium, quae cogitari queunt, tollitur, omnem poſſibilitatem euanescere, neque quidquam amplius in ei cogitari poſſe. Inde mox intelligo, ſi exſiſtentiam omnem tollam, eoque ratio realis vltima pereat, etiam poſſibilitatem omnem euaneſcere, nihilque quidquam amplius cogitandum relinqui. Ergo quidpiam eſſe ſimpliciter neceſſarium poteſt, vel ſi per contrarium vniuerſa omnium cogitabilium forma tollatur, hoc eſt, ſi ſibi ipſi

repugnet, vel etiam, ſi τὸ non-eſſe illius formam omnium cogitabilium, omniaque illorum data tollat. Illud numquam, vti dixi, in exſiſtentia locum habet, et, quoniam nihil quidquam tertium eſſe poteſt, aut conceptus exſiſtentiae ſimpliciter neceſſariae minime conceptus falſus ac fallax eſt, aut cauſſa latere in eo debebit, quod τὸ non-eſſe rei ſimul in negatione datorum cuiusque rei poſſibilis cernitur. Hunc autem conceptum non fictum eſſe, ſed verum, ex ſequentibus perſpicuum fiet.

2.

Natura ſimpliciter neceſſaria exſtat.

Omni poſſibilitate aliquid actuale ſupponitur, in quo et per quod cuncta, quae cogitari poſſunt, data ſint. Proinde eſt certa quaedam actualitas, cuius exſtinctione vniuerſa ipſa poſſibilitas interna omnino tolleretur. Id vero, cuius exſtinctione omnis poſſibilitas deletur, ſimpliciter neceſſarium eſt. Ergo aliquid ſimpliciter abſoluteque neceſſario exſtat. Vsque eo patet, exſiſtentiam vnius rei pluriumue ipſi poſſibilitati vniuerſae fundamento ſubeſſe, et hanc exſiſtentiam per ſe ipſam neceſſariam videri. Ex quo etiam facile conceptus rationis fortuitae intelligi poteſt. Fortuitum, ſecundum definitionem verbi, eſt id, cuius eſſe contrarium poteſt. Vt autem definitio rei inveniatur, ſic diſtinguendum videtur. Senſu logico illud vt praedicatum in ſubiecto fortuitum eſt, cuius contrarium illi haud repugnat. Veluti triangulo in genere fortuitum eſt, illud rectangulum eſſe. Haec ratio fortuita tantummodo locum habet in relatione praedicatorum ad ſua ſubiecta, nec, quia exſiſtentia non in praedicatis verſatur, vllo modo poteſt ad exſiſtentiam transferri. Contra ſenſu reali fortuitum dicitur id, quod non eſſe cogitari poteſt, hoc eſt, cuius exſtinctione non omne cogitabile tollitur. Quodſi ergo poſſibilitate interna rerum certa quaedam exſiſten-

Digitized by Google

tia haud ſupponitur, haec fortuita eſt, ſiquidem eius contra poſſibilitas non tollitur. Aut: illa exiſtentia, qua haud materia omnis cogitabilis data eſt, ſine qua proinde aliquid cogitandum eſt, id eſt, eſſe poteſt, eius contrarium ſenſu reali poteſt eſſe, idque eodem ſenſu etiam fortuitum eſt.

3.

Natura neceſſaria vna eſt.

Quoniam natura neceſſaria continet principium reale vltimum omnium poſſibilitatum aliarum, quaevis alia res tantummodo poſſibilis erit, quatenus per illam vt per principium datum eſt. Ergo quaeuis res alia non niſi vt conſequens ex ea locum habere poteſt, ideoque aliarum rerum omnium et poſſibilitas et exiſtentia ex ea pendet. Quod vero ipſum pendet ex alio, non continet principium reale vltimum omnis poſſibilitatis, nec proinde ſimpliciter neceſſarium eſt. Igitur res plures non poſſunt eſſe abſolute neceſſariae.

Fac A eſſe naturam neceſſariam, et B aliam quamdam. Tum per definitionem B tantum poſſibile eſt, quatenus per aliud principium A, vt conſequens eius, datum eſt. Quia vero, vti ſuppoſuimus, B ipſum neceſſarium eſt, eius poſſibilitas in illo vt praedicatum, non vero vt conſequens ex alio quodam, et tamen non niſi vt conſequens, vti ex ſuperioribus ſequitur, data eſt; id quod pugnat.

4.

Natura neceſſaria eſt ſimplex.

Nihil quidpiam ex multis ſubſtantiis compoſiti eſſe naturam ſimpliciter neceſſariam poſſe, hoc modo intelligitur. Ponatis vnam tantum eius partium ſimpliciter neceſſariam eſſe, tum reliquae cunctae ſunt non niſi vt conſequentia per illam poſſibiles, neque ad eam vt partes ſecundariae pertinent. Cogitatione

vobis informetis, plures esse vel omnes necessarias, tum istud repugnat numero antecedenti. Igitur nihil aliud relinquitur, nisi vt quaeque singulatim fortuito, omnes autem coniunctim simpliciter necessario exstent. Atqui hoc fieri non potest, quoniam congregationi substantiarum non maior necessitas exsistentiae esse potest, quam competit partibus, et cum his nulla omnino competat, verum exsistentia illarum fortuita sit, etiam exsistentia totius fortuita foret. Quodsi cogitares, ad definitionem naturae necessariae provocari posse, ita vt diceres, in quauis partium data vltima esse alicuius possibilitatis internae, in cunctis vero omne possibile, proposita, tum aliquid prorsus absurdi, sed modo occulte, cogitares. Namque si tum possibilitatem internam sic cogites, vt nonnullae tolli queant, ita tamen, vt caeteroquin, quod per alias partes adhuc cogitabile datum sit, maneat, cogitares, necesse foret, per se fieri posse, vt possibilitas interna negetur siue tollatur. Ne cogitari minime potest pugnatque, aliquid nihilum esse, idque hanc vim habet: possibilitatem internam tollere, et *omne* cogitabile delere, vnde patet, data cuiusuis cogitabilis in ea re proposita esse oportere, cuius exstinctione quoque contrarium omnis possibilitatis efficiatur, quod proinde vltimum principium contineat possibilitatis internae, id illud etiam vniuerse omnino continere, proinde istud principium non posse in variis substantiis distributum videri.

5.

Natura necessaria immutabilis est et aeterna.

Quoniam ipsa ipsius possibilitate, et quauis alia haec exsistentia supponitur, nullum aliud exsistentiae eius genus esse potest, hoc est, natura necessaria non potest modis variis exstare. Quidppe quiquid est, id omnimode determinatum est; cum autem haec natura non nisi propterea quod exstat, esse queat, nulla il-

Digitized by Google

lius possibilitas locum habet, praeterquam quatenus actu est; ergo illa nullo esse alio modo potest, quam quo actu est. Idcirco ea non alio modo determinari mutariue potest. Tò non-esse illius simpliciter impossibile est, proinde quoque origo eius atque interitus; ergo ea aeterna est.

6.

Natura necessaria realitatem summam continet.

Cum data vniuersae possibilitatis, necesse sit, in ea inueniantur, vel vt determinationes eius, vel vt consequentia, per illam vt per principium reale primum data, intelligitur, vniuersam realitatem vno alteroue modo per eam comprehendi. Verum his iisdem determinationibus, per quas haec natura summum principium est alius realitatis possibilis, in ea ipsa summus gradus proprietatum realium, qui vmquam esse in aliqua re possit, supponitur. Quia igitur eiusmodi natura omnium possibilium realissima est, propterea quod omnes adeo aliae non nisi per illam esse queunt, hoc non sic accipiendum est, quasi omnis realitas possibilis ac determinationes eius pertineat. Quae quidem notionum confusio huc vsque maxime obtinuit. Omnes deo, seu naturae necessariae realitates, sine discrimine vt praedicata tribuimus, nec tamen animaduertimus, eas vmquam in subiecto vno posse vt determinationes iuxta se inuicem locum habere. Ratio corporum impenetrabilitas, extensio, et quae sunt de genere eodem non possunt proprietates esse illius, qui intelligentia et voluntate vtitur. Frustra etiam obtendunt, se illas qualitates non pro realitatibus veris habere. Sine omni dubio pulsus corporis aut vis cohaesionis aliquid vere positiuum est. Pariter dolor in sensationibus spiritus numquam in sola priuatione versatur. Cogitatio falsa eiusmodi repraesentationem quoad speciem probauit. Realitas dicitur realitati numquam repugnare, quia vtraque in veris adfirma-

Digitized by Google

tionibus verſantur; nec proinde ſibi inuicem repugnant in vno eodemque ſubiecto. Sed quamquam largior, hoc loco nullam repugnantiam logicam eſſe, tamen eo nondum repugnantia realis remota eſt. Haec ſemper locum habet, cum quidpiam vt principium conſequens cuiusdam alius per oppoſitionem realem exſtinguit. Vis corporis motrix ad directionem quamdam, niſusque in gradu aequali verſus oppoſitam non in repugnantia verſantur. Illae etiam reapſe ſimul poſſunt vno in corpore eſſe. At vna conſequentiam realem tollit alterius, cumque alias de quaque ſpeciatim conſequens motus verus foret, nunc ea vtriusque coniunctim in vno ſubiecto O adeſt, ſcilicet conſequentia harum virium motricium oppoſitarum cernitur in quiete. Sed quies ſine dubio poſſibilis eſt, ex quo etiam planum eſt, repugnantiam realem longe quiddam aliud eſſe, quam logicam, ſeu repugnantiam; id enim, quod inde conſequitur fieri ſimpliciter non poteſt. Atqui in natura realiſſima nulla repugnantia realis ſeu pugna poſitiua ſui ipſius determinationum eſſe poteſt, quoniam conſequens eius foret priuatio ſeu defectus, id quod cum realitate illius ſumma pugnat, cumque, ſi omnes realitates in ea vt determinationes ineſſent, talis pugna oriri cogeretur, cunctae non poſſunt illi vt praedicata ineſſe, proinde quia tamen omnes per eam datae ſunt, vel ad determinationes eius vel ad conſequentia pertinebunt.

Ac primo quidem adſpectu videri poſſet ſequi, vt, quia natura neceſſaria principium reale vltimum omnis alius poſſibilitatis continet, in ea etiam cauſſa defectuum negationumque in eſſentiis rerum ineſſe oportere, quod, ſi concederetur, etiam concluſioni anſam praebere poſſet, eam ipſam habere negationes in praedicatis ſuis oportere, numquamque nihil niſi realitatem. Sed oculos vertas modo ad conceptum eius ſemel conſtitutum. In eius exiſtentia poſſibilitas originarie data eſt. Eo, quod poſſibilitates aliae ſunt, quarum principium reale continet, ſequitur ex

decreto repugnantiae, non possibilitatem naturae realissimae ipsius, et proinde possibilitates eiusmodi esse, quae negationes debeant et defectus complecti.

Quocirca possibilitas rerum aliarum omnium, ratione eorum, quae sunt realia in iis, ex natura pendet necessaria, vt principio reali, defectus autem, in ea, quia res aliae sunt nec natura prima ipsa, vt principio logico. Possibilitas corporis, quatenus illud extensionem, vires et similia habet, in summa naturarum omnium fundata est; quatenus illi deest vis cogitandi, haec negotio in eo ipso inest, secundum principium repugnantiae.

Reuera negationes per se ipsae non sunt aliquid, nec cogitari possunt, quod facile potest sic explicari. Ponatis nil nisi negationes, tum nihil omnino datum est, et nil quidquam quod queat cogitari. Ergo negationes non possunt nisi per positiones oppositas cogitari, vel potius possunt positiones esse, quae haud maximae sint. Atque in hoc, ex effato identitatis, iam insunt negationes ipsae. Iam facile incurrit in oculos, vniuersas coniunctiones, quae possibilitatibus aliarum rerum insunt, nullum principium reale (quia nihil positiuum sunt), proinde tantummodo principium logicum supponere.

MEDITATIO QUARTA.

ARGUMENTUM DEMONSTRATIONI SERVIENS EXSISTENTIAE DEI.

I.

Natura necessaria spiritus est.

Supra disputauimus, naturam necessariam substantia simplici absolui, item, non solum omnem realitatem aliam per illam, vt per principium datam es-

ſe, verum etiam, quae poſſit eſſe, maximam, quae in natura quadam vt determinatio eſſe queat, illi ineſſe. Iam argumenta duci varia poſſunt, huc etiam intelligentiae voluntatisque proprietates pertinere. Primo enim, vtraque realitas eſt, et vtraque cum, quae poteſt eſſe, maxima in re quadam conſtare poteſt, quod poſterius quidem iudicio intelligentiae proximo cogimur concedere, quamquam haud commode poteſt ad eam perſpicuitatem perduci, quam argumenta logice perfecta poſtulant.

Deinde proprietates ſpiritus, quae in intelligentia verſantur et voluntate, eius generis ſunt, vt nullam cogitatione fingere realitatem queamus, quae in natura illis priuata, eas ſupplere poſſet, earumque defectum aequabiliter reſarcire. Cumque igitur hae proprietates eae ſint, quae ad ſummum queant realitatis gradum perduci, nihilominus autem ad poſſibiles pertinent, cogeretur, vt per naturam neceſſariam, vt principium, intelligentia et voluntas, omnisque naturae ſpiritualis realitas in aliis fieri poſſit, quae tamen in ea ipſa haud vt determinatio inueniretur. Igitur conſequens maius foret principio ipſo. Nam certum eſt, niſi natura ſumma ipſa vtatur intelligentia et voluntate, quamuis aliam, cum hisce proprietatibus per poſitam illam, quamuis penderet, variisque vitiis et potentiae et id genus aliorum laboraret, tamen reſpectu harum proprietatum ſummi generis realitate illam praeſtare oportere. Quoniam igitur conſequens non poteſt principium antecellere, intelligentia voluntasque ſubſtantiae neceſſariae ſimplici vt proprietates inſint, neceſſe eſt, hoc eſt, illa ſpiritus eſt.

Tertio, ordine, pulcritudine, perfectione in vniverſis, quae eſſe poſſunt, natura ſupponitur, in cuius proprietatibus hae relationes vel fundatae ſint, vel certe per quam naturam res his relationibus conuenienter, vt ex principio primario fieri queant. Atqui natura neceſſaria principium reale idoneum eſt

aliorum omnium, quae extra illam esse possunt, ergo in illa ea quoque proprietas inuenietur, qua fit, vt, his relationibus conuenienter, omnia extra illam ad actualitatem queant perduci. Sed principium possibilitatis externae, ordinisque et pulcritudinis ac perfectionis haud idoneum videtur, nisi voluntas intelligentiae consentanea suppositа sit. Ergo hae proprietates naturae summae attribuendae erunt.

Quisque intelligit, vniuersis principiis plantarum arborumque producendarum, areas florum et arborum series bene conuenientes non posse, nisi per intelligentiam, quae illas delineet, voluntatemque, quae eas ad effectum perducat, fieri. Vniuersa potentia vel vis productrix vniuersaque item data alia ad possibilitatem sine intelligentia, non idoneae sunt ad possibilitatem eiusmodi ordinis absoluendam.

Ex vna harum rationum, quas attulimus, vel ex cunctis illis, argumentum poterit deduci, naturam necessariam voluntate vti atque intelligentia, proinde spiritum esse oportere. Mihi satis est, argumentum absolui. Neque animus est demonstrationem veram proponere.

2.

Deus est.

Exstat quidpiam absolute necessario. Id quod vnum est quoad essentiam, simplex respectu substantiae, spiritus secundum naturam, aeternum ratione durationis, immutabile per naturam, omnibus sufficiens omnium possibilium actualiumque. Deus est. Nullam hoc loco definitionem certam notionis de deo adfero. Quod quidem mihi faciendum foret, si rem mihi propositam systematice vellem contemplari. Tantummodo hoc loco propono analysin, qua quis ad systema verum sese queat aptum componere. Definitio

notionis de deo interea, vti placuerit, inſtituatur, tamen certus ſum, eam naturam, cuius exſiſtentiam modo probauimus, eamdem illam naturam diuinam eſſe, cuius characteres diſtinctiuos hoc vel illo modo denominatione breuiſſima comprehendentur.

3.

Scholion.

Quoniam ex meditatione tertia nihil quidquam amplius patet, quam vniuerſam realitatem aut in natura neceſſaria vt determinationem, aut per illam vt principium datam eſſe oportere, vsque eo incertum maneret, vtrum proprietates intelligentiae ac voluntatis in natura ſumma vt determinationes internae inueniantur, an ſolum per illam in rebus aliis vt conſequentiae accipi debeant. Quodſi hoc poſterius foret, vniuerſae perfectiones laudesque, quae in hac natura primaria ex ſufficientia, vnitate atque vacuitate exſiſtentiae eius ab aliis vt principii magni in oculos incurrunt, haud impedirent, quo minus natura eius illa longe inferior eſſet, quae cogitatione nobis fingenda eſt, cum deum cogitamus. Nam vel ſine ipſa cognitione et decreto ea principium foret caece neceſſarium rerum aliarum, adeoque aliorum ſpirituum, neque ab aeterno fato veterum vllo modo discerneretur, niſi quod ea dilucidius deſcripta eſſet. Atque hoc in cauſſa eſt, cur in quouis ſyſtemate haec ratio inprimis ſpectanda ſit, et cur eam ex oculis mittere haud potuimus.

In vniuerſo rationum omnium hactenus adlatarum ad argumentum meum neceſſariarum, numquam vocabuli perfectionis mentionem feci. Non quaſi putarem omnem realitatem iam idem eſſe atque omnem perfectionem, vel etiam ſummum illa concentum ad vnam effici. Cauſſae ſunt grauiſſimae, cur ab hac multorum aliorum ſententia admodum abhorream.

Digitized by Google

Diuturnum tempus notione perfectionis in genere vel in ſpecie diligenter perueſtigata, edoctus ſum, in adcuratiore illius cognitione permulta latere, quibus natura ſpiritus, noſterque proprius ſenſus et ipſae notiones primae philoſophiae practicae poſſint colluſtrari.

Intellexi, vocabulum perfectionis quidem in quibusdam cauſſis, pro ambiguitate cuiusque linguae degenerationes ab ſenſu proprio experiri, illud vero in ſignificatione, quam quisque vel in aberrationibus iſtis potiſſimum animaduertit, ſemper relationem quamdam ad naturam, quae cognitione et adpetitu vtitur, ſupponere. Cum igitur iuſto longius fuiſſet, argumentum de deo et realitate illi inhaerente vsque ad hanc relationem pertractari, quamuis iis, quae fundamento ſubſunt, facile fieri poſſet, a conſilio huius libelli alienum duxi, hac notione adferenda, anſam nimiae longitudinis praebere.

4.

Concluſio.

Quisque argumento hoc, vti diximus, propoſito facillime conſecutiones adiicere tam manifeſtas poterit, quales hae ſunt: Equidem, qui cogito, nulla ſum natura ita ſimpliciter neceſſaria; neque enim principium ſum omnis realitatis, quippe mutabilis ſum: nulla natura alia, cuius non-eſſe poſſibile eſt, hoc eſt, cuius exſtinctione haud ſimul omnis poſſibilitas tollitur, nulla res mutabilis, ſeu quae carceribus circumſcripta eſt, nec proinde mundus, talem naturam habet: mundus non eſt in accidentibus dei, quoniam in eo pugna, defectus, mutabilitas, quae omnia contraria ſunt determinationibus dei, inueniuntur: deus eſt ſubſtantia vna, quae exſtet, et omnes aliae ab eo pendentes adſunt, et ſimilia.

Digitized by Google

Hoc modo adhuc hic liceat moneri. Argumentum de exſiſtentia dei, quod miniſtramus, non niſi eo nititur, quod aliquid eſſe poteſt. Ergo illud argumentum eſt, quod prorſus poteſt ex anticipatione doceri. Neque eo enim vel mea exſiſtentia, vel exſiſtentia aliarum mentium, vel exſiſtentia mundi corporei ſupponitur. Eſt illud reapſe a criterio neceſſitatis abſolutae interno depromtum. Hoc modo exſiſtentia huius naturae ex iis cognoſcitur, quibus re vera neceſſitas abſoluta eius abſoluitur, ergo vere genetice.

Argumenta omnia, quae alias ab effectis huius naturae ad exſiſtentiam eius vt cauſſae duci poſſent, etiamſi tam exacte probarent, quam non probant, tamen numquam naturam huius neceſſitatis reddere perſpicuam poſſunt. Per hoc ſolum, quod aliquid ſimpliciter neceſſario exſtat, fieri poteſt, vt quidpiam cauſſa prima ſit aliorum, ſed inde quod aliquid cauſſa prima, hoc eſt, libera eſt, tantummodo efficitur, vt, ſi effecta adſint, eam etiam oporteat exſiſtere, non vero, vt abſolute neceſſario adſit.

Iam quia porro ex laudato argumento planum eſt, eſſentias omnes rerum aliarum et reale omnis poſſibilitatis in hac vna natura fundata eſſe, in qua ſummi intelligentiae voluntatisque gradus, quae quanta eſſe poteſt maxima ratio eſt, inueniuntur, et quoniam in tali quadam vniuerſa ſumma quae eſſe poteſt, convenientia contineantur, neceſſe eſt, inde iam in anteceſſum intelligetur, cum voluntati ſemper poſſibilitas ipſius rei interna ſupponatur, rationem poſſibilitatis, hoc eſt, eſſentiam dei cum voluntate eius ſumma convenientia contineri, non quaſi deus per voluntatem ſuam ratio poſſibilitatis internae eſſet, ſed quoniam eiusdem naturae infinitae cuius relatio eſt principii ad omnes rerum eſſentias, ſimul relatio eſt cupiditatis ſummae ad conſequentia maxime ea data, poſteriorque non niſi ſuppoſita ſuperiori eſſe vtilis poteſt.

Digitized by Google

Idcirco possibilitates rerum ipsae, per naturam diuinam datae, cum summa eius cupiditate conuenient. In hac conuenientia vero bonum cernitur perfectumque. Et quoniam cum vno consentiunt, in ipsis rerum possibilitatibus vnitas concentusque atque ordo inuenietur.

Iam etiamsi iudicio maturo proprietatum essentialium in rebus, quae nobis per experientiam innotescunt, in ipsis determinationibus possibilitatis earum intestinae necessariis vnitatem in variis et conuenientiam seiunctorum animaduertamus, tamen in via cognitionis a posteriori ad principium vnum omnis possibilitatis retro poterimus concludere, tandemque nos in eadem notione primitiua exsistentiae simpliciter necessariae, vnde per viam ex anticipatione initio profecti eramus, videbimus. Nunc nobis propositum esto, vt anquiramus, an in ipsa rerum possibilitate intestina relatio quaedam necessaria ad ordinem concentumque, atque in hac varietate immensa vnitas reperiatur, vt inde iudicare possimus, an ipsae rerum essentiae principium summum commune agnoscant.

SECTIO SECUNDA.

DE VTILITATE MAGNA HUIC PROBANDI MODO INPRIMIS PROPRIA.

MEDITATIO PRIMA

IN QUA EX PERCEPTA IN ESSENTIA RERUM VNITATE AD EXSISTENTIAM DEI A POSTERIORI CONCLUDITUR.

1.

Vnitas in varietate essentiarum rerum demonstrata in proprietatibus spatii.

Determinationes spatii necessariae non mediocrem geometrae voluptatem adferunt, per euidentiam manifestam diligentemque tractationem, item per vsum late patentem, cui, quod opponat, vniuersa humana cognitio nihil quidquam par ostendere potest, nedum maius. Sed eamdem rem nunc ex longe alia parte contemplor. Oculo illam philosophico intuens animaduerto: in determinationibus adeo necessariis ordinem concentumque, et in varietate adeo ingenti conuenientiam vnitatemque obtinere. Veluti cupio, vt spatium quoddam per motum lineae rectae circa punctum fixum circumscribatur. Facile comprehendo, eo me orbem tenere, in vniuersis punctis ab illo puncto fixo aequabiliter distantem. Sed nullam omnino causſam video, cur in constructione tam simplici, permultum varietatis exspectem, quae ob eam ipsam rem magnis ordinis regulis obnoxia videatur. Interea inuenio, omnes lineas rectas, sese inuicem ex puncto quodam pro lubitu sumto intra circulum, propterea quod ambitum seu peripheriam attingunt, secantes, semper esse ad proportionem geometricam secatas; item omnes illas, quae inde a puncto quodam extra

Digitized by Google

orbem hunc ſecant, ſemper in eas partes dispeſci, quae rurſus retro ſeſe habent velut ſua tota. Si cogitaueris, quam immenſam ſitus varietatem hae lineae induere poſſint, dum circulum, vt dictum eſt, ſecant, atque animaduerteris, eas nihilominus ſemper eidem legi ſubeſſe, a qua nequeunt deflectere, tamen, quamquam eius rei veritas facile perſpicitur, aliquid inopinatum eſt, quod tam parum adparatus in hac figura deſcribenda eſt, et nihilominus tamen tantus ordo, variorumque tam abſoluta vnitas inde conſequitur.

Quodſi propoſitum foret, vt ſuperficies obliquae ad varias procliuitates verſus orbem finientem, ſed ea longitudine inſtituerentur, vt corpora libere ſe deuoluentia in ea tempore aequali deuenirent, quisque legum mechanicarum peritus intelliget, eo vario adparatu opus eſſe. Atqui haec conſtitutio ſponte in circulo occurrit cum infinite multa poſitionum varietate, et tamen in vnaquaque cauſſa ſumma cum veritate. Omnes enim nerui diametrum verticalem attingentes, ſiue ab eius puncto ſupremo ſiue ab infimo proficiſcantur, ad quascumque procliuitates hoc inter ſe commune habent: vt caſus liber per eas fiat temporibus aequalibus. Memini, tironem ingenuum, cui hocce theorema cum argumento a me proponebatur, omnibus probe intellectis, eo non minus quam miraculo naturae commoueri. Et re ipſa tam ſingulari variorum coniunctione ad regulas adeo fecundas in re tam tenui ac ſimplici ſpecie, quam orbis circularis eſt oppreſſi nos iure ad admirationem rapimur. Nec vero miraculum eſt naturae, quod pulcritudine atque ordine, quae in eo obtinent, magis cauſſam ſtupendi ſuppeditaret, niſi idcirco fieret, quod cauſſa eius ibi non tam perſpicue intelligitur, miratioque in filiis eſt ignorantiae.

Campus in quo res memoratu dignas colligo, ita earum plenus eſt, vt, etiamſi ne pedem vlterius ponamus, in eodem loco, in quo nos verſamur, pulcri-

Digitized by Google

tudines innumerae occurrant. Solutiones ſunt in geometria, vbi id, quod non niſi longa praeparatione fieri poſſe videtur, ſeſe quaſi ſine omni arte in re ipſa proponit. Quae quidem a quouis vt bellae ſenſu percipiuntur, idque eo magis, quo minus ipſe in eo agas, et quo impeditior nihilominus ſolutio eſſe videatur. Annulus circularis inter duos orbes, quibus centrum commune eſt, figuram habet a ſuperficie circuli admodum diuerſam, et cuiuis ihitio laborioſum artificioſumque videtur, eum in hanc figuram transmutari. Verum ſimulatque intellexero: lineam circulum interiorem tangentem tam longe ductam, donec in vtroque latere ambitum maioris ſecet, diametrum huius circuli eſſe, cuius ſuperficies ipſa aequalis eſt materiae annuli circularis, non poſſum non quodammodo modum ſimplicem mirari, quo quaeſitum in natura rei ipſius tam facile ſe prodat, nec fere nihilum in eo operae meae tribuendum ſit.

Vt in ſpatii proprietatibus neceſſariis vnitas in maxima varietate contextusque eorum, quae neceſſitatem habere ab alio prorſus ſeparatam videtur, animaduerteretur, oculos tantummodo ad figuram circularem infiximus, cui earum infinitae adhuc videntur, quarum partem tenuem nouimus. Ex quo intelligi poteſt, quanta immenſitas earum relationum concinentium alias in proprietatibus ſpatii inſit, quarum multas geometria ſublimior in cognationibus generum diuerſorum linearum curuarum proponit, omnesque, praeter exercitationem intelligentiae per intellectum cogitabilem illarum, ſenſum ſimili ſublimioriue modo velut pulcritudines naturae fortuitae mouent.

Quodſi in eiusmodi inſtitutis naturae iure poſſumus cauſſam concentus variorum tam late patentis inveſtigare, num minori iure iſtud poterimus in animaduertenda proportione atque vnitate in determinationibus infinite variis ſpatii? An hic concentus propterea minus mirus eſt, quod neceſſarius videtur?

Digitized by Google

Equidem cenſeo, illum idcirco eo magis mirabilem eſſe. Et quoniam multorum illorum, quorum ſuam quodque peculiarem neceſſitatem ac liberam haberet, numquam ordo, concinnitas atque vnitas in relationibus contrariis eſſe poſſent, an eo haud perinde, atque concentu inſtitutorum naturae fortuitorum, ad ſuſpicandam ipſam rationem ſupremam eſſentiarum rerum ducimur, cum vnitate rationis vnitas quoque in ambitu conſequentium omnium efficitur.

2.

Vnitas in varietate eſſentiarum rerum, demonſtrata in eo, quod in legibus motus neceſſarium eſt.

Cum in natura rerum inſtitutum aperimus, quod ob certum quemdam finem factum videtur, propterea quod illud non ſolum ex proprietatibus generalibus materiae ſeſe oblaturum fuiſſet, tum inſtitutum pro fortuito, et pro effecto optionis accipimus. Quodſi ergo nouus concentus, ordoque atque vtilitas et peculiariter ad iſtud directae cauſſae intermediae inueniantur, ſimili illum modo iudicamus; hic contextus naturae rerum prorſus alienus eſt, et ſolum eo quod eas quis voluit ſic copulare, hocce concentu teneatur. Nulla poteſt cauſſa generalis adferri, cur vngues felis, leonis et ſimilium beſtiarum ita conſtructae ſunt, vt retrahi queant, quam quoniam vllus quispiam auctor eas eo conſilio, vt iis a detritu caueretur, ſic inſtituit, propterea quod his beſtiis inſtrumenta oportet idonea eſſe ad praedam et prehendendam et tenendam. Verum cum certae quaedam qualitates generaliores, quae inſunt materiae, praeter vnum commodum, quod adferunt, et per quod cogitari poſſunt ſic inſtitutae eſſe, ſine minima noua adparatione, nihilominus ſingularem vtilitatem ad maiorem conuenientiam produnt, cum lex quaedam ſimplex, quam quisque ob certam quamdam praeſtantiam iam ſolum neceſſariam duceret, nihilominus magnam fertilitatem proderet multorum

plurium; cum caeterae vtilitates et conuenientiae inde ſine arte, ſed potius neceſſario promanant; cum denique per vniuerſam naturam corpoream iſtud animaduertitur; tum manifeſtum eſt, in ipſis rerum eſſentiis relationes perpetuas ad vnitatem contextumque concentumque generalem ſeſe per regnum poſſibilitatis expandere. Ex quo quidem emergit admiratio tantae conuenientiae naturalisque aptitudinis, quae, dum artem putidam quaeſitamque inutilem reddit, nihilominus ipſa numquam poteſt caſui fortuito attribui, verum vnitatem in poſſibilitatibus ipſis inſitam dependentiamque ipſarum eſſentiarum rerum omnium communem ab vno quodam principio magno indicat. Hanc rem maxime miram nonnullis exemplis facilioribus declarare conabor, dum viam ac methodum diligenter ſequar, ex iis, quae obſeruando proxime certa ſunt, ad iudicium generalius pedetentim adſcendendi.

Vtilitatem vnam ex ſexcentis deligere poteris, quare neceſſarium reputari queat, atmoſphaeram eſſe, ſi inde finem quemdam habere pro ratione cupias, qua inſtitutum aliquod naturae cauſſam nactum videatur. Hoc igitur concedo, ac fere ſpirationem hominum beſtiarumque huiusce inſtituti ſcopum adpello. Atque hicce aër, iisdem proprietatibus nullisque amplius, quibus ad animam ducendam ſolum indigeret, ſimul anſam praebet infinitati conſecutionum pulcrarum, neceſſario reſpirationem comitantium, quae haud peculiaribus inſtitutis opus eſt vt promoueantur. Eadem vis aëris elaſtica pondusque facit, vt ſugere queant, ſine quo beſtiarum pulli carere alimentis deberent, et poſſibilitas machinarum antlicarum inde neceſſario conſequitur. Ea fit, vt humor in vaporibus attrahatur, qui ſupra in nubibus condenſantur, diem exornant, ſaepius nimium ſolis ardorem temperant, inprimis vero hanc vtilitatem adferunt, vt regiones terrarum ſiccas aquis locorum inferiorum exhauſtis ſecunde humectent. Crepuſculum, quo dies

Digitized by Google

producitur oculoque gradibus intermediis ſucceſſiuis transitus ab nocte ad diem reddit innoxium, inprimis autem venti per naturam et libere ex illa conſequuntur.

Ponatis, hominem quemdam deliberare, quomodo orae terrarum in zona torrida, quas alioquin calidiores regionibus depreſſis eſſe oporteret, calore frui poſſent tolerabiliori, per naturam incidet in ventum marinum, qui hoc conſilio horis diei feruentiſſimis flare deberet. Quia vero, cum noctu ſupra mare multo citius frigeſcat quam in terra, haud conduceret, eumdem ventum ſemper flare, optaret, vt prouidentiae placuiſſet ita conſtituere, quo horis mediis noctis ventus a terra reuerteretur, quo etiam multa poſſet alia vtilitas promoueri. Nunc tantummodo anquirendum foret, qua mechanica inſtitutoque artificioſo haec venti viciſſitudo poſſet effici, in quo quidem iure optimo metuendum foret, ne, cum homo nequeat poſtulare, vt omnes leges phyſicae ſeſe ad commoditatem ſuam accommodent, eſſe quidem hoc inſtrumentum poſſit, ſed cum reliquis inſtitutis neceſſariis tam male conſpiret, vt ſapientiae ſummae iſtud idcirco inſtituere haud placeret. Interim vniuerſa haec dubitatio inutilis videretur. Quod inſtitutio ex deliberato delectu facta efficeret, illud hic aër efficit ex legibus motus generalibus, idemque principium ſimplex vtilitatis illius reliquae etiam hic ſine nouis et ſingularibus inſtitutis efficit. Aër per diuinum calorem extenuatus in ſolo ardente eiusmodi terrae, neceſſario cedit denſiori grauiorique in mari frigido, ventumque profert marinum, qui propterea inde a calidiſſimis horis diurnis ad ſerum veſperem flat, et aër marinus, iisdem de cauſſis die haud ita calefactus, vt aër in terra, citius noctu refrigeſcit, ſeſeque contrahit, et regreſſum efficit aëris terreſtris tempore nocturno. Quisque nouit, omnes oras zonae torridae hac venti viciſſitudine frui.

Ad relationes, quibus leges motus ſimplices valdeque generales per neceſſitatem eſſentiae ſuae ad ordinem conuenientiamque adfectae ſunt, demonſtrandas, adſpectum tantummodo ad paruam naturae partem, ſcilicet ad aëris effecta conuerti. Facile intelliges, vniuerſum tractum immenſum magni ordinis naturae eodem reſpectu mihi patere. Seruo mihi, quaedam infra ad dilatandum hunc pulcrum proſpectum adferenda. Nunc quidem aliquid neceſſarium negligerem, niſi grauiſſimi inuenti Maupertuiſiani mentionem facerem, reſpectu conuenientiae legum motus neceſſariarum et generaliſſimarum aperti.

Ea, quae argumento attulimus, leges attingunt longe quidem patentes et neceſſarias, ſed tantum certi cuiusdam peculiaris materiarum in mundo generis. Contra ea Maupertuiſius euicit: ipſas leges generaliſſimas, ſecundum quas materia generatim agit, cum in aequilibrio tum in pulſu, cum corporum elaſticorum tum inelaſticorum, in attractione luminis in frangendo pariter, atque in repulſione illius in reflectendo, regulae cuidam principii obnoxias eſſe, ad quam ſumma parſimonia in actione ſemper ſeruata videatur. Atque hoc inuento effecta materiae, vt maxime diuerſa fuerint, formulae cuidam generali ſubiecta ſunt, quae adfectionem conuenientiam pulcritudinemque et proportionem enuntiant. Nihilominus leges motus ipſae ſic comparatae ſunt, vt numquam materia poſſit ſine illis cogitari, atque ita neceſſariae ſunt, vt etiam ſine vllis periculis ex naturâ generali et neceſſaria omnis materiae queant maxime perſpicue deriuari. Cuius mentionem feci, vir ille ſubtiliſſimus ſtatim ſenſit, dum eo in varietate totius rerum vniuerſi immenſa vnitas, atque in neceſſitate caeca ordo efficitur, vllum quodpiam principium ſupremum eſſe oportere, a quo his omnibus concentus et conuenientia poſſit impertiri. Iure credidit, contextu tam generali in naturis rerum ſimpliciſſimis, rationem longe aptiorem ſuppeditari, in vlla quadam natura prima perfecta cauſſam omnium in mundo

vltimam certo inueniendi, quam omnem perceptionem inſtitutionis variae fortuitae ac mutabilis ex legibus peculiaribus. Nunc id agebatur, quem vſum capere philoſophia ſublimior ex hac graui cognitione noua poſſet, neque puto me perperam ſuſpicari, ſi credam academiae ſcientiarum regiae Berolinenſis in quaeſtione propoſita hoc conſilium fuiſſe: vtrum leges motus neceſſariae ſint an fortuitae, et ad quam nemo exſpectationi conuenienter reſpondit.

Quodſi ratio fortuita ſenſu reali accipitur, ita vt in dependentia verſetur materiae poſſibilitatis a quodam alio, manifeſtum eſt, leges motus proprietatesque generales materiae, illis obtemperantes, ab vlla quadam ſumma natura prima communi, principio ordinis et conuenientiae pendere oportere. Ecquis enim crederet, in varietate ampla, in qua ſua cuique ſingulo propria prorſus libera natura foret, nihilominus ex miro caſu fortuito omnia ſic congruere, vt bene inter ſe conuenirent atque in toto vnitas exſiſteret. Verum iſtud principium commune non ſolum exſiſtentiam huius materiae proprietatumque illi impertitarum ſpectare oportere, ſed ipſam materiae poſſibilitatem in genere ipſamque eſſentiam, eo perſpicue in oculos incurrit, quod id, quo ſpatium impleri debet, quod particeps pulſus eſſe preſſionisque debet, nullo modo aliis conditionibus obnoxium cogitari poteſt, quam iis, ex quibus illae dictae leges neceſſario promanant. Hoc modo intelligitur: has leges motus *materiae* ſimpliciter neceſſarias eſſe, hoc eſt, ſuppoſita materiae poſſibilitate, illi repugnare, vt ad alias leges agat, quae eſt neceſſitas logica generis ſupremi: nihilominus tamen ipſam materiae poſſibilitatem internam, data quippe et reale, quod huic cogitabili fundamento ſubeſt, haud libere ſeu per ſe ipſam datam eſſe, verum per vllum quodpiam principium, in quo varietati vnitas, diuerſitatique conjunctio impertiatur, poſitam eſſe, quod ratio fortuita legum motus ſenſu reali planum facit.

MEDITATIO SECUNDA.

DISTINCTIO DEPENDENTIAE OMNIUM RERUM A DEO IN MORALEM ET IMMORALEM.

Eam rei cuiusdam a deo dependentiam dico *moralem*, cum is principium illius eſt per voluntatem ſuam, ſed reliqua omnis *immoralis* videtur. Quodſi igitur adfirmo: deo principium vltimum ipſius rerum poſſibilitatis internae contineri, quisque facile intelliget, hanc dependentiam non niſi immoralem eſſe poſſe; ſi quidem voluntas nihil quidquam poſſibile reddit, ſed modo, quae iam vt poſſibiila ſupponuntur, decernit. Quatenus deus principium cohibet exſiſtentiae rerum, fateor, hanc dependentiam ſemper moralem eſſe, hoc eſt, eas propterea exſtare atque adparere, quia voluit, vt eſſent.

Scilicet poſſibilitas rerum interna illi, qui exſiſtentiam illarum decreuit, materias offert, quae miram vtilitatem ad concentum, conuenientiamque in earum natura ſitam ad totum quoddam varie digeſtum pulcrumque complectuntur. Atmoſphaeram exſtare, propter fines inde conſequendos deo poteſt vt principio morali attribui. Verum, quod tanta fecunditas in natura vnius principii adeo ſimplicis ineſt, tanta in poſſibilitate eius ſita conuenientia tantusque concentus, nullarum inſtitutionum nouarum indigens, vt cum aliis rebus mundi poſſibilibus regulis ordinis variis conuenienter congruant, id quidem profecto non rurſum poteſt libero delectui attribui: quia omni decreto voluntatis cognitio poſſibilitatis decernendorum ſupponitur.

Ea omnia, quorum ratio in delectu quaeri libero debet, eatenus quoque fortuita ſint, neceſſe eſt. Atqui

negatio multorum variorumque conſequentium inter ſe inuicem, ex vno principio neceſſario promanantium, non eſt negatio fortuita; nec proinde haec determinationi liberae attribui poteſt. Si ſupra vidimus, poſſibilitatem antliarum, reſpirationisque, elevationem materiarum fluidarum, ſi quae adſint, in vapores, ventos, et quae ſunt generis eiusdem non poſſe ab ſe inuicem ſeparari, quoniam omnes pendent ex principio vno, ſcilicet ex elaſticitate aëris et grauitate, atque hic variorum concentus in vno proinde nullo modo fortuitus eſt, neque ideo principio morali attribuendus.

Hoc loco ſemper modo relationem ſpecto, qua eſſentia aëris, aut cuiusque alius ad tot conſequentia pulcra *poſſibiliter* producenda adfecta eſt, hoc eſt, conſidero tantum *vtilitatem* naturae illarum ad tot fines, et tum, ob concentum vnius principii cum tot conſequentibus poſſibilibus vnitas profecto neceſſaria eſt, et haec conſequentia poſſibilia eatenus non poſſunt ab ſe inuicem atque ab re ipſa ſeparari. Ac vera quidem harum vtilitatm effectuio eatenus fortuita eſt, quatenus vna ex illis rebus, quas res ſpectat, deeſſe poteſt, aut effectio per vim alienam impediri.

In proprietatibus ſpatii relationes inſunt pulcrae, atque in varietate immenſa determinationum illius mira vnitas. Exſiſtentia vniuerſae huius conuenientiae, quatenus materia implere ſpatium debebat, cum omnibus conſequentibus ſuis arbitrio cauſſae primae attribuenda eſt; ſed coniunctionem tot conſequentium, quae omnia cum rebus in mundo in tanto concentu verſantur, abſurdum foret, rurſum in aliqua voluntate quaeri. In aliis conſequentibus neceſſariis ex natura aëris etiam hoc numerari debet, quod eo materiis in illo motis reagitur. Stiriae, ex ſumma altitudine decidentes eo retardantur, mediocrique velocitate decidunt, cum haud ſic retardatae vim pernicioſiſſimam in praecipitando ex tanta altitudine

naturae fuiſſent. Atque iſtud commodum eſt, quod, quia absque eo aër eſſe non poteſt, non ex peculiari decreto cum caeteris proprietatibus coniunctum videtur. Cohaeſio partium materiae ſiue, velut in aqua, conſequens poſſibilitatis neceſſarium materiae ſit in genere, ſiue conſtitutio ſingillatim facta, tamen proximum eius effectum cernitur in figura rotunda minutarum partium illius, vt ſtiriarum. Eo vero fit, vt arcus pulcer verſiculor ex legibus motus perquam generalibus eſſe poſſit, qui ſuaui ſplendore et conuenientia in orbe finiente conſpicitur, cum ſol apertus in ſtillas pluuiales e regione decidentes radios mittit. Materias fluidas corporaque grauia adeſſe, non niſi voluntati huiusce auctoris praepotentis attribui poteſt, ſed quod corpus caeleſte in ſtatu liquido prorſus neceſſario legibus adeo generalibus conuenientes figuram rotundam induere nititur, quae poſtea melius, quam vlla alia, quae eſſe poteſt, cum caeteris totius rerum vniuerſitatis finibus conuenit, idcirco quia, vt hoc vtar, eiusmodi ſuperficies, aequabilis distributionis particeps eſt luminis, id quidem in natura rei ipſius ineſt.

Cohaeſione materiae, et reactione, quam partes cum ſeparabilitate ſua coniungunt, fit, vt frictio neceſſaria ſit, quae tantam vtilitatem adfert, et tam cum ordine in vniuerſis mutationibus naturae variis convenit, quam vllum quodpiam, quod haud ex principiis tam generalibus promanaſſet, verum ex ſingulari conſtitutione acceſſiſſet. Quodſi frictione motus haud retardaretur, adſeruatio virium ſemel productarum, per communicationem cum aliis, repulſionemque et pulſus vibrationesque vsque continuatos, poſtremo cuncta perturbaret. Superficies, in quibus corpora iacent, ſemper oporteret prorſus ad perpendiculum eſſe (quod tantum raro eſſe poſſunt) alioquin haec ſemper lapſura forent. Omnes laquei torti non niſi frictione continentur. Fila enim, quae haud longitudinem totius laquei habent, minima vi distraheren-

Digitized by Google

tur, niſi frictione vi illius, qua torquendo comprimuntur, conſentanea reprimerentur.

Hoc loco propterea conſequentia neglecta ac vulgaria adfero ex legibus phyſicis ſimpliciſſimis maximeque tritis, vt inde cum concentus magnus ille et infinite potens, qui eſſèntiis rerum in vniuerſum inter ſe inuicem intercedit, magna conſequentia, quae illi attribuenda ſunt, etiam in iis cauſſis intelligantur, vbi non ſatis ſollertes ſumus, vt hunc illumue naturae ordinem vsque ad talia principia ſimplicia ac generalia reuocemus, tum quoque vt abſurditatem ſentiamus, quae ineſt in eo, cum in eiusmodi conuenientiis ſapientiam dei vt rationem eorum ſingularem adpellamus. Res adeſſe tam pulcris relationibus adfectas, ſapienti delectui illius, qui eas propter hunc concentum condidit, tribuendum eſt; quod vero earum quaeque aptitudinem tam late patentem ad concentum varium ex rationibus ſimplicibus contineret, eoque vnitas mirabilis in toto conſeruari poſſet, in ipſa ineſt poſſibilitate rerum, cumque hic, quod in quouis delectu ſupponendum eſt, fortuitum euaneſcit, ratio huiusce vnitatis in natura quidem ſapienti, at non per ſapientiam eius poteſt quaeri.

MEDITATIO TERTIA.

DE DEPENDENTIA RERUM AB DEO PER ORDINEM NATURAE, VEL SINE ILLA.

I.

Partitio euentorum coſmicorum, quatenus ordini naturae obnoxia ſunt, vel minus.

Quidpiam naturae ordini obnoxium eſt, quatenus exſiſtentia eius mutatione in viribus naturae

idonee fundata eſt. Ad quod poſtulatur, primo: vt vis naturae cauſſa illius efficiens ſit; deinde, vt modus, quo ad producendum iſtud effectum directa eſt, ipſe ſit in regula quadam legum efficiendi naturalium idonee fundatus. Cuiusmodi euenta etiam ſimpliciter euenta coſmica *naturalia* vocantur. Contra vbi hoc non eſt, cauſſa huic rationi haud obnoxia, non quidpiam eſt, quod naturam ſuperet, idque locum habet, aut quatenus cauſſa efficiens proxima extra naturam eſt, hoc eſt, quatenus vis illud diuina proxime producit, aut deinde, ſi vel modus tantum, quo naturae vires ad hanc cauſſam intentae fuerunt, non ſub regula naturae quadam continetur. Ac ſuperiori quidem caſu euentum dico *materialiter naturae vim ſuperans*, altero vero *formaliter*. Cum ſolum caſus poſterior quadam indigere illuſtratione videatur, propterea quod reliqua per ſe manifeſta ſunt, eius rei exempla adferam. Multae in natura rerum vires ſunt facultate pollentes, ſingulares homines ciuitatesue aut vniuerſum genus humanum perdendi; velut terrae motus, procellae, motus maris, cometae et ſimilia. Iam vero ex lege generali ſatis eſt in conſtitutione naturae fundatum, vt horum nonnulla ſubinde eueniant. Verum in legibus, ex quibus iſta fiunt, vitia corruptioque moralis gentium humanarum nullae omnino rationes *naturales* ſunt cum iis coniunctae. Nulla eſt peccatorum ciuitatis cuiusdam cum igne terrae clandeſtino contagio, luxuriesque mundi primi non fuerunt in cauſſis efficientibus, quae cometas in viis illarum ad ſeſe poterant attrahere. Et ſi tale euentum aliquod accedit, quod vero legi cuidam naturali tribuitur, eo declarare volumus, infortunium iſtud, non vero poenam eſſe, propterea quod vita hominum moralis non poteſt cauſſa eſſe terrae motus ſecundum legem quamdam naturalem, quia hic locum non habet vlla cauſſarum effectorumque coniunctio. Exempli gratia cum terrae motus vrbem Portum Regium in Iamaica peruertit, is, qui iſtud naturale euentum dicit, eo intelliget: quam-

Digitized by Google

quam flagitia incolarum, ex teſtimonio ſacri illorum oratoris, totam vaſtationem vt poenam meruiſſent, tamen hunc caſum vt vnum e multis ſpectandum eſſe, qui nonnumquam ex lege naturae generaliori euenit, cum regiones terrae, atque in his ſubinde oppida, et in his paſſim etiam oppida improbiſſima labefiunt. Contra cum eiusmodi euentum pro poena accipi debet, has naturae vires, cum ex lege naturali nexus earum cum fatis hominum eſſe nequeat, per naturam ſummam ſingulatim intentas eſſe oportebit; tum autem euentum ſenſu formali naturam ſuperat, quamquam cauſſa eius intermedia in viribus fuit naturae. Atque etiamſi per longam ſeriem praeparationum, illum finem ſpeciatim in viribus mundi efficientibus inchoatarum, hoc euentum tandem vt poena confectum eſſet, etſi ſumere velles, iam in creatione deum omnia eo praeparaſſe, quo poſtea per vires in natura eo intentas ſuo tempore euenirent, (vti hoc in Wiſtoni doctrina de diluuio, quatenus ortum eſſe per cometam illud dicitur, ſic cogitatione fingi poteſt,) eo tamen ratio naturam ſuperans minime deminuta eſt, ſed modo vsque ad creationem protracta, eoque mire aucta videtur. Hac enim vniuerſa ſerierum ſucceſſione, quatenus modus conſtitutionis illius ad euentum referretur, propterea quod eius reſpectu non vt conſequens ex legibus naturae generalibus conſideranda fuit, diligentia diuina proxima longe maior denotatur, tam longam conſecutionum catenam ſpectans, vt etiam impedimentis occurreretur, quibus fieret, vt effectum quaeſitum poſſet fruſtrari.

Contra poenae ſunt ac praemia ſecundum ordinem naturae, idcirco, qui vita hominum moralis cum iis ad leges cauſſarum effectorumque contagione continetur. Libido fera atque intemperantia in vita morboſa cruciatibusque plena finiuntur. Artes dolique demum franguntur, ſed fides ac ſinceritas poſtremo optima prudentia eſt. In his omnibus coniunctio

conſecutionum ex legibus naturae efficitur. Quotquot autem illarum poenarum praemiorumue, aut quorum aliorum euentorum in mundo fuerint, quae ſemper mire ex viribus naturae in cāſibus ſingulis ſpectata eſſe debent, etſi certa quaedam ſimplicitas in multis illorum obtinet, ſunt ea quidem legi diuinae proximae, legi quippe ſapientiae, non vero naturae, ſubiecta.

2.

Deſcriptio euentorum naturalium, quatenus ordini naturae, vel neceſſario vel fortuito ſubſunt.

Omnes naturae res quoad exſiſtentiam fortuitae ſunt. Coniunctio variorum generum rerum, velut aëris, terrae, aquae, item ſine dubio fortuita eſt, atque eatenus ſolum arbitrio auctoris ſummi tribuenda. Sed quamquam legum naturae eatenus nulla neceſſitas eſſe videtur, quam res ipſae ad illas effectae, item coniunctiones, in quibus exerceri poſſunt, fortuitae ſunt, nihilominus genus quoddam neceſſitatis relinquitur admodum memorabile. Sunt ſcilicet multae leges naturae, quam vnitas neceſſaria eſt, id eſt, vbi eadem ratione conuenientiae cum lege etiam leges aliae neceſſariae redduntur. Velut eadem vis elaſtica grauitasque aëris, quae ratio legum reſpirationis, neceſſario ſimul ratio poſſibilitatis antliarum, poſſibilitatisque nubium producendarum, et alimentorum ignis, ventorum, et ſic porro. Neceſſe eſt, vt caeterorum ratio inueniri poſſit, ſimulac vel vnius illorum ratio adfuerit. Contra ſi ratio cuiusdam generis effectorum ſimilium ſecundum legem aliquam, non eadem ratio alius cuiuspiam effectorum generis ad aliam legem in eadem natura ſit, coniunctio harum legum fortuita eſt, ſiue in his legibus vnitas fortuita obtinet, et quidquid poſtea in re accidit, ſecundum ordinem naturae fortuitum ſit. Homo viſu gaudet,

Digitized by Google

auditu, olfactu, guſtu et ſic porro, verum haud eaedem proprietates, quae rationes viſus ſunt, etiam ſunt rationes guſtus. Aliis, neceſſe eſt, inſtrumentis ad audiendum vtatur, aliis ad guſtandum. Coniunctio facultatum adeo diuerſarum fortuita eſt, eumque ea perfectionem ſpectat, artificioſa. In quouis inſtrumento rurſum eſt artificioſa vnitas. In oculo pars, qua fit, vt lumen incidat, alia eſt quam ea, qua illud frangitur, alia quoque, quae lumen recipit. Contra non aliae cauſſae ſunt, quibus terrae rotunditas globi impertitur, neque aliae, quibus rurſus vibratio volutans corporum terrae retardatur, neque aliae, quibus luna in orbibus ſeruatur, ſed vna grauitas cauſſa eſt, ad iſta omnia neceſſario idonea. Atqui ſine dubio perfectio eſt, quod horum effectorum omnium rationes in natura rerum inueniuntur, et, ſi eadem ratio, qua vnum determinatur, etiam ad alia idonea eſt, eo maior vnitas ea re ad totum accedit. Sed haec vnitas, cum eaque perfectio in cauſſa hoc loco adlata neceſſaria eſt, eſſentiaeque rei adhaeret, atque omnis conuenientia, fecunditasque et pulcritudo, quae illi eatenus debetur, ex deo pendet per ordinem naturae eſſentialem, ſiue per ea, quae in ordine naturae neceſſaria ſunt. Memet, opinor, hanc neceſſitatem non ad exſiſtentiam harum rerum ipſarum, verum tantummodo ad concentum vnitatemque in poſſibilitate illarum ſitam, vt rationem tam eximiae vtilitatis fecunditatisque valere velle, intelliges. Res creatae regni et vegetabilis et animalis vbique praebent exempla maxime mirabilia vnitatis fortuitae, ſed cum ſumma ſapientia concinentis. Vaſa ſuccum ſorbentia, vaſa ſorbentia aërem, ea, quae ſuccum coquunt, eaque, quibus ille euaporat et ſimilia, magnam quidem varietatem oſtendunt, cuius quaeque ſingula ad alterius effectiones haud idonea eſt, et vbi illarum coniunctio ad perfectionem vniuerſam artificioſa eſt, ita vt planta ipſa cum adfectionibus ſuis ad fines adeo diuerſos vnitatem conſtituat fortuitam atque arbitrariam.

Digitized by Google

E contrario natura inorganica innumera argumenta vnitatis neceſſariae praebet in relatione rationis ſimplicis ad multas conſecutiones idoneas, ita, vt ea moneare ad ſuſpicandum, fore, vt ibi, vbi in ipſa natura organica huic illiue perfection peculiaris quaedam conſtitutio fundamento ſubeſſe videtur, ea forte conſecutio neceſſarie ex eadem ratione eſſe poſſit, quae illam cum multis aliis effectis pulcris iam in fecunditate eſſentiali eius coniungat, ita vt adeo in hisce naturae regnis maior vnitas neceſſaria, quam cogitaueris, videatur. Iam quia viribus naturae legumque efficiendi illarum ratio ordinis naturae continetur, qui, quatenus concentum varium in vnitate neceſſaria complectitur, facit, vt coniunctio perfectionis multae in ratione *vna* in legem mutetur, variae effectiones naturae reſpectu pulcritudinis vtilitatisque ſub ordine naturae eſſentiali per illumque ſunt conſiderandae. Contra cum etiam ſubinde perfectiones in toto quodam haud per fecunditatem rationis vnius fieri queant, ſed variae ex arbitrio ad hunc finem coniunctas rationes poſtulent, rurſus multae conſtitutiones artificioſae in cauſſa erunt legis, effectionesque, quae ad eam fiunt, ordini naturae ſubſunt fortuito et artificioſo, per illum autem deo.

MEDITATIO QUARTA.

VSUS ARGUMENTI NOSTRI IN PERFECTIONE MUNDI EX CURSU NATURAE DIIUDICANDA.

I.

Quae ex argumento noſtro ad praeſtantiam ordinis naturae prae ſupernaturali elici poſſint.

Regula eſt philoſophorum vel potius rationis ſanae peruulgata in genere: ſine cauſſa grauiſſima

nihil quidquam debere pro miraculo, ſeu euento hyperphyſico haberi. Quae quidem regula primo enuntiat, miracula rara eſſe, deinde perfectionem vniuerſam poſſe etiam ſine multis contagionibus hyperphyſicis voluntati diuinae conuenienter impetrari: quisque enim cognoſcit, ſi ſine frequentioribus miraculis finem exſiſtentiae ſuae mundus haud attingeret, euenta hyperphyſica aliquid conſuetum eſſe opo tere. Quidam exiſtimant, formam coniunctionis conſecutionum cum rationibus per ſe ipſis perfectionem quamdam eſſe, cui, ſi opus ſit, euentus melior, ſi non niſi hyperphyſice impetrari poſſet, poſtponi debeat. In naturali vt tali proxime quamdam praeſtantiam ponunt, quoniam ſibi omnibus hyperphyſicis, vt perturbatione ordinis per ſe ipſa quiddam informe atque indecorum excitari videtur. Verum haec difficultas tantummodo conficta eſt. Bonum non niſi in fine impetrando ineſt, inſtrumentisque tantum propter illum tribuitur. In ordine naturali, niſi ex eo conſecutiones perfectae naſcantur, proxime nulla ratio ineſt praeſtantiae, quoniam tantum pro modo inſtrumenti ſpectari poteſt, quod nullam propriam, ſed tantum a magnitudine eo impetrati finis depromtam aeſtimationem concedit. Cogitatio moleſtiae, quam homines in effectionibus proximis perſentiſcunt, clanculum hic ſeſe immiſcet, eique quod viribus alienis credi poteſt praeſtantiam quamdam impertit, ibi adeo vbi in euentu aliquid vtilitatis propoſitae deſideraretur. Interim ſi ſine maiori moleſtia, qui lignum in mola ſecante aptat, illud pariter proxime poſſet in aſſeres transmutare, vniuerſa ars huiusce machinae nonniſi luſus foret, quoniam vniverſum eius pretium in ea non niſi vti in inſtrumento ad hunc finem locum habere poteſt. Quapropter aliquid non idcirco bonum eſt, quia ad curſum naturae euenit, ſed curſus naturae bonus eſt, quatenus ea, quae inde promanant, bona ſunt. Cumque deus mundum decreto ſuo comprehenderet, in quo cuncta plerumque per naturalem contextum regulam optimi

ſequerentur; dignum illum, quem eligeret, iudicauit, non quia eo, quod naturali contextu teneretur, bonum contineretur; ſed quoniam hoc naturali contextu ſine multis miraculis fines perfecti rectiſſime impetrarentur.

Et nunc oritur quaeſtio: qui fit, vt leges generales naturae voluntati entis ſupremi, in euentorum, quae ex illis fiunt, transcurſu, tam belle reſpondeant, et quaenam cauſſa eſt, cur iſtam conuenientiam iis ineſſe credas, vt haud frequentius, quam animaduertas, remedia clandeſtina hyperphyſica concedenda ſint, quae vitiis illorum perpetuo ſuccurrant? *) In quo quidem notio noſtra de dependentia ipſarum eſſentiarum rerum omnium a deo longe maiorem nobis vtilitatem adfert, quam ea eſt, qua in hac quaeſtione exſpectatur. Res naturae vel in determinationibus maxime neceſſariis poſſibilitatis ſuae inteſtinae criterium dependentiae ab ea natura prae ſe ferunt, in qua omnia cum ſapientia et benignitate conſpirant. Ab iis concentus poteſt pulcraque coniunctio exſpectari et vnitas neceſſaria in variis relationibus vtilibus, quibus vna ratio ad tot leges idoneas adfecta eſt. Non opus erit, vt ibi, vbi natura ad leges neceſſarias agit, proximae emendationes diuinae interueniant, quoniam quatenus conſecutiones ex ordine naturae neceſſariae ſunt, numquam vel ex legibus generaliſſimis quidpiam, quod deo displiceat, euenire poteſt.

*) Ad hanc quaeſtionem permultum abeſt, vt ſatis reſponſum ſit, ſi ad delectum dei ſapientem prouocaueris, qui naturae curſum ſemel tam iam bene conſtituiſſet, vt emendationes frequentiores inutiles eſſent. Maxima enim difficultas conſiſtit in eo, quo tandem modo fieri potuerit, vt in coniunctione euentorum coſmicorum ad leges generales tanta perfectio coniungeretur, praeſertim ſi multitudinem rerum naturalium, immenſamque ſeriem mutationum illarum conſideres, quomodo ibi ad regulas generales efficacitatis rerum reciprocae concentus oriri potuerit, qui nullarum frequentium contagionum hyperphyſicarum indigeret.

Digitized by Google

Quomodo enim conſecutiones rerum, quarum coniunctio fortuita ex voluntate dei pendet, relationes autem illarum eſſentiales vt rationes neceſſariae in ordine naturae ab illo in deo profectae ſunt, quod cum proprietatibus eius generatim in maximo concentu verſatur, quomodo, inquam, hae poſſunt voluntati illius contrariae eſſe? Atque ita omnes, oportebit, mundi mutationes mechanicae, proinde ex legibus motus neceſſariae, ſemper idcirco bonae ſint, quoniam phyſice neceſſariae ſunt, ſperandumque eſt, conſecutionem irreprehenſibilem fore, ſimulatque ex ordine naturae neceſſaria videtur. *) Vt vero omni errori caueatur, moneo, mutationes in mundo vel ex conſtitutione vniuerſi prima legibusque naturae generalibus et ſpecialibus neceſſarias eſſe, cuiusmodi ea cuncta ſunt, quae in mundo corporeo mechanice accidunt, vel iis nihilominus praeter haec omnia rationem eſſe fortuitam haud ſatis comprehenſam, velut actiones ex libertate, quarum natura haud rite perſpicitur. Poſterius mutationum coſmicarum genus, quatenus libertatem quamdam reſpectu rationum determinantium legumque neceſſariarum in ſe cohibere videntur, eatenus poſſibilitatem in ſe continent a meta generali rerum naturae ad perfectionem tendente deflectendi. Atque ob hanc cauſſam exſpectari poteſt, ſupplementa hyperphyſica eſſe neceſſaria poſſe, quia fieri poteſt, vt hoc reſpectu curſus naturae cum voluntate dei non numquam pugnare queat. Interim, cum ipſae vires naturarum libere agentium in con-

*) Si, vt Newtonus cenſet, neceſſarius naturae euentus eſt, ſyſtema mundi, quale ſolis noſtri tandem prorſus haerere omninoque quieſcere, haud cum illo adderem: neceſſe eſt, vt deus illud per miraculum reſtituat. Nam quia euentum eſt, ad quod natura ſecundum leges ſuas eſſentiales neceſſario determinata eſt, inde ſuſpicor, illud etiam bonum eſſe. Neque eſt, quod iſtud damnum deplorabile putemus; neſcimus enim, quam immenſa natura ſit ſemper ſeſe in aliis caeli regionibus efformans, ad huncce vniuerſi defectum magna fecunditate abunde refarciendum.

iunctione cum caeteris huius vniuerſi non penitus ab omnibus legibus exemtae ſint, ſed ſemper, quamvis haud rationibus cogentibus, tamen iis, quibus ſecundum regulas arbitrii exercitium alio modo certum efficitur, obnoxiae ſint, dependentia eſſentiarum rerum ab deo etiam hic magna ſemper ratio, conſequentia, quae vel in hoc rerum genere ex curſu naturae eueniunt, (ita vt ab erratione ſpecioſa in cauſſis ſingularibus haud perturbemur,) in toto vt decora regulaeque optimi congrua ſpectandi: ita vt raro tantum naturae emendatione hyperphyſica proxima ſupplementoue opus habeat, quemadmodum etiam reuelatio non niſi reſpectu certorum quorumdam temporum ac populorum illius mentionem facit. Iam experientia cum hac dependentia actionum vel maxime liberarum, ex magna quadam regula naturali conſpirat. Vt maxime enim conſilium matrimonii fuerit, tamen in eadem terra inuenimus, proportionem matrimoniorum ad numerum viuentium fere perpetuam eſſe, ſi numeros magnos ſumſeris, et exempli gratia in 100 hominibus vtriusque ſexus par coniugum inueniri. Quisque nouit, quantum hominum libertas ad producendam minuendamque vitam conferat. Nihilominus has ipſas actiones liberas magno cuidam ordini obnoxias eſſe neceſſe eſt; quia omnino, poſitis magnitudinibus magnis, numerus morientium ad viuentes diligentiſſime vnam ſemper eamdemque ſeruat proportionem. Mihi pauca haec argumenta ſufficiunt, vt quodam modo doceam, ipſas leges libertatis nullam talem licentiam reſpectu regularum generalis cuiusdam ordinis naturae in ſe cohibere, vt ne eadem ratio, qua in reliqua natura iam in eſſentia rerum ipſa relatio neceſſaria ad perfectionem conuenientiamque ſtabilitur, etiam in naturali curſu actionum liberarum certe maiorem ad complacentiam entis ſummi directionem ſine multis miraculis deberet proferre. Verum conſilium meum magis curſum mutationum naturae ſpectat, quatenus per leges implantatas neceſſariae ſunt. Miracula in eiusmodi

Digitized by Google

ordine vel nullo modo vel tantum raro neceſſaria videbuntur, quoniam haud facile fieri poteſt, vt tales imperfectiones per naturam exſiſtant, quae illorum indigeant.

Si cogitationem de rebus naturae animo mihi informarem, quam plerumque homines de illis habent: ſcilicet poſſibilitatem earum internam per ſe liberam eſſe vacuamque ab ratione aliena; haud nouum iudicarem, ſi quis diceret, fieri non poſſe, vt mundus vllius cuiuspiam perfectionis ſit ſine multis effectionibus hyperphyſicis. Potius mirum atque incomprehenſum iudicarem, quomodo ſine ſerie miraculorum perpetua aliquid vtile aptumque per contextum magnum naturalem poſſit praeſtari. Mirus enim caſus fortuitus eſſe cogeretur, vt rerum eſſentiae, quarum ſua cuique neceſſitas ſeparata foret, ſic inuicem congruerent, vt ipſa ſapientia ſumma ex illis magnum quoddam totum poſſet coniungere, in quo praeter dependentiam tam variam, tamen ex legibus generalibus concentus pulcritudoque omnibus numeris abſoluta eluceret. Contra ea vero edoctus, idcirco tantum, quia deus eſt, quidpiam aliud eſſe poſſe, ab ipſis rerum poſſibilitatibus concentum exſpecto, magno illarum principio conuenientem, aptitudinemque per inſtituta generalia ad totum quoddam congruendi, quod cum ſapientia eiusdem entis rite conſpirat, a quo rationem ſuam depromunt, atque etiam mirum iudico, quatenus, quidpiam ad curſum naturae, legibus generalibus conuenienter, accidit, aut euenturum foret, illud deo displicere miraculique ad emendandum indigere, et ſi fiat, ipſa illius occaſio ad eas res pertinet, quae nonnumquam fiunt, a nobis vero numquam poſſunt comprehendi.

Facillime item intelligetur, perſpecta ratione eſſentiali, cur miracula ad mundi perfectionem raro eſſe neceſſaria poſſent, hoc etiam valere de iis, quae in meditatione ſuperiori euenta hyperphyſica ſenſu

formali adpellauimus, et quae in iudiciis vitae communis idcirco frequentiſſima conceduntur, quia per notionem peruerſam quodpiam naturale credimus in iis inuenire.

4.

Quae ex argumento noſtro commodo vnius alteriusue ordinis naturae concludi queant.

In ratione tractandi philoſophiae repurgatae regula obtinet, quae, etſi haud diſerta dicatur, ſemper tamen in vſu obſeruatur: vt in vniuerſis cauſſis certorum effectorum inueſtigandis magnam nos oporteat attentionem adhibere, ad vnitatem naturae, quantum fieri poſſit, ſeruandam, hoc eſt, ad varia effecta ex ratione vna iam nota deriuanda, neque variorum effectorum ob quamdam maiorem diſſimilitudinem putatitiam ſtatim nouas cauſſas efficientes diuerſasque ſumamus. Quamobrem praeſumitur, in natura magnam vnitatem eſſe, reſpectu ſufficientiae vnius cuiuspiam rationis ad conſecutiones varii generis, putaturque iure poſſe coniunctio phaenomenorum vnius generis cum phaenomenis generis alterius plerumque vt quidpiam neceſſarium, neque vt effectum ordinis artificioſi ac fortuiti ſpectari. Quam varia effecta ex vna vi gravitatis deriuantur, quorum olim cauſſae opus eſſe variae credebantur; adſcenſus quorumdam corporum caſusque aliorum? Vortices, ad corpora caeleſtia in orbibus retinenda, exploſi ſunt, cauſſa illorum in vi illa naturae ſimplici patefacta. Haud ſine cauſſa praeſumitur: extenſionem corporum per calorem, lumen, vim electricam, fulgura, fortaſſe etiam vim magneticam in variis phaenomenis vnius eiusdemque materiae efficacis, in omnibus ſpatiis diſſeminatae, quippe aetheris, verſari, omninoque nos male habet, cum novum principium ad aliquod effectorum genus enodandum ſumere cogimur. Ibi adeo, vbi proportio adcuratiſſima, ſingularem quamdam conſtitutionem arti-

ficioſam poſtulare videtur, ſolet ea potius euentui neceſſario ex legibus generalibus attribui atque etiamnum regula vnitatis obſeruari, quam ordinatio artificioſa fundamento ponatur. Figurae niuium tam ordinatae ſunt, tamque ſupra omnia rudia, quae caſus caecus efficere poteſt, elegantes, vt fere fidem eorum in dubium vocare deberes, qui nobis eas delinearunt, niſi quauis hieme occaſionem haberemus per noſtram experientiam nosmet certiores ea de re reddendi. Pauci inuenientur flores, qui, quantum extrinſecus percipi poteſt, maiorem pulcritudinem proportionemque prodant, neque omnino quidquam videmus, quod arte queat effici, quod magis ad regulam elaboratum ſit, quam iſtae geneſes, quas natura tanta abundantia in ſuperficie terrae diſperſit. Et nihilominus nemini vmquam venit in mentem, vt eas ex peculiari quodam niuium ſemine deriuaret, ordinemque naturae artificioſum excogitaret, ſed vt conſecutionem ſecundariam legibus generalioribus tribuimus, quibus formatio huiusce producti cum vnitate neceſſaria ſimul comprehenditur. *)

Nihilominus natura alio quodam genere productorum abundat, vbi omnis philoſophia, de origine illorum cogitans, hanc viam cogitur relinquere. Ars magna, coniunctioque fortuita per electionem liberam certis finibus conſentanea, ibi manifeſta eſt, ſimulque ratio euadit legis cuiusdam peculiaris naturae, ad ordinem naturae artificioſum pertinentis. Structura plantarum atque animalium eiusmodi ordinationem prodit, ad quam leges naturae generales et neceſſariae haud ſufficiunt. Cum igitur abſurdum foret primam plantae cuiusdam beſtiaeue generationem vt conſecutionem ſecundariam mechanicam ex legibus naturae

*) Figura mucoris plantis ſimilis multos mouit, vt illum productis regni vegetabilis adnumerarent. Interim ex aliis obſeruationibus longe veriſimilius eſt, conuenientiam ordinemque ſpecioſum illius non poſſe impedire, quo minus eum, velut arborem Dianae vt conſecutionem ex legibus communibus ſublimationis contemplemur.

Digitized by Google

generalibus ſpectari, nihilominus etiam nunc duplex quaeſtio relinquitur ex ratione adlata haud explicata: vtrum ſcilicet quodque illarum indiuiduum proxime a deo conditum ſit, ideoque originem hyperphyſicam habeat, ſolumque propagatio, id eſt, transitus ſubinde ad euolutionem, legi cuidam naturali concredita ſit, an vero quaedam indiuidua regni vegetabilis et animalis proxime quidem diuinae originis ſint, ſed facultate ornata nobis incomprehenſibili, ex lege naturae ordinaria ſui ſimilia generandi, nec ſolem euolvendi. In vtraque parte difficultates obſunt. Fortaſſe fieri non poteſt, vt quae maxima ſit, doceatur; ſed quod hoc loco nos attinet, in eo poſitum eſt, vt pondus maius rationum quatenus metaphyſicae ſint, animaduertamus. Quomodo, vt hoc vtar, arbor per conſtitutionem mechanicam inteſtinam poſſit ſuccum nutritorium ita formare atque digerere, vt in foliorum oculo vel ſemine aliquid oriatur, quod ſimilem arborem minutam, aut ex quo tamen talis fieri poſſet, contineat, nullo modo poteſt pro cognitionibus noſtris intelligi. Formae internae Buffonii, elementaque materiae organicae, legibus adpetituum formidinumque conuenienter ex mente Maupertuiſii ſeſe coniungentia, vel perinde obſcura ſunt ac res ipſa, vel plane ex arbitrio excogitata. Sed, quamuis eiusmodi doctrinas haud cures, num idcirco opus eſt, vt ipſe aliam inducas pariter arbitrariam, ſcilicet, omnia iſta indiuidua hyperphyſicae originis eſſe, quoniam ortus illorum naturalis nullo modo comprehenditur? An vmquam quispiam facultatem faecium ſui ſimiles procreandi mechanice ad oculos demonſtrauit, et nihilominus idcirco non ad rationem aliquam phyſicam prouocamus.

Cum in hoc caſu origo omnium productorum eiusmodi organicorum, vt prorſus hyperphyſica ſpectetur, tamen putant aliquid relinqui naturali philoſopho, ſi illum in modo propagationis ſucceſſiuae ludere concedant. Sed bene cogites, eo hyperphyſicum

haud minui; ſiue haec generatio hyperphyſica creationis tempore fiat, ſiue pedetentim temporibus diverſis, in poſteriori caſu nihil plus hyperphyſici eſt, quam in ſuperiori; ſiquidem vniuerſum discrimen non ad gradum actionis diuinae proximae redit, ſed ſolummodo ad ſi *quando*. Atque ordo quidem ille naturalis euolutionis haud regula eſt fecunditatis naturae, ſed via ac methodus ambagium inutilium. Eo quippe ne minimus quidem gradus actionis diuinae proximae ſervatur. Idcirco videtur non poſſe euitari, quin aut in quouis coitu formatio fetus proxime actioni diuinae tribuatur, aut primae ordinationi diuinae plantarum atque animalium facultas quaedam concedatur, ſui ſimilia poſthac ex lege quadam naturali non ſolum euolvendi, verum etiam vere procreandi.

Ac praeſens conſilium meum eſt tantummodo, vt doceam, rebus naturae maiorem poſſibilitatem ex legibus generalibus conſecutiones ſuas producendi, quam plerumque fit, concedendam videri.

MEDITATIO QUINTA.

IN QUO INUTILITAS METHODI CONSUETAE PHYSICOTHEOLOGIAE DEMONSTRATUR.

I.

De phyſicotheologia in genere.

Omnes modi exiſtentiae dei ex eius effectis cognoſcendae, ad hosce tres poſſunt reuocari. Aut ad hanc cognitionem per perceptionem accedimus eorum, quibus ordo naturae turbatur eaque potentia proxime notatur, cui natura obnoxia eſt, atque haec perſuaſio *miraculis* gignitur; aut ordine *naturae fortuito*, quem perſpicue intelligimus variis modis aliis fieri potuiſſe,

in quo tamen nihilominus magna ars, potentia et benignitas elucet, ad auctorem diuinum ducimur; aut tertio denique vnitas *neceſſaria* ordoque rerum eſſentialis, magnis perfectionis regulis conſentaneus, verbo id, quod in ordine naturae neceſſarium eſt, ducit ad principium quoddam ſummum non ſolum huius exſiſtentiae, ſed ipſius vniuerſae poſſibilitatis.

Cum homines penitus efferati ſunt, vel oculi eorum malitia pertinaci occluduntur, tum primo via illa vnice videtur aliquam vim iis de exſiſtentia entis ſummi perſuadendi habere. Contra recta contemplatio mentis bene ab natura informatae in tam multa pulcritudine fortuita et coniunctione finali, qualem ordo naturae praebet, argumentorum ſatis videt, ad voluntatem ſumma ſapientia potentiaque ſtipatam inde intelligendam atque ad hanc perſuaſionem, quatenus ad vitam ſanctam idonea, hoc eſt, moraliter certa eſſe debet, notiones intelligentiae vulgares ſufficiunt. Ad tertium, argumentandi genus neceſſario philoſophia opus eſt, atque vnice quoque maior illius gradus aptus eſt, cum perſpicuitate ac firmitate magnitudini veritatis conſentanea, ad eamdem rem perueniendum.

Duo genera poſtrema dici viae poſſunt phyſicotheologicae; ſiquidem vtraque viam monſtrat ex meditationibus de natura ad cognitionem dei adſcendendi.

2.

Commoda et vitia phyſicotheologiae conſuetae.

Criterium praecipuum methodi phyſicotheologicae, huc vsque vſitatae, in eo verſatur: vt perfectio ordoque primo ad rationem eius fortuitam rite comprehendatur, et tum ordo artificioſus ſecundum omnes relationes finales in ea monſtretur, vt inde ad volun-

Digitized by Google

tatem ſapientem ac benignam concludatur, poſtea vero ſimul addita contemplatione magnitudinis operis, notio potentiae immenſae auctoris cum ea coniungatur.

Atque haec methodus egregia eſt: primo, quia perſuaſio perquam adcommodata eſt ſenſibus et proinde viuida et grata, et tamen quoque intelligentiae vulgariſſimae facilis et perſpicua; deinde, quoniam ea naturae conuenientior eſt, quam vlla quaedam alia, proptera quod ſine dubio quisque ab ea primum inſtituit; tertio, quia ea notionem maxime euidentem de ſumma ſapientia, prouidentiaque vel etiam potentia naturae omnium veneratione digniſſimae ſuppeditat, quae animum penetrat, ſummamque vim habet, et admirationis, et modeſtiae, et obſeruantiae excitandae. *) Hoc argumenti genus ad faciendum agendumque plus confert, quam vllum aliud vel reſpectu ipſius philoſophi. Quamquam enim in mente ſua contemplante vel inueſtigante hic non ideam definitam abſtractamque dei inuenit, ipſaque firmitas non mathematica eſt, ſed moralis, tamen tot argumenta, quorum quodque ſummam vim habet, animum occupant, contemplatioque ſequitur placida cum certa quadam fiducia perſuaſionem, quae iam locum occupauit. Aegre quispiam vniuerſam felicitatem ſuam in adrogata veritate argumenti metaphyſici poſuerit, praeſertim perſuaſionibus viuis ſenſum mouentibus illi aduerſan-

*) Cum inprimis obſeruationes microſcopicas Hillii, quae in promtuario Hamburgenſi leguntur, contemplor, copioſaque animalium genera in vna guttula aquae conſpicio, genera rapacia, inſtrumentis perniciei ornata, quae a tyrannis potentioribus huius mundi aquei euertuntur, tum alia inſectari conantur; cum artes dolosque, vim et ſcenam tumultus in guttula materiae conſpicio, et inde oculos in altum tollo, vt ſpatium immenſum mundis velut atomis ſcatentem videam; tum nulla lingua humana poteſt ſenſum exprimere, quem talis cogitatio excitat, omnisque analyſis metaphyſica ſubtilis maxime ſublimitati cedit dignitatique eiusmodi ſpectaculo ;propriae.

tibus. Verum vis perſuaſionis, quae inde enaſcitur, propterea quod ſenſibus adeo adcommodata eſt, etiam tam conſtans eſt atque immobilis, vt nullum metuat periculum argumentationum diſtinctionumque, maximeque vim ſpernat obiectionum argutarum. Nihilominus huiusce methodi vitia ſunt ſatis magna, quamquam proprie ſolum rationi eorum attribuenda ſunt, qui illa vſi ſunt.

1. Omnem ea perfectionem concentumque et pulcritudinem naturae ſpectat vt fortuitam, vtque conſtitutionem per ſapientiam; cum tamen earum multae cum vnitate neceſſaria ex regulis naturae eſſentialibus promanent. Id, quod fini phyſicotheologiae in eo perniciosiſſimum eſt, conſiſtit in eo, quod hanc rationem fortuitam perfectionis phyſicae vt ſumme neceſſariam ad argumentum auctoris ſapientis reputat, vnde omnes conuenientiae rerum mundi neceſſariae hoc poſito obiectiones periculoſae euadunt.

Vt nobis de hoc vitio perſuadeamus, haec animadvertenda videntur. Videmus, quantoper ſcriptores ex hac methodo ſtudeant, producta regn. et vegetabilis et animalis ſcopis innumeris abundantia non ſolum potentiae caſus fortuiti, verum etiam neceſſitati mechanicae ex legibus generalibus naturae corporeae eripere. In quo quidem ii ne minimum laborare poſſunt. Momentum rationum ab eorum parte nimium certum eſt. Sed cum ab natura organica ſeſe ad inorganicam vertunt, tum etiamnum in eadem methodo perſeuerant; verum ibi fere ſemper ſeſe permutatam rerum naturam vident difficultatibus illaqueatos, quas nequeunt vitare. Etiamnum de coniunctione tot proprietatum atmoſphaerae vtilium per magnam ſapientiam facta, de nubibus, de pluuia, de ventis, de crepuſculo et id genus aliis loquuntur, quaſi proprietas, qua aër ad gignendos ventus aptus eſt, cum ea, qua vapores attrahit, aut qua in magna altitudine rareſcit, pariter per ſapientem delectum coniuncta

eſſet, vti fere in aranea oculi varii, quibus praedae inſidiatur, cum verrucis e quibus aranearum ſericum vt per foramina trahitur, cum vnguibus ſubtilibus pedum, quibus fila conglutinat aut iis innititur, in animali coniunguntur. In hoc poſteriori caſu vnitas in vniuerſis vtilitatibus coniunctis (quippe in qua perfectio cernitur,) manifeſto fortuita eſt, arbitriaque cuidam ſapienti attribuenda, cum ea e contrario in ſuperiori caſu neceſſaria ſit; et ſi vna modo vtilitas ex dictis illis aëri tribuitur, altera nullo modo poteſt ab ea ſeparari. Eo ipſo, quod nullus alius perfectionem naturae diiudicandi modus conceditur, quam per conſtitutionem ſapientiae, vnaquaeque vnitas dilatata, quatenus manifeſto vt neceſſaria agnoſcitur, pernicioſa obiectio videbitur. Mox videbimus, ſecundum noſtram methodum nihilominus ex vnitate eiusmodi etiam ad ſapientiam diuinam concludi, non vero ſic, vt a delectu ſapiente tamquam cauſſa, ſed a tali ratione in natura ſuprema deriuetur, quae eadem ratio magnae in illa ſapientiae ſit, oporteat, proinde ſane quidem ab natura ſapiente, non vero per eius ſapientiam.

2. Haec methodus non ſatis philoſophica eſt, ſaepiusque propagationi cognitionis philoſophicae admodum offecit. Simulatque conſtitutio aliqua phyſica vtilis eſt, plerumque ea proxime ex fine conſilioque voluntatis diuinae, vel certe per ordinem arte conſtitutum explicatur; vel, quia ſemel eam animo ſententiam imbiberis, vt effecta naturae, legibus eius generaliſſimis conuenienter eiusmodi non poſſent ad conuenientias redire, vel, ſi conceſſeris, eorum etiam tales conſecutiones eſſe, hoc foret perfectionem mundi caſui caeco cuidam fortuito tribuere, quo quidem auctor diuinus maxime ignoraretur. Idcirco in tali cauſſa inueſtigationi phyſicae carceres ſtatuuntur. Ratio lubenter inueſtigationem vlteriorem mittit, quoniam eam hoc loco pro intemperantia accipit, opinioque praeiudicata eo periculoſior eſt, quoniam

Digitized by Google

ignauo principatum tribuit prae ſcrutatore indefeſſo per praetextum pietatis ſubiectionisque meritae ſub auctorem magnum, in cuius cognitione omnis ſapientia, neceſſe eſt, coniungatur. Narrantur vtilitates montium innumerae, quarum ſat multis, in iisque talibus, quibus genus humanum haud carere poteſt, congeſtis, iure credunt eas pro conſtitutione diuina proxima haberi. Eas enim vt conſecutionem ex legibus motus generalibus ſpectare, (quia has minime ſuſpicantur ad conſecutiones pulcras atque vtiles adfectas eſſe, niſi forte caſu ſit,) ex eorum ſententia idem foret, atque commodum humani generis eſſentiale ex caſu caeco pendente facere. Pariter cum contemplatione fluminum telluris comparatum videtur. Cum ſcriptores audimus phyſicotheologicos, cogimur cogitare, alueos illorum vniuerſos eſſe ab deo excauatos. Neque philoſophari dicitur, cum, quemque montem ſingularem, aut quodque flumen ſingulare vt peculiarem dei finem contemplantes, qui ex legibus generalibus non impetratus fuerit, cum, inquam, dum ea adiumenta excogitamus, quorum peculiari miniſterio fortaſſe deus vſus fuerit, ad haec effecta ſingularia producenda. Ex iis enim, quae meditatione tertia huius ſectionis disputata ſunt, tamen eiusmodi productum eatenus ſemper naturae vires ſuperat, quin, quoniam illud non poteſt ex ordine naturae explicari, (ſiquidem tantummodo vt euentum ſingulare per conſtitutiones peculiares ortum eſt), eiusmodi iudicandi ratio in cogitatione peruerſa nititur de principatu naturae per ſe ipſius, etiamſi vi foret ad caſum quemdam ſingularem dirigenda, id quod, quantum intelligimus, vt adiumentum ambagium, non vero vt ratio ſapientiae poteſt conſiderari. *) Cum Newtonus argumen-

*) Optandum eſſet, vt in eiusmodi caſibus, vbi reuelatio narrat, euentum quoddam coſmicum in decreto diuino extraordinario cerni, intemperantia philoſophorum notitias phyſicas ſuas exponendi temperetur; neque enim quidpiam religioni proſunt, nec niſi dubium reddunt, anne euentum omni in caſu naturali verſetur; velut ibi, vbi exſtinctionem

tis certiſſimis ſibi perſuaſiſſet, corpora terraquea ea figura gaudere, in qua omnes grauitatis directiones per vibrationem mutatae ad perpendiculum ferantur, concluſit: terram initio fuiſſe fluidam, ex legibusque ſtatices per conuerſionem hanc ipſam figuram induiſſe. Perinde is ac quispiam alius commoditates nouit in rotunditate globoſa corporis coſmici ſitas etiamque explanationem neceſſariam, vt conſequentiis rotationis axeos pernicioſis caueri poſſit. Quae cuncta conſtitutiones ſunt, auctore ſapienti dignae. Nihilominus non dubitauit eas legibus mechanicis maxime neceſſariis vt effectum tribuere, neque veritus eſt, ne ſummum rerum omnium moderatorem ex oculos amitteret.

Igitur certo quoque ſuſpicandum eſt, eum numquam reſpectu ſtructurae planetarum, earumque circumuectionis et poſitus orbium illorum, proxime ad conſtructionem diuinam confugiſſe, niſi iudicaſſet: hic originem mechanicam eſſe non poſſe, non propter inſufficientiam illius ad conuenientiam atque ordinem generatim (cur enim hanc inutilitatem in caſu prius dicto haud veritus eſt?), ſed quoniam ſpatia caeli vacua ſunt, nullaque communio effectorum planetarum inter ſe inuicem, orbes conſtituendi in hoc ſtatu fieri poteſt. Interim ſi eius animum ſubiiſſet quaerere: an ea ſemper vacua fuerint, et anne certe in ſtatu primo omnium, cum iſta ſpatia fortaſſe in contextu repleta erant, illud effectum fieri potuerit, cuius conſequentiae ab eo inde tempore manſerunt, ſi de hac conditione vetuſtiſſima ſuſpicionem veram aluiſſet, certus eſſe poteris, eum modo philoſophiae conſentaneo in legibus mechanicis generalibus rationes conditionis aedificii coſmici quaeſiturum fuiſſe, neque propterea

exercitus Sanheribo ducc vento Samyeli tribuunt. In quo quidem philoſophia plerumque in discrimen vocatur, cum, velut in doctrina Whiſtoniana, notitia cometarum aſtronomica ad interpretandam ſcripturam ſacram adhibetur.

veritum, ne hac explicatione origo mundi ex manu creatoris potentiae casus fortuiti traderetur. Illustre Newtoni exemplum proinde non debet fiduciae ignauae praetextui esse, prouocationem festinatam ad constitutionem diuinam proximam pro explicatione ad gustum philosophicum vendere.

Omnino quidem constitutionum naturae innumerarum, cum ex legibus generalissimis etiam nunc fortuitae sunt, nulla ratio alia est, quam consilium sapiens illius, qui voluit, vt sic nec aliter coniungi deberent. Verum non vice versa concludi potest: vbi coniunctio naturalis cum eo conspirat, quod electioni sapienti conuenit, ibi ea etiam ex legibus efficiendi generalibus naturae fortuita est, et compositione artificiosa extraordinarie stabilita. In hoc cogitandi modo saepenumero potest accidere, vt fines legum, quos nobis cogitatione fingimus, falsi sint, actum praeter hunc errorem etiam hoc detrimenti capimus, vt causis efficientibus praetermissis proxime cum fine tantum fictitio eas comparauerimus. Süssmilchius quondam putauerat, rationem, cur plures pueri quam puellae nascantur, in hoc prouidentiae fine inueniri, vt per numerum maiorem masculorum iactura resarciatur virorum, bello periculosioribusque commercii generibus perditorum. Verum obseruationibus serioribus idem vir diligentissimus ac prudentissimus edoctus est, numerum maiorem puerulorum annis infantiae per mortem absorberi, minoremque masculorum numerum, quam feminarum ad annos peruenire, vbi caussae ante dictae demum rationes iacturae possint continere. Caussae sunt cur credas, hanc rem notabilem casum esse, qui regulae subsit multo generaliori, scilicet, partem generum hominum robustiorem etiam maiorem contagionem habere cum actione procreandi, vt in productis vtrisque suam ipsius speciem potiorem efficiat, contra ea vero, quia plus postulatur, vt quidpiam, quod initia habet perfectionis maioris, etiam in efformatione omnes ad eam adsequendam

Digitized by Google

neceſſarias conditiones inueniat, maiorem numerum eorum, quae minus perfecti generis ſunt, gradum perfectionis adſecuturum eſſe, quam earum, ad quarum perfectionem maior concurſus rationum poſtulatur. Vtcumque autem cum hac regula comparatum ſit, certe ea in re moneri poteſt: cognitioni philoſophicae amplificandae obeſſe, ſi ad rationes morales, hoc eſt, illuſtrationem ex finibus nos conuertamus, vbi adhuc exſpectari poteſt, fore, vt rationibus phyſicis per coniunctionem cum legibus generalioribus neceſſariis conſecutionem definiamus.

3. Atque haec methodus non niſi eo ſeruire poteſt, vt auctorem coniunctionum compoſitionumque mundi artificioſiſſimarum, non vero materiae originemque partium vniuerſi huius elementarium probemus. Quod vitium magnum omnes eos, neceſſe eſt, qui illa vtuntur, discrimini relinquat illius erroris, quem dicunt atheiſmum ſubtiliorem, et ſecundum quem deus ſenſu proprio vt architectus non vero vt conditor mundi, qui materiam ordinarit ac formauerit, non vero produxerit atque creauerit, conſideretur. Cum hanc imperfectionem meditatione proxima contemplaturus ſim, ſufficit eam hic tantum attigiſſe.

Caeterum illa methodus ſemper vna manet earum, quae cum dignitati tum vero etiam imbecillitati intelligentiae humanae plurimum conſentaneae videntur. Reapſe ordinationes in natura ſunt innumerae, quarum ratio proxima ſcopus auctoris illarum eſſe cogitur, ſi eas conſtitutiones perpendas, quae ſapientiae illius proxime ſunt obnoxiae. Vnde aequum eſt, vt labores noſtros potius ad eas ſupplendas, quam humectandas impendamus, et vitia illarum emendemus potius quam idcirco parui faciamus. Meditatio ſequens in hoc conſilio occupabitur.

MEDITATIO SEXTA.

METHODUS PHYSICOTHEOLOGIAE EMENDATA.

I.

Ordo et conuenientia, etſi neceſſaria eſt, auctorem denotat intelligentia praeditum.

Nihil cogitationi de diuino huius vniuerſi auctore pernicioſius rationique ſimul conuenientius, quam ſi id agas, vt regulam magnam ac fecundam conuenientiae vtilitatisque et concentus caſui fortuito attribuas; cuiusmodi clinamen atomorum in diſciplina Democriti atque Epicuri fuit. Nolo abſurditate ſtudioſaque occaecatione huiusque ſentiendi rationis taxanda immorari, cum ea ſatis ſit ab aliis demonſtrata. Hoc tantum contra monebo: neceſſitatem perceptam in relatione rerum ad coniunctiones conuenientes, contextumque legum vtilium cum vnitate neceſſaria perinde atque conſtitutionem maxime fortuitam maximeque arbitrariam argumento eſſe auctoris ſapientis; quamquam dependentia in eo hoc reſpectu alio modo proponenda eſt. Quod vt rite perſpiciatur, moneo: ordine et multiplici concentu ſalutari omnino auctorem intelligentem deſignari, antequam cogitaueris, vtrum haec adfectio rebus neceſſaria ſit an fortuita. Ex iudiciis intelligentiae ſanae communis ſucceſſionis mutationum coſmicarum, ſiue illa coniunctio, cuius loco fieri alia poterat, quamquam manifeſtum rationis fortuitae argumentum ſuppeditat, parum anſae praebet intelligentiae auctoris cuiuspiam ſuſpicandi. Quo quidem philoſophia opus eſt, ipſeque illius vſus hoc in caſu perplexus eſt et lubricus. Contra magna conuenientia atque εὐρηθμία in concentu multarum vocum mirationem excitat, et ipſa communis ratio eam non poteſt ſine auctore intelligente vmquam poſſibilem iudicare. Res ipſae neceſſariae ſint ſiue fortuitae, vna

Digitized by Go

conuenientiae regula iam eſſentialiter in altera ſita fuerit, aut ex arbitrio cum ea coniuncta, recta fieri non poſſe iudicamus, vt ordo et conuenientia aut caſu aut etiam in multis rebus, quarum exſiſtentia diuerſa eſt, ita ſponte locum habeat; numquam enim concentus amplus ſine ratione quadam intelligente quoad poſſibilitatem idonee datus videtur. Ac ſtatim magnum earum discrimen adparet in modo, quo perfectionem quoad illius originem diiudicare debeamus.

4.

Ordo naturae neceſſarius ipſe auctorem denotat materiae ſic ordinatae.

Ordo in natura, quatenus vt fortuitus atque ex arbitrio entis cuiuspiam intelligentis oriundus ſpectatur, nullo omnino argumento eſt, etiam res naturae, tali ordine ſecundum ſapientiam coniunctas, ipſas ab hoc auctore exſiſtentiam ſuam habere. Nam tantummodo haec coniunctio ita comparata eſt, vt formam delineationemque intelligentem ſupponat; vnde etiam Ariſtoteles multique veterum philoſophi alii non materiam naturae, ſed modo formam a deo deriuarunt. Fortaſſe modo ab eo inde tempore, quo nos reuelatio perfectam mundi ab deo dependentiam docuit, demum quoque philoſophia iuſtam operam impendit, vt originem rerum ipſarum, quibus rudis naturae materia efficitur, vt tale quidpiam ſpectaret, quod fieri ſine auctore nequeat. Dubito, an cuipiam in ea re ſucceſſerit, atque in ſectione vltima ſententiae meae rationes adferam. Certe quidem ordo partium mundi fortuitus, quatenus is originem ex arbitrio indicat, nihil quidquam ad iſtud probandum poteſt conferre. Veluti in ſtructura beſtiae membra ſunt artusque perceptionis ſenſitiuae cum membris motus arbitrarii partiumque vitalium tam artificioſe coniuncta, vt malitioſus ſis, (neque enim adeo ab ratione auerſus vllus

homo esse potest,) simulatque eo ducare, si auctorem sapientem ignores, qui materiam ex qua corpus animale compositum est, in ordinem tam eximium redegit. Plus inde nullo modo sequitur. Vtrum haec materia per se aeterna sit ac libera, an quoque ab eodem auctore procreata sit, id quidem in eo neutiquam diiudicatum videtur. Longe vero aliter iudicabis, si animaduerteris, non omnem perfectionem physicam artificiosam esse, sed regulas magnae vtilitatis etiam cum vnitate necessaria coniunctas videri, eamque coniunctionem in ipsis rerum possibilitatibus inesse. Ecquid his animaduersis iudicandum est? Num haec vnitas, haec conuenientia fecunda esse potest sine dependentia ab auctore sapiente? Forma tantae tamque multiplicis conuenientiae istud prohibet. Interim quoniam haec vnitas nihilominus ipsa in possibilitatibus rerum fundata est, ens sapiens sit, necesse est, sine quo omnes illae res physicae ipsae esse nequeant; atque in quo vt ratione magna essentiae multarum rerum naturalium ad effectiones adeo conuenientes coniungantur. Tum vero planum est, non solum coniunctionis modum verum res ipsas non nisi per ens illud esse posse, hoc est, non posse nisi vt effectu illius exstare, id quod totam naturae ab deo dependentiam satis demum cognoscendam exhibet. Quodsi ergo interroges, quomodo istae naturae a tali ente pendent, vt concentum queam cum regulis sapientiae inde intelligere? tum equidem respondeo: ex eo in ente illo pendent, quod, dum rationem in se cohibet rerum possibilitatis, etiam ratio est suae ipsius sapientiae; hac enim illa omnino supponitur. *)

*) Sapientia supponit, vt fieri concentus queat atque vnitas in relationibus. Illud ens, cuius natura ab omni contagione vacua est, tantummodo sapiens esse potest, quatenus in eo rationes ipsius eiusmodi concentus possibilis perfectionumque continentur, quae illi sese efficiendas praebent. Quodsi in possibilitatibus rerum nulla talis esset adfectio ad ordinem perfectionemque, sapientia in figmentis foret. Sin vero haec possibilitas in ipso ente sapiente haud fundata esset, haec sapientia numquam posset omni respectu libera videri.

Digitized by Google

In hac vero rationis vnitate, cum eſſentiae rerum omnium, tum ſapientiae benignitatisque et potentiae, neceſſe eſt, vt omnis poſſibilitas cum hisce proprietatibus conſentiat.

3.

Regulae methodi emendatae phyſicotheologiae.

Has regulas ſic breuiter comprehendam. Per fiduciam fecunditatis legum naturalium generalium, propter dependentiam illarum ab natura diuina, ductus, quaeras

1. cauſſam, ipſarum conſtitutionum vtiliſſimarum, in eiusmodi legibus generalibus, quae ad vnitatem neceſſariam, praeter conſecutiones alias conſentaneas, etiam ad productionem horum effectorum adfectae ſunt.

2. Notes neceſſitatem in hac coniunctione variarum vtilitatum in ratione quadam, quoniam cum modus inde ad dependentiam a deo concludendi, ab eo abhorret, cui proprie vnitas artificioſa atque electa propoſita eſt, tum quoque vt euentus ex legibus perpetuis ac neceſſariis a caſu fortuito diſtinguatur.

3. Ne non ſolum in natura inorganica, verum etiam organica, vnitatem exſpectes neceſſariam maiorem, quam quae recta in oculos incurrit. Namque in ipſa ſtructura animalis ſuſpicandum eſt vnius cuiuspiam initii vtilitatem fecundam fore multarum conſecutionum ſalutarium, ad quas initio varium ſingularem adparatum neceſſarium duxerimus. Atque haec attentio cum philoſophia admodum conuenit, tum quoque conſecutioni phyſicotheologicae vtilis eſt.

4. Vtaris ordine aperte artificioſo, vt inde ad ſapientiam auctoris vt rationis cuiusdam, ſed vnitate eſſentiali ac neceſſaria in legibus phyſicis, vt inde ad ens ſapiens tamquam rationem aliquam, non vero

per ſapientiam eius, vel ope illius in eo, quod cum ea conſpirare oportet, concludas.

5. Ex coniunctionibus mundi fortuitis concludas ad auctorem modi, quo hoc vniuerſum compoſitum eſt, ab vnitate vero *neceſſaria* ad idem ens vt auctorem vel materiae et elementorum omnium rerum naturalium.

6. Atque hanc methodum amplifices per regulas generales, quibus rationes conuenientiae eorum, quae mechanice vel etiam geometrice neceſſaria ſunt, cum optimo totius poſſunt doceri, neque negligas ipſas ſpatii proprietates hoc reſpectu perpendere atque ex vnitate in magna illa varietate illius eamdem notionem primariam illuſtrare.

4.

Illuſtratio harum regularum.

Quaedam exempla proferam ad methodum dictam vberius explicandam. Montes terrae in conſtitutionibus illius vtiliſſimis ſunt, et *Burnetus*, qui eos nihil meliores putat vaſtatione fera loco poenae noſtrorum peccatorum, ſine dubio errat. Secundum methodum phyſicotheologiae conſuetam vtilitates longe patentes horum tractuum montium recenſentur, ac deinceps pro inſtituto diuino ex ſapientia magna ob vtilitates tam multipliciter ſpectatas accipiuntur. Tali iudicandi modo ad ſententiam adducimur, legibus generalibus, ſine peculiari ad hunc caſum adplicatione artificioſa talem figuram ſuperficiei terrae non effectam eſſe, priuatioque ad voluntatem omnipotentem rationi ſcrutanti ſilentium imperat verecundum. Contra ea vero ex mente melius edocta, vtilitas pulcritudoque iſtius inſtituti naturalis nulla prorſus ratio eſt, leges effectionis generales ac ſimplices materiae praetereundi, ne ea conſtitutio vt conſecutio illius ſecundaria conſideretur. Fortaſſe difficilius diſceptandum foret, anne

Digitized by Google

figura terrae globoſa omnino vtilitates maiores habeat conſecutionesque grauiores, quam illas inaequalitates, quibus fit, vt ſuperficies illius ab hac rotunditate definita abhorreat. Nihilominus nemo philoſophorum vllo modo dubitat, eos vt effectum ſpectare legum ſtaticarum generaliſſimarum tempore mundi vetuſtiſſimo. Cur inaequalitates atque eminentiae haud etiam debeant ad talia effecta naturalia et ſimplicia pertinere? Videtur, in vnoquoque magno corpore cosmico ſtatum, cum ex liquido in ſolidum paullatim transiret, maxime neceſſario cum generatione amplarum cavernarum coniunctum eſſe, quae ſub cortice eius iam durato inueniri debent, ſi materiae leuiſſimae molis eius intus adhuc liquidae, in quibus etiam aër eſt, ſeparatione ſucceſſiua in his adſcendunt, et, cum ſpatioſitas proportionem debeant ad magnitudinem mundi coſmici ſeruare, ruinas fornicum firmorum pariter tam late patere. Ipſa conuenientiae ſpecies quaedam, certe ſeries iſtarum inaequalitatum catenata, in eiusmodi gignendi modo non aliena debet atque inopinata videri. Namque nouimus adſcenſum materiarum leuium in magna mixtura alicubi contagione cum eodem motu in partibus mixturae vicinis teneri. In hac explicandi ratione haud diu moror; prout mihi hoc loco non propoſitum eſt, vt vllam profitear, ſed modo paruam illuſtrationem methodi iudicandi per eam proponam.

Vniuerſa terra continens telluris cum alueis fluminum quaſi ſulcis perquam vtiliter peragrata eſt. Sunt vero etiam tot inaequalitates vallesque et regiones depreſſae in omni continente terra: vt primo quaſi adſpectu neceſſe videatur, vt canales, in quibus illorum aquae fluunt, peculiariter, oporteat, conſtructi ſint et conſtituti, niſi, pro inaequalitate vniuerſi ſoli reliqui, aquae ex locis editis decurrentes longe lateque euagari, multas planities inundare, in vallibus lacus efficere terramque potius feram atque inutilem quam pulcram beneque conſtitutam reddere cogerentur. Ecquis in eo magnam ſpeciem neceſſa-

riae cuiusdam conſtitutionis extraordinariae animadvertit? Interim omni inueſtigationi phyſicae ſuper cauſſa fluminum ſumta conſtitutione hyperphyſica finis imponeretur. Quia e contrario hac ſpecie ordinis memet non patior turbari, neque continuo cauſſam illius extra carceres legum mechanicarum generalium exſpecto, ſequor obſeruationem, vt inde aliquid ad geneſin horum fluminum intelligam. Animaduerto, multos fluminum alueos etiamnum efformari, eorumque ripas augeri, donec terra circum iacens haud amplius tantopere vt quondam inundetur. Certus fio, omnia flumina olim reapſe ſic euagata eſſe, vti nosmet metuimus, ne ſine conſtitutione extraordinaria futurum foret, atque inde intelligo, nullam eiusmodi conſtitutionem extraordinariam vmquam factam eſſe. Fluuius Amazonum per tractum aliquod centum milliarium manifeſta exhibet veſtigia, ſe olim alueum haud circumſcriptum habuiſſe, verum longe lateque terram inundaſſe; terra enim in vtraque parte vsque ad diſtantias magnas plana eſt inſtar lacus conſtatque ex limo fluuiatili vbi lapillus vulgaris pariter rarus atque adamas. Idem invenitur in flumine Miſſiſippi. Atque omnino Nilus aliaque flumina planum faciunt, hos canales tempore multo longius productos eſſe, ibique, vbi fluminis oſtium eſſe videbatur, quoniam prope ad mare ſuper ſolo plano ſeſe expandit, pedetentim alueum abſoluit fluitque vlterius in alueo longius pertracto. Tum autem, poſteaquam per experientias commonefactus ſum, vniuerſam cenſeo mechanicen de formandis alueis fluminum omnium ad has poſſe rationes ſimplices reuocari. Aqua ſcaturiens vel pluuialis de locis editis decurrens initio manauit verſus decliuitatem ſoli ſine ordine, multos valles repleuit et ſeſe in multas regiones planas diffudit. Sed in eo tractu, vbi fortaſſe curſus aquae velociſſimus erat, ob celeritatem non poterat tam facile ſe limo liberare, quem e contrario in vtraque parte copioſiorem eiecit. Quo quidem ripae auctae ſunt, interea dum curſus aquae

Digitized by Google

denſiſſimus alueum ſeruaret. Tempore, adfluentia aquae imminuta (quod ſucceſſu temporis tandem fieri neceſſe erat, ob cauſſas hiſtoriarum peritis haud ignotas) flumen eas ripas non amplius migrauit, quas ſibi ipſum conſtruxerat, atque ex perturbatione fera orta eſt conuenientia ordoque. Manifeſto intelligitur, iſtud ad hoc ipſum tempus, in primis in oſtiis fluminum, partibus illorum recentiſſimis, euenire, et quemadmodum ad hanc formam deſcriptionemque eiectionem limi prope ad loca, vbi flumen initio nouas ripas transgreſſum eſt, frequentius quam remotiori in loco fieri neceſſe erat, ſic etiamnum animaduertimus reapſe multis in locis, vbi flumen per regiones planas voluitur, alueum eius editiorem eſſe, terris planis circumiacentibus.

Sunt certae quaedam regulae generales, ſecundum quas effecta natura eueniunt, et quae in relatione legum mechanicarum ad ordinem et conuenientiam aliquantum lucis adferre poſſunt, quarum vna haec eſt: vires motus reactionisque tam diu in ſeſe inuicem agunt, donec ſibi minimum impedimentum praeſtent. Ratione huiusce legis facillime poſſunt intelligi; ſed relatio, quae conſecutionibus illius ad ordinem eſt atque vtilitatem mirabiliter ampla magnaque videtur. Cuius quidem naturae epicyclois eſt, incuratio algebraica, dentes et machinas ad eam rotundatos frictionem, quae eſſe poſſit, minimam in ſe inuicem experiri. Celeberrimus *Karſtnerus* alicubi mentionem facit, ſibi a viro rerum metallicarum perito in machinis longo vſu tritis oſtenſum eſſe, reapſe hanc figuram diuturnu vſu deteri; cui figurae conſtructio ſatis complicata fundamento ſubeſt, et quae praeter vniuerſam conuenientiam ſuam conſecutio eſt cuiusdam legis naturae vulgaris.

Vt aliquid ex effectis phyſicis triuialibus adferam, quod, dum eidem legi dictae ſubeſt, propterea momentum in ſe habet quoddam conuenientiae, vnum ex fluminum effectis nominabo. Ob magnas diuerſitates decliuitatis omnium regionum terrae

continentis valde exſpectandum eſt, flumina, in hac decliuitate manantia, paſſim praecipitia delapſus et cataractas habitura fore, quarum etiam reapſe nonnullae etſi raro inueniuntur, magnamque inconuenientiam incommoditatemque continent. Verum facile incurrit in oculos: quamquam (vti exſpectari poteſt) in ſtatu primo efferato, eiusmodi cataractae fuerunt frequentes, tamen vi delapſus terram mollem, quin quaedam rupium genera nondum ſatis durata infiſſa atque abluta eſſe, donec flumen alueum ad decliuitatem ſatis aequabilem vergiſſet, vnde vbi etiam nunc cataractae ſunt, fundus lapidoſus eſt, in permultisque regionibus flumen intra duas ripas ardue praeſectas decurrit, intra quas alueum profunde ſitum ſine dubio ipſum infodit. Perquam vtile putatur, omnia propemodum flumina in maxima curſus ſui parte certum quemdam celeritatis gradum haud transgredi, qui ſatis eſt mediocris, et quo fit vt queant nauigari. Quod quamquam initio ab decliuitate fundi tantopere diuerſa, in qua fluunt, vix ſolum ſine peculiari arte exſpectari poſſet, tamen facile licet ſuſpicari, tempore certum quemdam celeritatis gradum ſponte inueniri oportuiſſe, quem haud facile potuerit ſuperare, vtcumque decliue ſit ac praeceps terrae ſolum, ſi modo molle videatur. Namque illud tam diu abluent et penetrabunt alueumque in nonnullis locis depriment, in aliis tollent, donec, quod a fundo cum creſcunt, abripiunt, ei, quod temporibus motus tardioris eiiciunt, ſatis aequale ſit. Vis hic tam diu agit, donec ſe ipſam ad gradum temperatiorem adduxerit, et donec commercium adpulſus et reactionis factum aequale fuerit.

Natura exempla praebet innumera vtilitatis amplae vnius eiusdemque rei ad vſum multiplicem. Perquam peruerſe agunt, qui haec commoda ſtatim vt fines, vtque eos euentus ſpectant, quibus momenta contineantur, cur cauſſae illorum arbitrio diuino in mundo inſtitutae ſint. In aliis commodis luna et hoc habet, quod fluxu et refluxu maris naues etiam

Digitized by Google

aduerſus ventos vel ſine illis ope fluminum in viis et prope ad terram continentem mouentur. Ope illius ſatellitumque Iouis longitudo maris aperitur. Productorum ex omnibus naturae regnis quodque perquam vtile eſt, quorum quaedam etiam ad vſum adhibentur. Peruerſus iudicandi modus eſt, cum, vti plerumque fit, haec omnia ad momenta referuntur electionis diuinae, et propter commodum lunarum Iouis ad ſapientem auctoris conſtitutionem provocatur, quae hominibus eo inſtrumentum licitum longitudinis definiendae voluerit ſuppeditare. Caueas, ne cauillationem Voltarii iure in te conuertas, qui ſimili oratione vtitur: videte cauſſam, cur naribus vtamur, ſine dubio vt perſpicilla queamus in iis infigere. Per arbitrium diuinum non ratio idonea adfertur, quare eadem inſtrumenta, quibus ad aliquem finem impetrandum ſolum opus eſſet, praeterea quoque multo reſpectu alio vtilia ſint. Illa mira communio, quae in eſſentia omnium rerum creatarum obtinet, quod natura illarum inuicem iis haud aliena eſt, verum vario concentu coniuncta ſibi inuicem ipſae aptae ſunt, coniunctionemque neceſſariam ampliſſimam ad vniuerſam perfectionem in eſſentia ſua continent, ratio eſt vtilitatum tam variarum, quae ſecundum methodum noſtram vt argumenta poſſunt auctoris cuiusdam ſapientiſſimi, non vero in omnibus caſibus vt conſtitutiones per ſingularem ſapientiam cum caeteris ob ſingulares vtilitates ſecundarias coniunctae haberi. Sine dubio momenta, quare Iupiter lunas habere debeat, plena ſunt, etſi numquam inuentis teleſcopiis illae ad definiendam longitudinem adhiberentur. Atque iſtae vtilitates, quae vt conſecutiones ſecundariae ſpectandae ſunt, nihilominus ſub contemplationem cadunt, vt inde magnitudo immenſa auctoris omnium rerum intelligatur. Sunt enim, praeter millena millia alia ſimilis generis argumenta magnae catenae, quae in ipſis rerum poſſibilitatibus creationis partes coniungit, quae nulla inter ſe inuicem contagione teneri viden-

tur; alias enim quoque non ſemper vtilitates, quae euentum ſequuntur inſtituti ſpontanei, et quas auctor nouit, in ſuoque decreto comprehendit, idcirco ad momenta eiusmodi optionis poſſunt accenſeri, ſi haec ſcilicet etiam nulla eiusmodi conſecutionum ſecundariarum reſpectu habito iam plena erant. Sine dubio natura aquae non eo conſilio ad amuſſim fertur, vt in te quaſi in ſpeculo poſſis intueri. Eiusmodi vtilitates obſeruatae, ſi ratione iudicari velis, pro methodo phyſicotheologiae circumſcripta, quae in vſu eſt, nullo modo poſſunt ad id conſilium, quod hic ſpectatur, vſurpari; tantummodo, quod illi adiecimus, eiusmodi obſeruationes collectas poteſt ad rationes conſecutionis grauis ad ſubordinationem omnium rerum generalem ſub ente ſumme ſapiente aptas reddere. Dilatetis conſilia veſtra, quantum poteritis, per vtilitates immenſas, quas res creata reſpectu innumero certe quoad poſſibilitatem praebet (vna arbor coci Indis adfert innumeras) coniungatis in eiusmodi reſpectibus membra creationis remotiſſima. Producta inſtitutorum artificioſorum proximorum decenter admirati, etiam in adſpectu oblectante relationis fecundae, quibus poſſibilitates rerum creatarum ad concentum perpetuum adfectae ſunt, atque in ſucceſſione ſimplici pulcritudinis tum variae ſponte ſe obiicientis eam potentiam et admiremini et adoretis in cuius fonte primo aeterno eſſentiae rerum ad formam eximiam quaſi pacatae propoſitae ſunt.

In praetereundo moneo, proportionem magnam reciprocam, quae in rebus mundi reſpectu occaſionis frequentis, quam praebent, ſimilitudinum comparationum ſeu analogiarum, parallelorumque et ſimilium, oculo haud fugitiuo illuſtranda videtur. Ne in vſu quem iſtud ad luſus ingenii habet, quique plerumque tantum fictitius eſt, immorer, ea in re res, vt opinor, meditationi philoſophi ſubiecta, latet, quomodo eiusmodi conuenientia rerum maxime diuerſarum in certa quadam ratione ſimilitudinis tanta tamque ampla et tamen ſimul tam adcurata eſſe poſſit.

Digitized by Google

Hae anologiae quoque adiumenta ſunt cognitionis noſtrae ſumme neceſſaria, quorum nonnulla ipſa matheſis ſuppeditat. Abstineo ab exemplis; ſiquidem verendum eſt, ne pro ratione diuerſa, qua eiusmodi ſimilitudines ſenſu percipiuntur, eadem illarum vis in quauis intelligentia alia fuerit, cogitatioque a memet hoc loco inſerta praeterea inchoata eſt atque imperfecta neç ſatis perſpicua.

Quodſi quaeratur, quinam vſus fieri poſſit vnitatis magnae in relationibus variis ſpatii, quod geometra inueſtigat, ſuſpicor, notionibus generalibus de vnitate rerum matheſi propoſitarum etiam rationes vnitatis perfectionisque in natura poſſent ad cognoſcendum proponi. Sic in omnibus figuris figura orbicularis ea eſt, in qua ipſa circuitus ſpatium, quod eſſe poſſit, maximum deſcribat, quod eiusmodi ambitu queat comprehendi, idcirco ſcilicet, quia aequalitas adcurata in diſtantia huius circumſcriptionis a centro in eo obtinet perpetuo. Cum figura quaedam lineis rectis includi debet, tum aequalitas, quae eſſe poteſt, maxima reſpectu diſtantiae illarum a centro poteſt tantum modo locum habere, ſi non ſolum diſtantiae punctorum angularium ab hoc centro inter ſe inuicem, verum etiam perpendiculum ex hoc ad latera inter ſe inuicem poſſunt aequalia eſſe. Indè igitur polygonum efficitur verum, planumque per geometriam fit, eodem circuitu polygonum aliud eodem laterum numero ſemper ſpatium minus incluſum iri, quam vero. Praeterea alia et quidem ſimpliciſſima aequalitatis in diſtantia a centro ratio eſſe pôteſt, ſcilicet ſi ſolum diſtantia punctorum angularium polygoni ab eodem centro perpetuo aequalis ſit, ibique patet, quouis polygono irregulari, quod poſſit in orbe eſſe, ſpatium maximum includi omnium, quod iisdem lateribus includi poſſit. Praeter hoc poſtremo illud polygonum, in quo praeterea magnitudo lateris diſtantiae puncti angularis a centro aequalis eſt, id eſt, ſexagonum regulare omnium omnino figurarum ea eſt, quae circuitu minimo ſpa-

tium maximum ita includat, vt ea ſimul, extrinſecus cum aliis figuris compoſita, nulla interualla relinquat. Atque hoc loco breui ſe offert obſeruatio, proportionem reciprocam maximi et minimi in ſpatio pendere ex aequalitate. Cumque natura alias multos caſus aequalitatis neceſſariae ſuppeditet, regulae, quae ex caſibus dictis geometriae reſpectu rationis generalis eiusmodi proportionis reciprocae maximi et minimi efficiuntur, poſſunt etiam ad legem parſimoniae neceſſariam in natura transferri. In legibus pulſus eatenus ſemper certa quaedam aequalitas neceſſaria eſt: poſt pulſum, ſi haud elaſtica ſint, amborum corporum motum ſemper aequalem eſſe; ſin autem elaſtica ſint, ambo per elaſticitatem ſemper aequaliter pelli et quidem vi quadam, qua pulſus fiebat; centrum grauitatis amborum corporum per pulſum nullo modo in quiete motuue mutari, et quae ſunt generis eiusdem. Relationes ſpatii tam infinite variae ſunt, et nihilominus certam quamdam cognitionem viſionemque claram concedunt, vt, quemadmodum iam ſaepenumero egregie fuere pro ſymbolis cognitionum de genere longe alio, (veluti ad exſpectationes in caſibus fortuitis denotandas), ita quoque adiumenta miniſtrare poſſint regularum perfectionis in legibus effectionis naturaliter neceſſariis, quatenus ex relationibus pendent, ex rationibus ſimpliciſſimis vt generaliſſimis cognoſcendarum.

Antequam huic meditationi finem imponam, omnes gradus varios rationis explicandi philoſophicae, phaenomenorum perfectionis in mundo obuiorum, quatenus cuncta deo ſubiecta conſideres, adferam, ab ea ratione iudicandi incipiens, vbi philoſophia adhuc ſeſe occultat, in eaque finium, vbi conatum ea maximum exſerit. De ordine loquor, pulcritudine et conuenientia, quatenus ea ratio eſt, rerum in mundo modo philoſophiae conſentaneo auctori diuino ſubiiciendarum.

Ac *primo* quidem, ſingulare euentum aliquod in curſu naturae poteſt vt quidpiam ab actione diuina

Digitized by Google

profectum ſpectari, ac philoſophiae in eo nullum aliud munus eſt, quam modo vt argumentum huiusce dependentiae extraordinariae indicet.

Deinde, euentum coſmicum vt tale conſideratur, quo vt ad caſum ſingularem aliquem mechanice mundi inde a creatione ſpeciatim inſtituta eſſet, veluti diluuium ſecundum ſyſtema multorum recentiorum. Phyſica, qua illi philoſophi hac in re vtuntur, non poteſt niſi ſuam ipſius ſolertiam docere, et aliquid excogitare, quod forte ex legibus phyſicis generalibus poſſit euenire, cuiusque euentus ad euentum extraordinarium illud putatitium redierit. Alioquin enim eiusmodi ratio ſapientiae diuinae haud conuenit, cui numquam propoſitum eſt, vt arte inutili iactet, quam vel in homine reprehenſurus fores, qui, ſi verbi gratia non impediretur, quo minus tormentum maius proxime exploderet machinam pyriam cum horologio adplicaret, quod illa ſtatuto puncto temporis ingenioſis adiumentis mechanicis tormentum explooderet.

Tertio, ſi certae quaedam partes naturae et inſtitutum quoddam inde a creatione durans, quod proxime a manu magni fabricatoris profectum ſit, ſpectatur; et quidem vt inſtitutum, quod tamquam res quaedam ſingularis, non vero velut inſtitutum ex lege quadam perpetua introductum. Exempli gratia, cum adſeritur, deum montes, flumina, planetas eorumque motum ab initio rerum omnium ſimul proxime ordinaſſe. Cum ſine dubio ſtatus quidam naturae debeat primus eſſe, in quo forma rerum pariter ac materia proxime a deo pendeat, huiusce iudicandi modi eatenus ratio quaedam philoſophica videtur. Interim, quia temerarium eſt, priusquam vtilitatem rebus naturae ex legibus generalibus proprium examinaueris, inſtitutum quoddam proxime actioni creationis attribuere, propterea quod vtile eſt et rectum, eatenus ea non niſi gradu minimo philoſophica eſt.

Digitized by Google

Quarto, ſi ordini cuidam naturae artificioſo qúidpiam tribuitur, antequam infirmitas, quae illi ad eam rem ex legibus communibus eſt, rite fuerit agnita, velut ſi quidpiam ex regno vegetabili et animali explicetur, quod fortaſſe in viribus mechanicis vulgaribus ſitum eſt, ſolum propterea, quod ordo in eo pulcritudoque magna ſunt. Ratio ſic iudicandi philoſophica tum vilior eſt, cum quodque animal ſingulare vel quaeuis ſingularis planta proxime creationi ſubiicitur, quaſi praeter nonnulla proxime creata alia producta illi ſecundum legem facultatis procreandi (non ſolum euoluendi facultatis) ſubiiciuntur, quia in poſteriori caſu plura ſecundum naturae ordinem explicantur; niſi horum infirmitas reſpectu eius rei aperte poſſit euinci. Ad hunc vero gradum explicationis modi philoſophici pertinet quaevis distributio inſtituti cuiusdam in mundo ex legibus artificioſis atque ob finem quemdam conſtitutis in genere, nec ſolum in regno animali ac vegetabili. *) Velut ſi de niue ac lumine boreali ſic loquuntur, ac ſi ordo naturae, qui ambo produxit propter vtilitatem Groenlandii vel Lapponis (ne diuturnis noctibus non penitus in tenebris verſetur) inſtituta eſſent, quamquam adhuc ſemper ſuſpicio eſt, iſtud eſſe conſecutionem ſecundariam conuenientem cum vnitate neceſſaria ex legibus aliis. Ac propemodum in iſtud vitium incidimus, cum nonnulla commoda hominum pro ratione accipimus peculiari cuiusdam inſtituti diuini, veluti ſiluam et agrum plerumque viridi colore indûtos eſſe, quia hic in omnibus coloribus vim mediam habet ad oculum mediocri exercitatione tenendum: contra obiici poteſt, incolam viae Dauidicae niuibus fere occaecari, atque illi ad perſpi-

*) In numero ſecundo meditationis tertiae huius ſectionis in exemplis ordinis naturae artificioſi ea ſolum ex regno vegetabili et animali protuli. Sed notandum eſt, vnamquamque legis conſtitutionem ob certam quandam vtilitatem idcirco quia illa eo ab vnitate neceſſario cum aliis legibus phyſicis excipitur, artificioſam eſſe, vti ex nonnullis exemplis, quorum hoc loco mentionem fecimus, intelligi poteſt.

Digitized by

cillas niueas confugiendum eſſe. Nec reprehendi poteſt, conſecutiones vtiles anquiri benignoque cuipiam auctori attribui, ſed ordinem naturae, ad quem fiunt, vt artificioſe atque arbitrarie cum aliis coniunctum proponi, cum tamen cum aliis in vnitate neceſſaria verſetur.

Quinto, maxime methodus continet verae philoſophiae animam de inſtitutis naturae perfectis iudicandi, ſi ſemper parata ad euenta quoque hyperphyſica concedendum, item inſtituta naturae vere artificioſa haud ignorandum, nec potiſſimum finibus commoda vniuerſamque conuenientiam ſpectantibus patitur ſe impediri, quo minus rationes in legibus generalibus neceſſariis conquirat, ſummaque cura vnitatis tuendae atque auerſione rationi conueniente numerum cauſſarum naturalium propterea multiplicet. Quo ſi attentio ad regulas generales acceſſerit, quibus ratio coniunctionis neceſſariae eorum, quae naturaliter ſine peculiari inſtituto eueniunt, cum regulis vtilitatis iucunditatisue naturarum ratione vtentibus poſſit enodari, tumque ad auctorem diuinum adſcenditur, haec ratio iudicandi phyſicotheologica officio ſuo rite ſatis facit.

MEDITATIO SEPTIMA.

COSMOGENIA.

Hypotheſis originis corporum coſmicorum cauſſarumque motuum illorum, mechanice regulis ſupra probatis conſentanea.

Figura corporum caeleſtium, mechanica, ſecundum quam mouentur et ſyſtema mundi conſtituunt, variae item mutationes, quibus poſitis orbium eorum ſucceſſu temporis obnoxius eſt, haec omnia facta pars ſunt phyſices, quae tanta perſpicuitate ac firmitate comprehenditur, vt ne vnam quidem

cognitionem aliam poſſis oſtendere, quae rem phyſicam (quae vel quodammodo illius varietatem aequaret) modo tam indubitate certo tantaque euidentia explicaret. Quod cum contemplare, nonne tum quoque ſuſpiceris, ſtatum naturae, in quo haec aedificatio initium cepit, eique motus, qui nunc ad leges tum ſimplices comprehenſu faciles perdurant, primum impreſſi ſunt, pariter facilius intelligi poſſe, quam fortaſſe pleraque, quorum alias originem anquirimus? Rationes, quae huic ſuſpicioni fauent, in aprico ſunt. Haec omnia corpora caeleſtia ſunt moles rotundae, quantum ſcimus, organiſatione carentes et praeparatione artis occulta. Vis illa, qua trahuntur, vti videtur, vis eſt primitiua materiae propria, nec proinde debet explicari nec poteſt. Motus iaculatorius, quo volant, directioque ad quam illa vibratio iis impertita eſt, vna cum formatione molium earum praecipuum eſt, quin adeo vnum, cuius cauſſae phyſicae primae quaerendae videntur. Effecta ſimplicia minimeque tam complicata, vti pleraque alia naturae ſunt, in quibus plerumque leges neutiquam cum euidentia mathematica noſcuntur, ex quibus eueniret, cum e contrario eae in forma maxime comprehenſibili ante oculos verſentur. Neque in tanta ſpecie ſucceſſus felicis quidquam aliud efficit, quam impreſſio ex magnitudine commouente talis partis naturae, quale ſyſtema ſolare eſt, vbi cauſſae phyſicae vniuerſae ſuſpectae ſunt, quia ſufficientia illarum maxime grauis eſt, et creandi iuri auctoris ſupremi contraria videtur. Verum anne idem quoque dici de mechanica poſſet, qua magna mundi fabricatio, poſteaquam ſemel adeſt, motus ſuos, porro ſervat? Vniuerſa eorum conſeruatio ex eadem lege pendet, qua lapis, in aëra coniectus, viam ſuam deſcribit; quae lex eſt ſimplex, fecundaque conſecutionibus iuſtiſſimis, et digna, cui conſeruatio totius mundi fabricationis credatur.

Ex altera parte, aies, non poſſunt cauſſae naturales perſpicue oſtendi, quibus herba viliſſima

ſecundum leges mechanicas penitus perſpicuas gignitur, et nos audemus explicationem originis ſyſtematis mundi in magnis? At vero vmquam philoſophus valuit, tantum leges, ex quibus incrementum motusue internus plantae, quae tum eſt, euenit, ita perſpicue et mathematice demonſtrare, quemadmodum illae demonſtratae ſunt, quibus omnes motus corporum coſmicorum conueniunt. Natura rerum hic prorſus mutata eſt. Magnum ac ſtupendum hic infinite comprehenſu facilius eſt, quam minutum et admirabile, et generatio planetae, cum cauſſa motus iaculatoria, quo iacitur, in orbem currat, vti videtur, facilior dilucidiorque perſpectu erit, quam generatio vnius cuiusdam guttulae niueae, in qua dimenſa veritas ſtellae ſexangulae adcuratior eſſe videtur, rotunditate orbium, in quibus planetae currunt, atque in qua radii multo rectius ad ſuperficiem referuntur, quam viae horum corporum caeleſtium ad formam communem motuum ſuorum orbicularium.

Periculum explicandae originis mundi ſecundum leges mechanicas generales factum proponam, non de vniuerſo naturae ordine, ſed tantum de magnis molibus earumque orbibus, quibus initia maxime rudia naturae efficientur. Spero, me quaedam dicturum fore, quae aliis meditationum grauiſſimarum anſam dare queant, quamquam deſcriptio mea rudis atque inelaborata videtur. Nonnulla eorum ex mente mea aliquantum probabilitatis habent, quae in re minori parum dubitationis relictura foret, et cui non niſi opinio praeiudicata artis maioris neceſſariae, quam quae legibus phyſicis generalibus tribuitur, eſſe contraria poteſt. Saepenumero accidit, vt id haud quidem inueniatur, quod proprie anquiritur, ſed tamen in hac via alia commoda, quae non opinatus fueras, inueniuntur. Etiam talis vtilitas ſatis lucri foret, ſi meditationi aliorum ſeſe praeberet, etiamſi fines hypotheſeos primarii in ea perirent. Grauitationem materiae vniuerſalem ſecundum Newtonum aut eius adſeclas in eo ſupponam. Ii, qui

fortaſſe per definitionem putant metaphyſices conſecutionem hominum acutorum ex obſeruatione et concluſione mathematica ſe perdere, ſequentes theſes vt quidpiam, quod praeterea cum fine huius libri primario haud cognatum eſt, poterunt praeterire.

I.

Proſpectus latior in ſumma vniuerſitatis rerum.

Sex illae planetae cum ſatellitibus in orbibus mouentur, haud longe a conſilio communi, quippe ſuperficie ſolis aequatoriali producta abhorrent. Contra cometae currunt in viis, admodum inde diſtantibus, atque verſus omnes partes longe ab hac ſuperficie euagantur. Quodſi ergo, loco planetarum cometarumque tum paucarum, earum aliquot millia ad noſtrum mundum ſolarem pertinerent, orbis zodiacus vt zona quaedam ſtellis innumeris colluſtrata, aut vt virga in pallidum ſplendorem abiens videretur, in qua nonnullae planetae propiores ſatis fulgentes, remotiores autem multitudine ſua ac luminis languore tantum modo viſum nebuloſum referrent. Namque in motu bellico, in quo hae omnes circa ſolem ſtarent, ſemper in omnibus partibus huiusce zodiaci nonnullae forent, etſi aliae locum mutaſſent. Contra cometae regiones ad vtramque partem huius zonae lucidae omni, quae fieri poſſit, diſſipatione contegerent. Cum hac fictione praeparati, (in qua nihil quidquam amplius quam multitudinem corporum mundi noſtri planetarum cogitatione multiplicauimus) oculos noſtros in ambitum ampliorem totius huius vniverſi configimus, tum reapſe zonam lucidam videmus, in qua ſtellae, quamquam valde inaequalibus diſtantiis a nobis abhorrent, tamen ad vnam eamdemque aream denſius atque alibi cumulatae ſunt, e contrario regiones caeli ad vtramque partem ſtellis omnis generis disperſionis contectae ſunt. Via lactea, quam ſpecto, maxime exacte directionem habet circuli

Digitized by Google

maximi, quae determinatio omni attentione digna eſt, atque ex ea intelligitur, ſolem noſtrum cum eoque nosmet in illa ſtellarum caterua verſari: quae ad certam quamdam aream maxime nititur, et analogia hic magnam rationem praebet ſuſpicandi, fore, vt hi ſoles, ad quorum numerum etiam noſter pertinet, ſyſtema coſmicum conſtituant, quod in magno ſimilibus legibus inſtitutum ſit, quam noſter planetarum mundus in paruo; omnes ſoles iſtos cum ſatellitibus ſuis vllum quodpiam centrum orbium ſuorum habere poſſe; eosque tantum ob immenſam diſtantiam et propter diuturnum tempus curſuum ſuorum orbicularium loca non mutare videri, quamquam nihilominus quaedam locorum transmotio obſeruata eſt; vias magnorum iſtorum corporum pariter ad aream communem adfectas eſſe, a qua non recedant, eaque, quae longe minori accumulatione reliquas caeli regiones occupant, cometarum noſtri planetarum mundi ea in re ſimilia videri.

Atque ex hac notione, ex mea quidem ſententia maxime probabili, coniici poteſt, ſi plures eiusmodi ordines mundorum altiores ſint: quam ad quem noſter ſol pertinet, et qui illi, qui in eo conſtitutus eſt, viſum praebet viae lacteae, in ſpatio mundi profundo nonnullos illorum velut loca ſplendentia pallida viſum iri, et ſi forma relationum alius cuiuspiam eiusmodi ſtellarum fixarum conſtitutionis oblique ſit verſus nos facta, vt figuras ellipticas viſum iri, quae ſpatio parua ex magna diſtantia ſyſtema quoddam ſolare, quemadmodum noſtrae viae lacteae exhibeant. Ac talia quidem loca reapſe aſtronomia iam dudum aperuit, quamquam perquam varia ſententia eſt, quam homines de iis imbiberunt, vti ex Maupertuiſii libro de figura ſtellarum diſci poteſt.

Hanc meditationem velim aliqua attentione perpendi. Nec ſolum, quia notio inde de creatione enaſcens, multo fortius mouet, quam alias, (propterea quod multitudine ſolium vti noſter eſt, immenſa ſyſtema abſoluitur, cuius articuli motibus orbicula-

ribus coniuncti sunt, ea vero systemata ipsa, quorum sine dubio vis innumera est, in articulis esse possunt ordinis cuiuspiam altioris,) verum etiam quoniam ipsa obseruatione stellarum fixarum vel potius tarde errantium nobis vicinarum hac notione ducta fortasse multa possunt aperiri, quae fugiunt attentionem, quatenus haud certa quaedam forma inuestiganda videatur.

2.

Rationes ad euincendam originem mundi planetarum nostri mechanicam in genere.

Planetae circa solem nostrum vniuersae ad eamdem distinctionem et modo tenui a forma relationis communi aberratione, quae ecclipsis est, eo ipso modo conuertuntur, velut corpora per materiam abrepta, quae, dum vniuersum spatium replent, circa axim vorticibus mouentur. Planetae pondere suo cunctae versus solem nituntur, magnitudinisque vibrationis lateralis directio esse dimensa deberet, si ea in orbibus conuerti circularibus illas oporteret, et quemadmodum in eiusmodi effecto mechanico diligentia geometrica non potest exspectari, ita quoque omnes orbes, quamuis haud multum, ab rotunditate circulari recedunt. Materiis constant, quae, ex computatione Newtoni, quo longius a sole distant, eo minori densitate sunt, quemadmodum etiam quisque naturae conueniens iudicaret, si in spatio in quo seruatur, a materia cosmica in eo dispersa efformatae essent. Namque in nisu, quo cuncta ad solem feruntur, necesse est, vt materiae generis densioris magis ad solem cogantur, in eiusque vicinitate magis cumulentur, quam materiae generis leuioris, quarum casus ob densitatem minorem magis retardatur. Sed materia solis, vt monuit Buffonius, ei, quam moles congregata planetarum omnium coniunctim habitura foret, densitate est satis aequalis, quod etiam cum forma-

Digitized by Google

tione mechanica bene conuenit, qua in altitudine varia, ex variis elementorum generibus planetae formatae fuerint, omnes vero reliquae alioquin, quibus iſtud ſpatium repletum eſt, mixtae ad centrum commune, ſolem, praecipitatae.

Is, qui nihilominus eiusmodi fabricationem vult proxime tradi in manum dei, neque ſic legibus mechanicis quidpiam tribui, cogitur aliquid adferre, cur hoc loco id neceſſarium iudicet, quod alias in phyſicis haud facile concedit. Nullos omnino indicare fines poteſt, cur melius ſit, planetas potius ad vnam directionem quam ad plures, prope verſus formam relationis quam ad regiones varias orbibus conuerti. Spatium caeleſte nunc vacuum eſt, et vniverſo motu iſto nullo ſibi inuicem impedimento forent. Lubenter largior, fines eſſe occultos poſſe, qui ex mechanica vulgari haud impetrati forent, et quos nemo homo perſpiciat. Sed licet nemini eos ſupponere, ſi ſententiam velit in iis fundare, nec tamen poſſit eos indicare. Quodſi denique deus proxime vim iaculandi planetis impertiiſſet earumque orbes ſtatuiſſet, ſuſpicari poteſt, notam eas criteriumue imperfectionis declinationisque, quae in quovis naturae productо inuenitur, prae ſe laturas fore. Si rectum fuit, vt ad aream referrentur, exſpectari poteſt, illum orbes earum adcurate ſic conſtituiſſe; ſi rectum fuit, eas prope ad motum orbicularem accedere, credi poteſt, viam illarum rite factam orbem circularem fore, neque intelligi poteſt, cur exceptiones ab ἀκριβεία exactiſſima in eo ipſo quod in actione diuina proxima verſari debebat, relinqui oporteret.

Articuli mundi ſolaris ex regionibus remotiſſimis, cometae, maxime currunt excentricae. Poſſent, ſi de actione diuina proxime ageretur, pariter in orbibus circularibus moueri, vt maxime illarum via ab eccliptica declinarent. Vtilitates excentricitatis tantae hoc in caſu cum magna audacia excogitantur; nam facilius comprehendi poteſt corpus coſmicum, in quacumque regione caeli, aequali diſtantia perpe-

tuo motum, huic diſtantiae conuenienter conſtitutum eſſe, quam ad magnam diſtantiarum varietatem aeque apte compoſitum; atque vtilitates quidem, quas Newtonus adfert, manifeſtum eſt, alias ne nomine quidem probabiles eſſe, praeterquam quod in ordinatione diuina proxima ſemel ſuppoſita eas ſaltem nonnullo ſeruire praetextui cuiusdam finis.

Maxime autem perſpicue vitium iſtud, fabricationem mundi planetarum finibus diuinis proxime ſubiiciendi in oculos incurrit ibi, vbi ex denſitate planetarum cum incremento diſtantiarum e contrario denſitate planetarum decreſcente argumenta volunt excogitare. Effectio ſolis, aiunt, ad hunc modum decreſcit, et fuit conſentaneum, vt denſitas corporum eo calefaciendorum etiam hic conuenienter inſtitueretur. Atqui notum eſt, ſolem nonniſi tenui profunditate ſub ſuperficie corporis coſmici agere, atque ex contagione illius illud calefacendi proinde non poteſt ad denſitatem molis vniuerſae concludi; in quo quidem conſecutio ex fine iuſto maior eſt. Adiumentum, quippe denſitas vniuerſae molis deminuta, amplitudinem continet inſtituti magnitudine finis ſuperuacaneam atque inutilem.

In vniuerſis productionibus phyſicis, quatenus conuenientiam ordinemque atque vtilitatem ſpectant, videmus quidem concentus cum finibus diuinis, at quoque notae originis ex legibus vniuerſalibus, quarum conſecutiones multo longius, quam ad talem caſum ſingularem patent, et proinde in quouis effecto ſingulari veſtigia confuſionis talium legum adparent, quae non ſolum ad hoc vnum productum pertinebant. Idcirco quoque declinationes ab hac ἀκριβείᾳ, quae poteſt eſſe, maxima reſpectu finis cuiusdam ſingularis locum habent. Contra inſtitutum hyperphyſicum proximum, propterea quod eo nullo modo conſequentia ex legibus effectionum vniuerſalibus materiae ſupponuntur, neque conſequentiis ſecundariis illius peculiaribus accedentibus deformantur, verum forma veritatis, quae eſſe poteſt, maxima, diligenter conficie-

Digitized by Google

tur. In partibus mundi planetarum propioribus centro communi maior eſt acceſſus ad ordinem totum diligentiamque exactam, vltra ſyſtematis terminos, ſiue longe a forma relationis in lateribus in temeritatem pronis atque declinationes, vti ipſum eſt a conſtitutione exſpectandum originis mechanicae. In inſtitutione diuina proxima numquam poſſunt fines parum impetrati inueniri, ſed vbique ſumma veritas atque diligentia adparet, quemadmodum inprimis in ſtructura animalium animaduertimus.

3.

Breuis declinatio omnium maxime probabilis, quo ſyſtema planetarum mechanice potuerit efformari.

Argumenta iamiam origine mechanica adlata tam grauia ſunt, vt vel quibusdam modo eorum iam diu omnes phyſici commoti fuerint, ad cauſſam orbium planetarum in viribus motricibus naturalibus anquirendam, praeſertim quia planetae eadem directione qua ſol circa axim ſuam conuertitur, circa illum in orbibus currunt, earumque viae tam prope cum huius area aequatoriali conueniunt. Newtonus magnus ille fuit horum omnium vorticum vaſtator, quibus nihilominus diu adhuc poſt demonſtrationes eius adhaeſum fuit, quemadmodum in exemplo celeberrimi Mariani intelligimus. Argumenta certa et fidem extorquentia philoſophiae Newtonianae docuerunt, tale quodpiam, quale vortices eſſe debeant, quibus planetae circumueherentur, nullo modo in caelo inueniri, tantum abeſſe, vt flumen quoddam eiusmodi fluidi in ſpatio ſit, vt potius caudae cometarum transuerſum per hos orbes motum conſtantem continuent. Certo hinc colligi poterat, quemadmodum ſpatium caeli nunc vacuum ſiue infinite rarum eſt, nullam cauſſam mechanicam locum habere poſſe, quae planetis motum circularem imprimeret. At continuo leges mechanicas vniuerſas praeteriro, atque ex hypotheſi audaci

a deo proxime planetas coniici ſtatuere, vt coniunctae cum grauitate in orbibus conuerterentur, gradus maior fuit, quam qui intra regionem philoſophiae manere potuiſſet. Statim currit in oculos, caſum adhuc reliquum fieri, vbi cauſſae mechanicae huiusce conſtitutionis eſſe poſſint; cum ſcilicet ſpatium fabricationis planetarum, nunc quidem vacuum, ante repletum fuit, vt communio virium motricium per omnes huiusce regionis partes, in qua attentio noſtri ſolis obtinet, efficeretur.

Atque hoc loco eam conditionem indicare poſſum, quae vna eſt, quae fieri poſſit, ſub qua cauſſa mechanica motuum caeleſtium locum habeat, id quod ad defendendam hypotheſin grauiſſimum eſt, de quo quis raro tantum poterit gloriari. Cum ſpatia nunc quidem vacua ſint, neceſſe eſt, illa quondam repleta fuiſſe, alioquin enim numquam effectio ampla virium motricium in orbibus agentium potuit locum habere. Et perinde haec materia dilatata poſtea, neceſſe eſt, ad corpora caeleſtia congregata ſit, hoc eſt, ſi adcuratius contemplar, haec ipſa corpora caeleſtia ex materia prima dilatata in ſpatiis fabricationis ſolaris ſeſe formauerint, motusque, quo particulae compoſiti in ſtatu diſſipationis ferebantur, in iis poſt coniunctionem in molibus ſeparatis remanſere. Ab eo inde tempore ſpatia ſunt vacua; quae nullam materiam continent, quae in iſtis corporibus poſſit ad vibrationem circularem communicandam prodeſſe. Verum ea haud ſemper vacua fuerunt, et motus animaduertimus, quorum nunc nulla cauſſa naturalis inueniri poteſt, quae vero in reliquiis ſunt ſtatus naturae rudis omnium antiquiſſimae.

Ab hac animaduerſione tantum modo pedem vnum proferam, vt ad notionem de modo originis harum molium magnarum probabilem cauſſamque motus illarum propius accedam, dum abſolutionem adumbrationis exiguae doctiorem lectori inueſtigandi ipſe concedo. Quodſi igitur materiae ad formandum ſolem omniumque corporum caeleſtium, potenti at-

Digitized by Google

tractioni eius obedientium, per vniuerſum ſpatium planetarum fuit diſſipata, et in vllo loco quodam, quem nunc ſolis moles occupat, materia fuit fortiorum virium attractricium, nutatio vniuerſalis ad hunc orta eſt attractioque corporis ſolaris cum mole ſua creuit. Facile poteſt coniici, in caſu illo vniverſali ipſo particularum ab regionibus mundi remotiſſimis materias denſioris generis in regionibus profundioribus, vbi cuncta ad centrum commune confluebant, pro eo modo ſeſe cumulaſſe, atque centro propiores eſſent, quamquam in omnibus regionibus materiae varii denſitatis generis adfuerunt. Non enim niſi particulae generis grauiſſimi maximam poterant vim habere, in chaos iſtud per vim leuiorum penetrandi, vt ad punctum grauitationis propius pervenirent. In motibus, a caſu varie alto in ſphaera natis, numquam reactio particularum ſeſe inuicem impedientium tam plane aequalis eſſe poterat, quin ad vllam partem quamdam celeritatis acquiſitae deflecterent. Atque in hac re regula adparet reactionis materiarum trita admodum ac peruulgata, eas ſe invicem tam diu agere aut regere et circumſcribere, donec ſibi minimum impedimentum praeſtent; cui conuenienter motus laterales tandem neceſſe erat vt in conuerſionem communem verſus vnam eamdemque regionem coniungerentur. Ergo particulae ex quibus ſol formabatur, in eo iam cum hoc motu laterali aduenerunt, et ſol ex hac materia efformatus non poterat non conuerſionem habere in eadem directione.

Sed ex legibus grauitationis planum eſt, in hac materia coſmica circum vibrata omnes partes nixas fuiſſe oportere, ad formam, in directione vibrationis ſuae communis per centrum ſolis permeantem, quae ex concluſionibus noſtris cum area aequatoris huiusce corporis caeleſtis congruit, diſſecandam, niſi ea iam in illo inueniatur. Quocirca omnium iſtarum praeſertim prope ad ſolem maxima cumulatio ſpatio erit areae aequatoris productae vicino. Tandem quoque

naturae valde conſentaneum eſt, cum particulae ſe inuicem tamdiu impediant aut incitent, verbo, ſe inuicem pellere vel agere cogantur donec vna alterius motum haud amplius queat turbare; poſtremo vniverſa ſic euenire, vt illae modo partes maneant, quae ipſum gradum habent vibrationis lateralis, quo opus eſt in diſtantia in qua ab ſole abhorrent, ad gravitationi aequilibrium praeſtandum, vt vnaquaeque motu libero in circulis concentricis circumuibretur. Haec celeritas in effectis eſt caſus, motusque ad latus conſequentia repulſus tamdiu durantis, donec omnia ad conditionem impedimenti minimi ſponte ſeſe compoſuerit. Reliquae partes, quae eiusmodi ἀκρίβειαν deſcriptam haud adſequi poterant, motu pedetentim decreſcente ad centrum grauitationis generalis relapſae ſint neceſſe eſt, ad augendam ſolis molem, quare proinde denſitatem habebit denſitati reliquarum materiarum in ſpatio virium eam in diametro ſumto, ſatis aequalem; ita tamen, vt conditionibus dictis mole earum multitudinum materiae, quae in loco circa eam vagantur, longe ſuperetur.

In hoc ſtatu, qui mihi naturae videtur conſentaneus eſſe, cum materia variorum formandorum corporum caeleſtium dilatata, in anguſto ſpatio proxime areae aequatoris ſolaris productae, eo denſior ſit, quo centro proprior, atque vbique cum vibratione in hac diſtantia ad motum circularem liberum idonea ex legibus centralibus vsque ad diſtantias magnas circa ſolem vibraretur, ſi tum ponamus, ex hisce partibus formari planetas, non poſſunt non viribus vibrandi pollere, quibus in viribus ad circulos proxime accedentibus mouerentur, quamquam aliquantum declinant, quoniam ex partibus variae altitudinis colligebantur. Pariter naturae maxime conſentaneum eſt, eas planetas, magnis ſeſe in excelſitatibus formantes (vbi ſpatium tanto maius eſt, quod in cauſſa eſt, cur discrimen celeritatis particularum vim ſuperet, qua ad planetarum centrum trahuntur) ibi quoque moles grandiores quam in vicinitate ſolis nan-

Digitized by Google

ciſci. Praetereo conuenientiam cum multis mirabilibus aliis mundi planetarum, quoniam ea ſeſe ſponte offert. *) In partibus ſyſtematis remotiſſimis et praeſertim in magnis diſtantiis a forma relationis corporum ſeſe formantium, cometarum, haec ἀχρῖβεια eſſe non poterit. Atque ita ſpatium mundi planetarum reddetur vacuum, cunctis in moles ſeparatas coniunctis. Attamen tempore ſeriori particulae ex terminis huiusce ſphaerae attractiuae extremis poſſunt eſſe delapſae, quae porro ſemper libere in ſpatio caeleſti orbibus circum ſolem moueantur. Quae materiae ſumma tenuitate ſunt et fortaſſe in elementis verſantur, quibus abſoluitur lumen zodiacale.

4.

Stholion.

Conſilium huius meditationis potiſſimum conſiſtit in eo, vt exemplum methodi adferatur, cuius nobis noſtra argumenta ſuperiora poteſtatem fecerunt, cum ſcilicet metum inutilem remouemus, quaſi vnaquaque explicatione magni inſtituti mundi ex legibus phyſicis generalibus inuidus religionis hoſtis lacunam aperiat in propugnacula eius penetrandi. Ex mea quidem ſententia hypotheſi adlatae ſaltim ſatis argumentorum patrocinatur, ad viros perſpicientiae amplae ad examen adcuratius formae in ea propoſitae, quae tantum in rudi vmbra verſatur, inuitandos. Propoſitum meum, quatenus hunc librum attingit, impletum erit, ſi per fiduciam in conuenientia et ordine poſitam, quae ex legibus poteſt vniuerſalibus promanare, praeparatus, tantumodo philoſophiae naturali campum aperias liberiorem ad rationemque explicandi, vti hanc aliamue, vt poſſibilem et cum cogni-

*) Formatio ſyſtematis minoris, quod vt pars ad mundum pertinet planetarum, veluti Iouis et Saturni, item volutationes exeos iſtorum corporum caeleſtium propter analogiam in hac explicatione ſimul comprehenduntur.

tione dei ſapientis bene conſentaneum ſpectandum poſſis moueri.

Caeterum conamine philoſophico ſane dignum foret, vt, vorticibus, inſtrumento tot ſyſtematum adamato, extra naturae ſphaeram in limbum vanitatis Miltonianum relegatis, nihilominus rite inueſtigaretur, anne natura ſine figmento ſingularum virium ipſa quidpiam offerret, quo motus planetarum vibratorius vbique ad eamdem regionem directus poſſit explicari, cum alter a viribus centralibus in grauitatione vt vinculo naturae durabili data videatur. Satis forma a nobis delineata ab regula vnitatis haud recedit; haec enim ipſa vis vibratoria vt conſecutio ex grauitate deriuatur, vti decet motus fortuitos, quippe qui tamquam euentus ex viribus materiae etiam in quiete inſitis deriuari debent.

Praeterea moneo, ſyſtema atomiſticum Democriti atque Epicuri, quamuis prima ſpecie ſimile videatur, tamen relationem prorſus diuerſam ad conſecutionem ad auctorem mundi habere, quam formam noſtri. In illo motus erat aeternus et auctore deſtitutus concurſusque fons vberrimus tot ordinis; caſus erat fortuitus, cuius nuspiam ratio inueniretur. Sed hic lex agnita naturae et vera, ex ſuppoſitione comprehenſu facillima, cum neceſſitate ducit ad ordinem, cumque hic ratio determinans momenti ad conuenientiam inueniatur, et quidpiam quod naturam in orbita concentus pulcritudinisque retineat, ad ſuſpicionem ducimus rationis, ex qua neceſſitas relationis ad perfectionem intelligi poſſit.

Interim vt etiam alio exemplo doceatur, quomodo effectum grauitationis in coniunctione elementorum diſperſorum ad conuenientiam pulcritudinemque producendam neceſſarie determinatum ſit, explicationem adiungam geneſeos mechanicae annuli Saturnini, quae mihi quidem tantam probabilitatem videtur habere, quanta vmquam poſſit ab hypotheſi exſpectari. Mihimet modo concedatur, Saturnum prima mundi aetate athmoſphaera circumdatum fuiſſe, qualem in

Digitized by Google

variis commodis vidimus, haud prope ad ſolem accedentibus, et ſine cauda adparentibus, particulas athmoſphaerae huius planetae (cui conuerſionem axeos concedemus) euolaſſe, et poſtea hos vapores, ſeu propterea quod planeta refrigeſceret, vel aliis de cauſſis, cepiſſe rurſum ad eam conſidere, caetera veritate mechanica conſequuntur. Cum enim omnium particularum ex ſuperficiei puncto, vnde euolarunt, oporteat, celeritas ſit huic loco aequabilis, ſeſe circum axim planetarum mouendi, omnes, neceſſe eſt, per hanc vibrationem naturalem niſas fuiſſe, ex regulis virium centralium orbes liberos circum Saturnum deſcribere. *) Sed omnes illae particulae, quarum non ille ipſe gradus celeritatis eſt, qui attractioni excelſitatis vbi volant, per vim centrifugam adcurate ad aequilibrium reagit, neceſſario ſe inuicem pellere coguntur ac retardare, donec illae, quae motu circulari libero ex legibus centralibus circum vehi poſſunt, circum Saturnum in orbibus motae relinquantur, reliquae vero pedetentim in eius ſuperficiem recidant. Atqui neceſſario omnes iſti motus circulares, neceſſe eſt, aream aequatoris Saturnini productam ſecent, quod, qui leges centrales nouit, neminem fugit. Ergo tandem illae circum Saturnum athmoſphaerae eius priſtinae ad planitiem rotundam inſtar circuli cogentur, quae aequatorum huius planetae productum occupat, cuiusque margo extremus per eamdem cauſſam, quae in cometis termini athmoſphaerae definiuntur, etiam his praefectus eſt. Hic limbus materiae coſmicae liberae motae neceſſario annulus fiat, oportebit, vel potius motus dicti in nullam poſſunt figuram aliam erumpere, quam in figuram annuli. Cum enim vniuerſam celeritatem ſuam ad motum circularem non niſi a punctis ſuperficiei Saturni habere poſſint, vnde euolarunt, illae,

*) Saturnus, ſecundum ſuppoſitionem, circum axin ſuam mouetur. Vnaquaeque particula ex Saturno euolans proinde, neceſſe eſt, vt eumdem motum lateralem habeat, eumque, ad quamcumque altitudinem euolarit, ibi continuet.

Digitized by Google

quae ex eius aequatore euolarunt, neceſſe eſt, celeritate maxima vtantur. Cum autem omnium diſtantiarum a centro illius tantum vna ſit, vbi haec celeritas ad motum ipſum circularem apta videatur, atque in quauis diſtantia minori tenuior ſit, orbis circularis in hoc limbo ex centro Saturni duci poterit, intra quem omnes particulae ad ſuperficiem huius planetae decidere cogantur, omnes vero reliquae inter hunc circulum dictum et marginem eius extremum, (proinde quae ſpatio annulari continentur) porro libere volantes in orbibus circularibus circum illum in motu perſeuerabunt.

Tali facta ſolutione ad conſequentias peruenimus, quibus tempus conuerſionis axeos Saturni data ſit, et quidem tanta cum probabilitate, quanta hisce rationibus conceditur, quibus ſimul determinata eſt. Nam quia particulae marginis interni eàdem celeritate vtuntur, quam punctum aliquod habet aequatoris Saturnini, et propterea celeritatis huius ex legibus grauitationis gradus eſt ad motum circularem neceſſarius, ex relatione diſtantiae vnius Satellitis Saturnini ad diſtantiam marginis interni annuli a centro planetae, item ex dato tempore circumuectionis Satellitis, tempus conuerſionis partium in margine interno inueniri poteſt; ex hoc vero et relatione diametri minimi annuli ad diametrum planetae huiusce conuerſio axeos. Atque ita computando efficitur: Saturnum quinque horis et circiter quadraginta minutis circum axin verti oportere, quod, ſi analogiae cum planetis reliquis rationem in eo habueris, cum tempore conuerſionis illarum bene conſpirare videtur.

Atque ita ſuppoſitio athmoſphaerae cometicae, quae Saturno initio fuerit, concedatur nec ne, illa conſecutio, quam ad illuſtrandam ſententiam meam primariam inde efficio, vt mihi quidem videtur, ſatis certa manet: ſcilicet, ſi eiusmodi athmoſphaera circumdatus fuerit, geneſin annuli volantis mechani-

Digitized by Google

eam in conſecutionibus inde neceſſariis eſſe oportuiſſe, momentumque proinde, naturae legibus vniuerſalibus permiſſae, ex ipſo τῷ chaos conuenientiam ſpectare.

MEDITATIO OCTAVA.

DE OMNISUFFICIENTIA DIVINA.

Summà harum meditationum omnes nosmet ad notionem entis ſummi ducimur, complectentem vniverſa, quae cogitari poſſunt, ſi homines ex puluere conditi audent oculos ſcrutantes poſt velum conuertere, quo myſteria imperſcrutabilia coram oculis creatis occultantur. Deus eſt omnibus ſufficiens. Quidquid adeſt, ſiue poſſibile ſit, ſiue actuale, illud non eſt quidpiam niſi quatenus per illud datum eſt. Oratio humana ens infinitum ſic ad ſe ipſum poteſt loquens inducere: *Equidem ab aeternis in aeternum, praeter memet nihil eſt, niſi quatenus per me quidpiam fit.* Haec cogitatio, omnium maxime ſublimis, etiamnum admodum neglecta eſt, vel maximam partem intractata. Id, quod in poſſibilitatibus rerum ad perfectionem pulcritudinemque ſeſe in formis praebet egregiis, vt res ſapientiae diuinae ſubiecta per ſe neceſſaria, non vero ipſum vt conſequens ex hoc ente incomprehenſibili ſpectatum fuit. Dependentia rerum aliarum ſolum ad illarum exiſtentiam reuocata eſt, qua quidem magna pars rationis tam multae perfectionis naturae illi ſupremae erepta, neſcio cui, non enti aeterno attribuitur.

Fecunditas vnius rationis conſecutionibus multis, conuenientia naturarum concentusque ex legibus vniuerſalibus ſine frequentiori pugna in forma ordine digeſta aptandi, primum in poſſibilitatibus rerum inueniri debet, et tum tantum in ſapientia in eligendo poterit occupari. Quibus tandem carceribus ens

independens ex ratione aliena circumſcriberetur, niſi hae ipſae poſſibilitates in eo fundatae forent? Ecquis caſus brutus, in hoc poſſibilitatis campo, nullo vspiam quopiam poſito, quod exſtaret, vnitatem et conuenientiam fecundam inueniri poterit, quo ens ſumma et potientiae et ſepientiae magnitudine, relationibus eius externis cum facultatibus eius internis comparatis, poſſit magnam perfectionem efficere? Profecto eiusmodi cogitatio numquam boni originem ſine omni detrimento in manum tradit entis vnius. Hugenius, horologio inuento pendulari, hanc aequabilitatem, ſi mentem eius ſubiret, qua eius perfectio abſoluitur, ſibi numquam poterat penitus attribuere; natura cycloidis, qua efficitur, vt parui magnique arcus per caſum in ea liberum tempore aequali deſcribantur, hanc effectionem ſolummodo poterat in poteſtate eius reponere. Quod ex ratione ſimplici grauitatis tantus conſecutionum pulcrarum ambitus modo fieri poſſit, eo quidem, niſi ab eo ipſo, qui actione actuali vniuerſum hunc contextum produxit, penderet, pars eius in vnitate ſuaui ambituque magno tanti ordinis in vna ratione poſiti manifeſto derogaretur ac minueretur.

Admiratio effecti ex cauſſa conſequentis ceſſat, ſimulatque cauſſae ad illud ſufficientiam dilucide facileque perſpexero. Hoc modo nulla admiratio poteſt amplius locum habere, cum ſtructuram corporis humani mechanicam, vel cuiuscumque conſtitutionis artificioſae, vt opus conſidero omnipotentis, ſolamque actualitatem ſpecto: namque facile intellectu eſt ac perſpicuum, eum, qui omnia poteſt, etiam talem machinam, ſi fieri queat, producere poſſe. Sed nihilominus admiratio relinquitur, vt maxime iſtud ad faciliorem intellectum adtuleris. Namque ſtupendum eſt, etiam tale quidpiam, quale corpus animale eſt, fieri potuiſſe. Etiamſi omnes elateres et canales, omnia vaſa neruea, vectesque et conſtitutionem eius mechanicam penitus poſſem perſpicere, tamen etiam nunc admiratio relinqueretur, qui fieri poſſit, vt tum

Digitized by Google

functiones in ſtructura ſint coniunctae, quomodo munera ad finem poſſint cum iis, quibus alias finis impetratur, tam apte componi, quomodo eadem compoſitione praeterea quoque efficiatur, vt machina ſeruetur, et conſecutiones ex laeſionibus fortuitis rurſum emendentur, et quomodo fieri potuerit, vt homo poſſet tela adeo ſubtilia abſolui, et quamuis permultae rationes perniciei adeſſent, tamen tam diu durare. Tandem vero etiam memet edocto, vnitatem tam multam concentumque idcirco fieri poſſe, quia ens adeſt, quod praeter rationes actualitatis etiam cauſſas vniuerſae poſſibilitatis continet, eo nondum admirationis tollitur. Siquidem per analogiam eorum, quae homines efficiunt, nonnullam tibi cogitationem informare poteris modi, quo natura quaedam eſſe cauſſa queat cuiuspiam, quod vere exſtet atque adpareat, numquam vero, quomodo illa rationem in ſe cohibeat poſſibilitatis aliarum rerum internae, atque ea cogitatio nimium ſublime ferri videtur, quam et natura creata poſſit ad eum adſpirare.

Atque haec ſublimis notio naturae diuinae, ſecundum illius omniſufficientiam cogitatae, ipſa in iudicio de natura rerum poſſibilium, vbi proxime rationes decidendi deſunt, nobis eſſe adiumento poteſt, ex ea vt ratione ad poſſibilitatem alienam tamquam conſecutionem concludendi. Quaeritur: anne in omnibus mundis, qui fieri poſſint, grauitatio ſine fine in gradibus perfectionis queat inueniri, cum nullus omnino ordo naturalis eſſe poſſit, quo non queat alius praeſtantior cogitari? Porro, etiamſi in eo quoque gradus ſummus inueniatur, anne certe ipſi mundi diuerſi, qui ab nullo ſuperentur, ſibi inuicem perfectione prorſus aequales forent? In eiusmodi quaeſtionibus difficile eſt et fortaſſe fieri nullo modo poteſt, vt ex ſola contemplatione rerum poſſibilium quodpiam decidatur. Verum ambabus quaeſtionibus cum natura diuina coniunctim perpenſis, cognitoque ac percepto hoc, principatu electionis, vni mundo prae altero turbato, ſine principatu in

iudicio eiusdem naturae, quae eligit, aut adeo contra hoc iudicium defectum in concentu virium illius activarum variarum, diuerſamque efficacitatis eius relationem, ſine diuerſitate in rationibus aequabili, proinde deformitatem quamdam in ente perfectiſſimo intelligi poſſe, ſumma cum firmitate animi concludo: neceſſe eſſe, vt caſus propoſiti fiƈti ſint, et fieri nequeant. Namque praeparationibus vniuerſis viſis comprehendo: multo minori iure poſſe, ex poſſibilitatibus ſuppoſitis, qui nihilominus ſatis nequeant probari ad actionem neceſſariam entis perfectiſſimi concludi, (quod ſic comparatum eſt, vt notioni concentus in eo maximi derogare videatur,) quam ex concentu agnito, quem poſſibilitates rerum cum natura humana habeant, neceſſe eſt, ex iis, quae iſti enti maxime conſentanea cognoſcuntur ad poſſibilitatem concludi. Igitur ſuſpicabor, in poſſibilitatibus mundorum, omnium nullas eiusmodi relationes eſſe poſſe, quibus oporteret rationem ambiguitatis in electione rationi congrua entis ſummi contineri: idem enim ens ſummum in ſeſe rationem huius poſſibilitatis omnis cohibet vltimam, in qua proinde numquam aliud quid, niſi quod cum eius origine conuenit, inueniri poteſt.

Iam vero haec notio *omniſufficientiae* diuinae per omnia quae fieri poſſunt et fere ſunt atque adparent dilatata vox multo verior, ad maximam huiusce entis perfectionem deſignandam, quam vocabulum *infiniti*, quo plerumque vtuntur. Nam etſi hoc poſterius, vti placet, interpretari queas, tamen ſecundum ſignificationem propriam manifeſto mathematicum eſt; quod rationem quantitatis ad quantitatem aliam tamquam menſuram denotat, quae ratio omni numero maior videtur. Quocirca ſenſu verbi proprio cognitio diuina infinita diceretur, quatenus cum cognitione vlla alia ſic dicta comparata, rationem habet, quae omnem numerum poſſibilem ſuperat. Cum igitur tali comparatione determinationes diuinae determinationibus rerum creatarum ſimiles efficiantur, quod

Digitized by Google

aegre vix poteſt adſeri, et praeterea id, quod eo ſpectatur, quippe poſſeſſio omnis perfectionis illibata, haud recta indicetur; contra omnia, quae in eo cogitari poſſunt, in verbo omniſufficientiae inſunt ſimul. Nihilominus denominatio infinitatis pulcra eſt proprieque aeſthetica. Amplificatio ſupra omnes numerorum notiones mouet, animumque ex certa quadam ambiguitate transfert in ſtuporem. E contrario vocabulum, quod nosmet commendamus, veritati logicae magis conſentaneum videtur.

SECTIO TERTIA

IN QUA PROBATUR, PRAETER ARGUMENTUM PERTRACTATUM NULLUM ALIUD FIERI POSSE AD EXSISTENTIAM DEI DEMONSTRANDAM.

I.

Deſcriptio omnium, quae fieri poſſunt, argumentorum de exſiſtentia dei.

Perſuaſionis de magna illa veritate, *deus eſt*, ſi ſummum gradum debeat euidentiae mathematicae habere, haoc proprium eſt, vt non poſſit, niſi per vnam viam adquiri, eaque huic meditationi hanc laudem impertit, vt labores philoſophici vno ſeſe argumento coniungere cogantur, quo vitia in eo tractando fortaſſe commiſſa potius corrigentur, quam vt illud reprobetur, ſimulatque certus ſis, nullam in pluribus eiusmodi fieri electionem poſſe.

Ad hoc probandum moneo, petitionem, cui proprie ſatis faciendum eſt, non oportere ex oculo amitti: nimirum vt haud exſiſtentia cauſſae cuiusdam primae maximae et perfectiſſimae, ſed entis omnium primi, nec exſiſtentia vnius aut plurium, verum vnius, idque non rationibus probabilitatis, ſed cum euidentia mathematica euincatur.

Omnia argumenta pro exſiſtentia dei tantummodo vel ex notionibus intellectualibus ſolius *poſſibilis*, vel ex notionibus empiricis *exſtantis* atque in veritate rerum adparentis poſſunt depromi. In ſuperiori caſu aut a poſſibili vt *ratione* ad exſiſtentiam dei tamquam conſecutionem aut ex poſſibili vt *conſecutione* ad exſiſtentiam diuinam velut rationem concluditur. In caſu poſteriori rurſus vel ex eo, cuius exſiſtentiam per experientiam nouimus, ſolum ad exſiſtentiam cauſſae primae ac *liberae*, per analyſin iſtius notionis vero ad proprietates illius diuinas concluditur, vel ex eo,

Digitized by Google

quod experientia docet, cum exſiſtentia tum quoque *proprietates* eius proxime concluditur.

2.

Examen argumentorum generis ſuperioris.

Quodſi ex notione mere *poſſibilium* vel ratione quadam exſiſtentia vt conſecutio debeat concludi, per analyſin notionis huius illa exſiſtentia, neceſſe eſt, in ea inueniri queat; neque enim alia conſecutionis ex notione poſſibilium deriuatio eſt, quam per ſolutionem logicam. Tum vero exſiſtentia velut praedicatum deberet in poſſibili contineri. Quod vero cum ſecundum meditationem primam ſectionis primae numquam locum habere poſſit, patet, argumentum veritatis, de qua nobis ſermo eſt, fieri dicto modo non poſſe.

Interim argumentum celebratum habemus in hac ratione conſtitutum, ſcilicet ſic dictum Carteſianum. Primo excogitatur notio de re poſſibili, in qua omnes perfectiones verae coniunctae cogitantur. Atqui exſiſtentiam etiam rerum perfectionem eſſe ſumunt: ergo ex poſſibilitate entis perfectiſſimi ad eius exſiſtentiam concludunt. Pariter ex notione cuiusuis rei, quae vel modo vt perfectiſſima ſui generis cogitatur, veluti iam inde, quod mundus poſſit perfectiſſimus cogitari, poſſet ad eius exſiſtentiam concludi. Sed, ne ad confutationem longam huiusce argumenti deſcendam, quae iam apud alios legitur, ad ea tantum prouoco quae in initio huius operis explicata ſunt, ſcilicet exſiſtentiam in nullis omnino praedicatis, nec proinde in praedicatis perfectionis verſari, ideoque ex definitione, quae coniunctionem variorum praedicatorum arbitrariam continet, ad notionem vllius cuiuspiam rei poſſibilis efficiendam, numquam poſſe ad exſiſtentiam huius rei, nec proinde quoque ad dei exſiſtentiam concludi.

Contra argumentatio a poſſibilitatibus rerum vt conſecutionibus ad exſiſtentiam dei vt rationis longe alius generis eſt. Hic inueſtigatur, anne, quo ali-

quid fieri queat, vllum quidpiam exſtans atque adparens eſſe ſuppoſitum oporteat, atque anne ea exſiſtentia, ſine qua ipſa vlla poſſibilitas interna nullum habere locum poteſt, tales proprietates contineat, quales nosmet ſimul in notione dei coniungimus. In hoc caſu in primis planum eſt, me non poſſe ex poſſibilitate hypothetica ad exſiſtentiam concludere, niſi exſiſtentia illius, quod non niſi cum certis quibusdam adiunctionibus fieri poteſt, ſupponam; nam ex poſſibilitate hypothetica tantummodo intelligitur, quidpiam non poſſe niſi in certis quibusdam coniunctionibus exſtare, et exſiſtentia cauſſae tantum probatur, quatenus conſecutio exſtat, hic vero ea non ex exſiſtentia illius concludi debet, vnde eiusmodi argumentum ſolum ex poſſibilitate interna effici poteſt, ſi omnino locum habeat. Porro animaduertimus, illud ex poſſibilitate abſoluta rerum omnino omnium oriri oportere. Namque ſolum poſſibilitas interna eſt, qua vllam quampiam exſiſtentiam ſupponi cognoſci debeat, non vero praedicata ſingularia, quibus res quaedam poſſibilis ab alia diſtinguatur: ſiquidem discrimen praedicatorum etiam in mere poſſibili locum habet, neque vnquam quidquam denotat, quod exſtet atque in veritate rerum adpareat. Quapropter dicto modo ex poſſibilitate omnium cogitabilium interna exſiſtentia diuina elicienda foret. Id quod fieri poſſe, in vniuerſa ſectione prima huius operis demonſtratum eſt.

3.

Examen argumentorum generis poſterioris.

Argumentum, cum ex notionibus empiricis ex eo, quod adeſt, ad exſiſtentiam cauſſae primae ac liberae ſecundum regulas locorum rerum efficientium, quae cauſſae adpellantur, ex hac vero per analyſin notionis logicam ad proprietates illius, quibus deus deſignatur, progredimur, nobilitatum eſt et potiſſimum per ſcholam philoſophiae Wolfianae vehementer celebratum; at hoc nihilominus nullo modo fieri

Digitized by Google

poteſt. Largior, vsque ad pronunciatum: *ſi quidpiam adeſt, exſtat etiam quodpiam, quod ab nulla re alia pendeat*, omnia rite conſecutione effici; proinde concedo, exſiſtentiam vllius cuiuspiam rei pluriumue, quae haud amplius in effectis ſint alius cuiuspiam, ſane probatam conſpici. Iam alter gradus ad enunciatum: *hanc rem abſolutam et liberam ſimpliciter neceſſariam eſſe*, multo minus certus eſt, cum per effatum rationis ſufficientis, quod etiam nunc impugnatur, efficiendus ſit; verum non dubito etiam vsque eo omnibus ſubſcribere. Ergo quidpiam ſimpliciter neceſſarioque exſtat. Ex hac notione entis abſolute neceſſarii iam eius proprietates ſummae et perfectionis et vnitatis deriuari debent. Sed notio neceſſitatis abſolutae, quae hoc loco fundamento eſt, dupliciter accipi poteſt, vti in ſectione prima docuimus. In priori modo, vbi ea ab nobis neceſſitas logica adpellata eſt, oſtendi oporteret: contrarium eius rei ſecum ipſum pugnare, in qua omnis perfectio ſiue realitas inueniatur, ideoque illud ens vnum ſolumque ſimpliciter neceſſarium in exſtando eſſe, cuius praedicata omnia vere adfirmantia ſunt. Et cum ex eadem coniunctione perpetua omnis realitatis in ente concludi debeat, illud *vnum* eſſe, planum eſt, analyſin notionum neceſſarii in eiusmodi rationibus poſitum iri, ex quibus etiam vice verſa memet concludere poſſe oportere: id, in quo omnis realitas eſt, neceſſario exſtat. Atqui non ſolum haec concludendi ratio ſecundum numerum antegreſſum fieri non poteſt, verum in primis notatu dignum videtur, quod hoc modo argumentum haudquaquam in notione empirica, tota, quamuis nullum vſum adferat, ſuppoſita, exſtruitur, ſed perinde atque Carteſianum ſolummodo ex notionibus, in quibus in identitate vel repugnantia praedicatorum exſiſtentiam entis inueniri autumant. *)

*) Hoc potiſſimum eſt, quod hoc loco ſpecto. Quodſi neceſſitatem cuiuspiam notionis in eo ponam, quod contrarium, repugnet et tum adfirmem, infinitum ſic comparatum eſſe; prorſus inutile erat, exſiſtentiam entis neceſſarii ſupponi.

Mihi non propoſitum eſt, argumenta ipſa diſſoluere, quae huic methodo conuenienter apud varios inueniuntur. Facile eſt, ſophiſmata illorum aperire, idque iam partim ab aliis factum eſt. Interim cum nihilominus etiamnum ſperari poſſet, peccato illorum nonnullis emendationibus adferri medelam poſſe, ex noſtra meditatione intelligitur, quodcumque ex illis efficiatur, tamen ea numquam quidquam aliud quam concluſiones ex notionibus rerum poſſibilium, non vero ex experientia fieri poſſe, ideoque ad ſummum argumentis ſuperioris generis adnumeranda eſſe.

Alterius quidem argumenti, cum ex notionibus empiricis de rebus in veritate adparentibus, ad exiſtentiam dei et ſimul ad eius perfectiones concluditur, longe alia ratio eſt. Hoc argumentum non modo fieri poteſt, verum etiam omni modo dignum eſt, quod laboribus coniunctis ad iuſtam perfectionem perducatur. Res mundi, quae noſtris ſeſe ſenſibus pateſaciunt, cum notas perſpicuas rationis ſuae fortuitae monſtrant, tum quoque per magnitudinem, ordinemque et inſtituta conuenientia, argumenta praebent auctoris ratione vtentis ſumma et ſapientia et potentia et benignitate. Ex magna vnitate in toto tam amplo intelligi poteſt, omnium iſtarum rerum non niſi vnum auctorem eſſe, et quamquam in omnibus his argumentationibus nullus rigor geometricus elucet, tamen tantam ſine controuerſia vim habent ac pondus, vt quemuis ratione vtentem ex regulis, quas intelligentia ſana naturalis ſequitur, ne punctum quidem temporis ea de re dubitare patiantur.

propterea quod ea iam ex notione infiniti ſequitur. Quid? quod exiſtentia illa praemiſſa in argumento ipſo prorſus otioſa eſt. Namque cum eo progrediente neceſſitatis notio atque infinitatis vt notiones reciprocae ſpectentur, reapſe idcirco ex exiſtentia neceſſarii ad infinitatem concluditur, quia infinitum (et quidem ſolum) neceſſario exſtat.

Digitized by Google

4.

Omnino duo tantūm de exſiſtentia dei argumenta fieri poſſunt.

Ex hisce omnibus diiudicationibus intelligi poteſt, ſi ex notionibus velis rerum poſſibilium concludere, fieri nullum argumentum aliud pro exſiſtentia dei poſſe, quam illud, quo ipſa poſſibilitas interna rerum omnium vt aliquid ſpectatur, quod vllam quampiam exſiſtentiam ſupponat, vti a nobis in ſectione prima huiusce operis factum eſt. Planum item eſt, ſi ex iis, quae experientia nos de rebus, quae exſtant, docet, concluſio ad eamdem veritatem adſcendere debeat, argumentum non poſſe niſi per propietates in rebus mundi perceptas cum ad exſiſtentiam cauſſae ſupremae tum vero naturam illius duci. Superius argumentum liceat ontologicum, poſterius autem coſmologicum adpellari.

Hoc argumentum coſmologicum *) vt mihi videtur, haud iunius eſt ratione humana. Eſt illud rationi tam conueniens, tamque ſuaue, et meditationem quoque tantopere cum progreſſu cognitionum noſtrarum profert atque amplificat, vt illud tam diu duraturum fore neceſſe ſit, quam vlla quaepiam creata res erit, quae generoſae contemplationis ſeſe fieri perticipem cupit, deum ex eius operibus agnoſcendi. *Derhamii*, *Nieuwentytii* et multorum aliorum labores rationi humanae hoc quidem reſpectu ornamento fuere, quamquam non numquam multum vanitatis ſeſe immiſceret, in ſpecie venerabili variis cognitionibus phyſicis vel etiam figmentis per teſſeram aemulationis religioſae impertienda. Praeter vniuerſam hanc praeſtantiam hoc argumenti genus tamen etiamnum non poteſt ad euidentiam diligentiamque

*) Atque hoc ipſum argumentum coſmologicum celeberrimus auctor poſtea reprobatum, ipſe confutauit in *critica rationis purae* inde a pag. 599. vsque ad 611.
Nota interpretis.

mathematicam accedere, Neqùe enim ſemper niſi ad auctorem infinite magnum illius totius, quod ſenſibus ſe noſtris obiicit, concludi poterit, non vero ad exſiſtentiam naturae omnium, quae eſſe poſſunt, perfectiſſimae. Maxime erit probabile: non niſi vnum auctorem primum eſſe; ſed huic perſuaſioni multum deerit explanationis impudentiſſimam dubitandi inſaniam comprimentis. In cauſſa eſt, quod non ad plures proprietates in cauſſa maioresue concludere poſſumus, quam opus iudicamus ad gradum qualitatemque effectorum inde intelligendum; ſi ſcilicet de exſiſtentia huius cauſſae nullam aliam iudicandi anſam habemus, quam quae nobis ab effectis praebetur. Iam multam perfectionem, magnitudinem et ordinem in mundo cognoſcimus, atque inde nihil quidquam amplius poſſumus rigore logico concludere, quam cauſſam illius multa intelligentia potentiaque ac benignitate pollere oportere, nnllo modo autem illa omnia ſcire, valere et ſic porro. Totum eſt immenſum, in quo vnitatem coniunctionemque perpetuam animaduertimus, et iure optime inde poſſumus intelligere: auctorem illius vnum eſſe. At nobis fatendum eſt, nos haud omnia creata noſſe, ideoque iudicandum, quae nobis nota ſunt, vnum modo auctorem oſtendere, vnde ſuſpicemur quae nobis haud nota ſunt, pariter comparata fore; quae quidem cogitatio rationi admodum conſentanea eſt, non vero argumentando cogit.

Contra, niſi nobis nimium placeamus, argumentum ontologicum a nobis delineatum illius rigoris particeps videtur, quem in demonſtratione poſtulamus. Interim ſi quaereretur, vtrum omnino optimum ſit, reſponderem: ſimulatque de diligentia logica et abſolutione agitur, ontologicum eſt; ſin autem facilitatem notionis verae communis, vigoremque impreſſionis, pulcritudinemque et vim commouentem deſideres ad elateres naturae humanae morales, laus erit argumento coſmologico tribuenda. Cumque ſine dubio maioris momenti ſit, hominem commotioni-

Digitized by Google

bus animi ſublimibus, actione generoſa fecundis, animari, propterea quod ſimul intelligentia ſana confirmatur, quam ratiocinationibus diligenter expenſis erudiri, eo, quod contemplationi ſubtilioni ſatis fit, ſi ſincere agas, nota illi coſmologico palma vtilitatis amplioris danda videtur.

Quamobrem non artificium eſt adulatorium, quod adſenſum alienum ambiat, verum ſinceritas, ſi eiusmodi tractationi grauiſſimae de deo eiusque proprietatibus cognitionis, qualem *Reimarus* in libro de religione naturali propoſuit, laudem vtilitatis lubenter concedo, prae vnoquoque argumento alio, in quo magis rigor logicus ſpectatus eſt, et prae meo. Etenim, ne pretium huius aliorumque huius viri ſcriptorum ſub calculum vocem, quod potiſſimum in vſu ſimplici rationis ſanae et pulcrae poſitum eſt, talium rationum reapſe magnus probandi neruus eſt, magisque viſionem excitant, quam notiones abſtractae logicae, quamquam hae rem adcuratius intelligendam proponunt.

Nihilominus cum intelligentia auquirens, ſi ſemel in veſtigium indagationis inciderit, non prius ſatietur, quam cuncta, quibus cingitur, lucida ſint, et donec, vt ſic loquar, orbis, quo quaeſtio eius terminatur, prorſus abſoluetur, nemo homo laborem, qui, vti praeſens, cum diligentia logica in cognitione tam grauiſſima cognatus eſt, inutilem et ſuperuacaneum iudicabit, potiſſimum quia multi caſus incidunt, vbi ſine tali cura vſus notionum incertus atque ambiguus manſurus foret.

5.

Non niſi vna demonſtratio de exiſtentia dei fieri poteſt, cuius argumentum ſupra eſt propoſitum.

Ex hactenus dictis manifeſtum eſt: in quatuor illis, quae excogitari poſſunt, argumentis, ad duo genera primaria reuocatis, cum Carteſianum, tum

quod ex notione experientiae de exſiſtentia per analyſin notionis de re libera et haud pendente ductum eſt, falſa eſſe, nec prorſus fieri poſſe, hoc eſt, ea haud forte nullo iuſto rigore, ſed omnino minime probare. Porro docuimus, argumentum ex proprietatibus rerum in mundo ad exſiſtentiam proprietatesque dei concludendi rationem idoneam maximeque pulcram in ſe cohibere, ſed quae numquam queat ad rigorem demonſtrationis accedere. Iam nihil quidquam relinquitur, quam vt vel nullum omnino argumentum eius rei ſeuerum fieri poſſit, vel vt illud in ea ratione propoſitum ſit, quam ſupra indicauimus. Cum de poſſibilitate argumenti ſimpliciter ſermo ſit, nemo ſuperius adſeret, conſecutioque iis conuenienter efficitur, quae monſtrauimus. Non niſi vnus deus eſt, vnumque argumentum quo fieri poſſit, vt eius exſiſtentia cum perceptione illius neceſſitatis perſpiciatur, quae omne contrarium ſimpliciter euertat. Ad quod quidem iudicium ipſa rei propoſitae conditio proxime ducere poſſet. Omnes res aliae, quae vspiam adſunt, etiam non eſſe poſſent. Experientia rerum fortuitarum proinde non poteſt argumento eſſe idoneo, exſiſtentiae illius inde cognoſcendae, de qua fieri non poteſt, vt non ſit. Non niſi in eo, quod negatio exſiſtentiae diuinae prorſus nihil eſt, discrimen ineſt exſiſtentiae eius ab exſiſtentia rerum aliarum. Poſſibilitas igitur interna, eſſentiaeque rerum id ſunt, quo ſublato omnia, quae cogitari queunt, exſtinguuntur. In hoc ergo propria exſiſtentiae eſſentiae omnium naturarum nota conſiſtet. In hoc argumentum quaeratis, quod ſi haud ibi inueniri exiſtimetis ex hac ſemita inuia in magnam viam munitam vos rationis humanae conuertatis. Neceſſe eſt, vt certum te de exſiſtentia dei reddas; non vero proinde neceſſe eſt, vt eam demonſtres.

Digitized by Google

XV.

INITIA METAPHYSICA DOCTRINAE IURIS.

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Criticam rationis *practicae* ſequitur ipſum ſyſtema, metaphyſica *morum*, quod in initia metaphyſica *doctrinae iuris* et *doctrinae virtutis* diſpeſcitur (vt quod reſpondeat initiorum metaphyſicorum *doctrinae naturae*, quae iam exhibuimus) quorum vtrorumque formam ſyſtematicam inſtitutio ſequens proponit partimque explanat.

Doctrina autem *iuris*, vt pars prior ethices, opus habet ſyſtemate ab ratione proficiſcente, quod *metaphyſica iuris* adpellari poſſet: Cum vero conceptus iuris, conceptus purus ſit, ſed tamen ad praxin (adplicationem ad cauſſas in experientia obuias) pertineat, proinde in *ſyſtemate* illius *metaphyſico* deſcribendo etiam varietas cauſſarum illarum empirica reſpici oporteret, vt deſcriptio plena efficeretur (quod in conſtituendo rationis ſyſtemate neceſſarium videtur) plena autem *rerum empiricarum* deſcriptio fieri nequeat, et, vbi tentetur (certe vt propius ad eam accedas) eiusmodi conceptus, non quaſi partes integrantes ſyſtemati ipſi inferri poſſint, ſed modo ſcholiis inſeri: titulus ſeriori metaphyſices morum parti vnice aptus erit, *initia metaphyſica doctrina iuris*, ſiquidem reſpectu cauſſarum illarum adplicationis, duntaxat adpropinquatio ad ſyſtema, non iſtud ſyſtema ipſum poterit exſpectari. Itaque hoc loco, vti in initiis metaphyſicis phyſicae, eamdem quoque rationem ſeruabimus: nimirum vt ius, quod ad ſyſtema ex anticipatione delineatum pertinet, contextu, ſed iura, quae ad ſingulares caſus experientiae referuntur, ſcholiis partim copioſis comprehendantur; quoniam alias id, quod hoc loco metaphyſica eſt, ab eo, quod

in praxi iuris empirica verſatur, haud poteſt commode diſtingui.

Vitio tam crebro reprehenſo obſcuritatis, atque adeo de induſtria commiſſae, ſpeciem perſpicientiae profunda adfectantis in oratione philoſophica haud poſſum melius praeuenire, eique mederi, quam vt, quod celeberrimus *Garuius*, philoſophus ſenſu genuino vocabuli, cuiuis, praeſertim ſcriptori philoſophanti iniungit, libenter accipiam, atque ex mea parte poſtulatum iſtud ad conditionem adſtringam, illi non obtemperandi, niſi quatenus natura ſcientiae, vel emendandae, vel dilatandae, conceſſerit.

Vir doctiſſimus (in *ſcriptis promiſcuis*, p. 352. ſqq.) iure poſtulat, vt quaeuis doctrina philoſophica, niſi magiſter ipſe debeat in ſuſpicionem obſcurorum conceptuum incidere — ad *rationem popularem* perduci (vniuerſae communicationi conuenienter adſenſus reuocari) poſſe debeat. Id quod lubenter concedo, ſi a ſyſtemate diſceſſeris critices facultatis rationalis ipſius eorumque omnium, quae ſolum huius deſtinatione poſſunt confirmari; quoniam ad partem ſenſitiuam cognitionis noſtrae a ſupraſenſitiua, ſed tamen rationi propria, diſtinguendam, pertinet; quae, vti omnino metaphyſica formulis induere rationem popularem poteſt, etſi, quae inde eliciuntur, rationi ſane (metaphyſici, eius inſcii) penitus queant explanari. In quo quidem de nulla via populari (oratione populari) cogitandum eſt, verum *diligentia* ſcholaſtica, etiamſi diligentia putida reprehendatur, vrgendum eſt (ſi quidem *oratio ſcholarum* eſt; quia ea ſola ratio temeraria eo adduci poteſt, vt antequam quidpiam dogmatice decernat, ſe ipſam intelligat.)

Quodſi autem *eruditionis oſtentatores vani* tantum ſibi ſumant, vt ad populum (in ſuggeſtibus ſacris) ſcriptisque popularibus vocabulis artis (technicis) loquuntur, ſoli ſcholae conſentaneis, iſtud in philo-

Digitized by Google

ſopho critico tam minus reprehendi poteſt, quam temeritas logodaedali grammatico. In quo quippe irriſio duntaxat ad hominem non poteſt, vero ad ſcientiam pertinere.

Speciem habet arrogantiae, ſtudiique nimii ſui ipſius, iisque, qui vetus ſyſtema ſuum nondum reliquerunt, contumelioſum videtur dici: „ante originem philoſophiae criticae nullam omnino fuiſſe.“ — Vt de arrogantia iſta ſpecioſa ferri ſententia poſſit, ante quaeſtio indaganda haec videtur: *an omnino plures poſſint philoſophiae eſſe?* Varii philoſophandi modi, ad primaque rationis principia redeundi in iisque, maiori minoriue ſucceſſu, ſyſtema conſtituendi, non ſolum fuere, verum etiam neceſſe fuit, vt multa pericula huiuscemodi fierent, quorum quodque etiam de praeſenti bene promeruit; at, cum tamen, ſi obiectiue ſpectetur, non queat niſi vna ratio humana eſſe: etiam non poſſunt multae philoſophiae eſſe, hoc eſt, non niſi vnum ſyſtema illius verum fieri ex principiis poteſt, vt maxime varie et discrepanter de vno eodemque pronunciato homines philoſophati fuerint. Sic *philoſophus moralis* iure vna modo virtus, ait, eſt, doctrinaque illius, hoc eſt, vnum ſyſtema, quod omnia virtutis officia vno principio coniungat; ſic porro *chemicus:* vna tantum chemia eſt (Lauciaſiana); Sic *medicus*: vnum duntaxat principinm eſt ſyſtematis morborum deſcribendorum (ſecundum *Brownium*); neque tamen idcirco, quia *ſyſtemate nouo* reliqua omnia arcentur, laudem vetuſtiorum (philoſophorum moralium, chemicorum medicorumque) imminuit; quoniam inuentis horum, periculisue fruſtratis, haud antegreſſis, numquam ad vnitatem illam principii veri philoſophiae vniuerſae in vno ſyſtemate numquam peruenisſemus. — Si quis igitur philoſophiae ſyſtema quoddam vt opus ſuum adnunciet, perinde erit, ac ſi dicat: „ante hanc philoſophiam nulla omnino alia fuit.“ Etenim, ſi concederet, aliam (et veram) fuiſſe, de iisdem rebus duplex philoſophia

vera fuiſſet, id quod pugnat. — Cum ergo philoſophia critica vt talem ſeſe adnunciat, ante quam nulla omnino philoſophia fuerit, nihil ea facit aliud, quam quod omnes et fecerunt, et facturi ſunt, atque etiam facere coguntur, qui philoſophiam ad formam ſuam peculiarem delineant.

Minoris momenti, ſed tamen haud ſine vllo pondere, opprobrium foret: partem, qua haec philoſophia neceſſario diſtinguatur, non eius plantam propriam, ſed forte ab alia philoſophia (aut matheſi) depromtam eſſe: cuiusmodi eſt inuentum, quod cenſor quidam Tubingenſis ſibi deprehendiſſe videtur, et quod definitionem philoſophiae in genere ſpectat, quam auctor critices rationis purae opus ſuum, haud leuidenſe, declarat, et quae tamen iam multis abhinc annis ab alio quodam fere iisdem verbis propoſita ſit. *) Equidem cuiuis ad deliberandum relinquo, an verba: *intellectualis quaedam conſtructio* parere potuerint cogitationem *exhibitionis conceptus cuiusdam dati in viſione pura ex anticipatione*, qua vna philoſophia a matheſi plane definita ſeparatur. Equidem certus ſum: *Hauſenium* ipſum ſeſe recuſaturum fuiſſe hanc explicationem orationis ſane comprobare; namque poſſibilitatem viſionis anticipatae, ſpatiumque talem eſſe, nec ſolum ſimultaneitates variorum extra ſe viſioni empiricae (perceptioni) propoſita (vti illud Wolfius definit) illum iam propterea deterruiſſet, quod ea re inueſtigationibus philoſophicis infinitis impeditum ſenſiſſet. Exhibitio *quaſi per intelligentiam* effecta acuto homini mathematica nihil fuit, niſi *deſcriptio* lineae conceptui cuidam conſentaneae (empiricae) in qua ſolum regulam ſpectamus, a declinationibus vero in tractatione neceſſariis nosmet

*) Porro de actuali conſtructione hic non quaeritur, cum re poſſint quidem ſenſibiles figurae ad rigorem definitionum effingi; ſed requiritur cognitio eorum, quibus abſoluitur formatio, quae intellectualis quaedam conſtruicto eſt. C. *A. Hauſen.* elem. matheſ. P. 1. pag. 86. a. 1734.]

Digitized by Go

continemus; vti quoque in geometria poteſt in conſtructione aequationum intelligi.

Omnium vero momenti *minimi* reſpectu animae huiusce philoſophiae vtique moleſtia eſt, quam quidam illius ſimii vocabulis exhibent, quae in critica rationis purae ipſa aegre poſſunt aliis vſitatis compenſari, quibus etiam extra illam ad publicum cogitatorum commercium abutuntur, et quod ſane caſtigatione dignum videtur, pro eo ac Nicolaius conſuevit, quamquam de ratione illorum prorſus ſuperuacanea in campo eorum proprio, quaſi inopia cogitationum vbique ſolum occultata, nullum ſibi iudicium competere ipſe fatebitur. — Interim *paedagogus a populari ratione alienus* vtique multo iocoſius rideri poteſt, quam homo *inſcius rationis criticae imperitus* (namque metaphyſicus, ſyſtemati ſuo tenaciter adhaerens, nullamque rationem habens critices, reapſe ad claſſem poſteriorem adnumerari poteſt, quamuis duntaxat voluntarie *ignoret*, quae non vult in conſuetudinem venire, quoniam a ſchola ſua vetuſtiori ſunt alienà. Quodſi autem, ex ſententia *Shaftsbury*, lapis Lydius veri haud contemnendus doctrinae cuiusdam (praeſertim practicae) ſit, ſi *riſum* illud ſuſtineat, ſane philoſophum criticum ordo *poſtremo loco* tetigerit, atque ita quoque *optime*, ridendi; cum ſyſtemata chartacea illorum, qui per longum tempus gloriati ſunt, ſingula ruere, ſectatoresque illorum vniuerſos discedere videbit: quod fatum illis neceſſario imminet.

Sub finem libri quasdam ſectiones minus copioſe pertractaui, quam, ſi cum antegreſſis ea comparaueris, poſſet exſpectari: partim, quoniam mihi ex dis poſſe facile elici viderentur, partim etiam, quia hoſtremae (quae ius publicum ſpectat) hoc ipſo noſtro tempore tot discuſſionibus obnoxiae et tamen adeo

graues ſint, vt dilationem iudicii decretorii ad aliquod tempus vtique poſſint defendere.

Initia metaphyſica doctrinae virtutis propediem poſſe memet proponere equidem ſpero.

Digitized by Google

TABULA
DESCRIPTIONIS DOCTRINAE IURIS.

PARS PRIOR.

Ius priuatum reſpectu rerum externarum. (Complexus legum earum, quae nulla promulgatione externa indigent.)

Caput primum.

De modo quidpiam externum vt ſuum habendi.

Caput ſecundum.

De modo aliquid externum *acquirendi.*

Deſcriptio acquiſitionis externae.

Sectio prima.

De iure reali.

Sectio ſecunda.

De iure perſonali.

Sectio tertia.

De iure realiter perſonali.

Sectio adiectitia.

De acquiſitione ideali.

Caput tertium.

De acquiſitione ſubiectiue hypothetica coram iurisdictione.

PARS POSTERIOR.

Ius publicum. (Complexus legum, promulgationis publicae indigentium).

Sectio prima.

Ius ciuitatis.

Sectio secunda.

Ius gentium.

Sectio tertia.

Ius cosmopoliticum.

Digitized by Google

INSTITUTIO
AD
METAPHYSICAM MORUM.

I.

De ratione facultatis animi humani ad leges morales.

Facultas adpetendi cernitur in ea vi, qua quis per repraeſentationes ſuas cauſſa eſt rerum repraeſentationibus iſtis ſubiectarum. Facultas naturae cuiusdam, repraeſentationibus ſuis conuenienter agendi, dicitur *vita*.

Ac *primo* quidem cum adpetitione ac deteſtatione ſemper coniuncta *voluptas* eſt *taediumque*, cuius facultas recipiendi *ſenſus* adpellatur, non item retro. Etenim poteſt quaedam voluptas eſſe, quae cum nulla prorſus rei adpellatione, verum cum ſola repraeſentatione, quam nobis de re quadam (an res illi ſubiecta exſtet nec ne, perinde erit) informamus, iam coniuncta videatur. *Deinde* quoque voluptas taediumque ex re adpetitioni obnoxia haud ſemper adpetitionem antecedit, neque ſemper vt cauſſa debet, ſed poteſt etiam vt effectum illius conſiderari.

Sed facultas voluptatem taediumque ex repraeſentatione quadam percipiendi idcirco *ſenſus* vocatur, quia ambobus illis *ratio ſolum ſubiectiua* reſpectu repraeſentationum noſtrarum nullaque omnino ad rem cognitioni illius poſſibili *) (ne cognitioni quidem ſta-

*) Senſualitas per rationem ſubiectiuam repraeſentationum noſtrarum in genere poteſt definiri; namque intelligentia demum repraeſentationes ad rem quamdam refert, hoc eſt, ea ſola quidpiam ſibi per eam cogitatione informat. Iam ratio ſubiectiua repraeſentationum noſtrarum aut ſic poteſt comparata eſſe, vt etiam ad rem queat ad eam cognoſcendam (quoad formam vel materiam, vbi, quoad formam, viſio pura ſed quoad materiam, ſenſatio dicitur) rerri.ef

tus noſtri) ſubiecta, continetur; cum alias ſenſationes ipſae, praeter qualitatem, per naturam ſubiecti illis adhaerentem, (veluti coloris rubri, dulcedinis et id genus aliorum) tamen quoque vt partes cognitionis ad rem referantur, voluptas vero taediumue (ex colore rubro ac dulcedine) nullo modo quidpiam in re, ſed ſolum reſpectum exprimat ad ſubiectum. Adcuratius voluptas taediumque per ſe, atque ob ipſam quidem cauſſam adlatam, non poſſunt definiri; ſed, ſi opus erit, tantummodo poteſt adferri, quid certis quibusdam relationibus ex illis ſequatur, vt vſu diſtinguantur.

Voluptas, cum adpetitione (rei, cuius ab repraeſentatione tactus ita adficitur) neceſſario coniuncta, poteſt voluptas *practica* adpellari, ſiue illa cauſſa ſit ſiue effectum adpellationis. Contra voluptas, cum adpetitione rei haud neceſſario coniuncta, quae proinde, ſi verum quaeris, non voluptas eſt ex exiſtentia rei repraeſentationi propoſitae percepta, verum duntaxat repraeſentationi ſoli adhaeret, voluptas ſolum contemplatiua, ſiue *complacentia iners* adpellari poterit. Tactum huiusce generis voluptatis *guſtum* vocamus. De quo proinde in philoſophia practica, non velut de conceptu *immanente*, verum, ſi vſus ſit, tantummodo praetereundo ſermo erit. Quod vero voluptatem practicam attingit, determinatio facultatis adpetendi, *quam* haec voluptas, vt cauſſa, debet neceſſario antecedere, ſenſu auguſto *cupiditas*, ſed cupiditas habitualis *inclinatio* vocabitur, et, quoniam coniunctio voluptatis cum facultate adpetendi, quatenus haec coniunctio per intelligentiam (forte etiam tantummodo ſubiecto) valere iudicatur, *inuitamentum*

Tum ſenſualitas vt facultas recipiendi repraeſentationem illam, *ſenſus* eſt: ſed ratio ſubiectiua repraeſentationis nullo modo poteſt *Pars cognitionis* fieri; ſi quidem ea ſolum relatio illius ad *ſubiectum* nec quidquam ad rem cognoſcendam vtile continetur et tum haec facultas recipiendae repraeſentationis *tactus* adpellatur; quo effectum repraeſentationis (ſiue ſenſitiua ſit ſiue intellectualis) in ſubiecto continetur et qui ad ſenſualitatem pertinet, etſi repraeſentatio ipſa ad intelligentiam pertineat rationemue.

dicitur, voluptas practica tum inuitamentum inclinationis, contra ea vero, ſi voluptas non niſi determinationem facultatis adpetendi antegreſſam ſequi poſſit, voluptas intellectualis et inuitamentum rei inuitamentum rationale dici debebit; namque ſi inuitamentum ſenſitiuum foret nec modo in principiis rationalibus puris conſtitutum, cogeretur, vt ſenſatio cum voluptate coniuncta eſſet atque ita facultatem adpetendi determinaret. Quamquam, vbi inuitamentum rationale purum tantummodo ponendum ſit, illi nullum poteſt inuitamentum inclinationis ſupponi, tamen, per liberalitatem erga conſuetudinem loquendi, inclinationi, ad ea ipſa, quae vmquam poſſunt voluptati intellectuali ſubiici, adpetitionem habitualem propter inuitamentum rationale purum, concedere poſſumus, quae tum vero non cauſſa foret, ſed effectum huius inuitamenti, et quam *inclinationem a ſenſibus vacuam* (propenſionem intellectualem) vocare poſſimus.

Praeterea *concupiſcentia* (libido) ab adpetitione ipſa, vt incitatio ad hanc determinandam, diſtinguenda videtur. Quae ſemper in determinatione animi ſenſitiua, ſed nondum ad actum facultatis adpetendi perducta verſatur.

Facultas adpetendi ad conceptus, quatenus ratio illius ad actionem determinans in ea ipſa, non vero in re inuenitur, dicitur facultas, *vti lubet faciendi mittendiue.* Quae, quatenus cum conſcientia facultatis actionis ſuae ad rem producendam coniuncta eſt, *arbitrium* adpellatur; ſi vero cum ea haud coniuncta ſit, actus illius *votum* vocatur. Facultas adpetendi, cuius ratio determinans inteſtiua, proinde libido ipſa in ratione ſubiecti inuenitur, dicitur *voluntas.* Igitur voluntas cernitur in facultate adpetendi, non tam (velut arbitrium) reſpectu actionis, quam potius rationis arbitrii ad actionem determinandi, conſiderata, ipſaque per ſe nullam rationem reapſe determinantem habet, ſed, quatenus arbitrium determinare poteſt, in ipſa ratione practica verſatur.

Digitized by Google

In voluntate *arbitrium*, ſed ſolum quoque *deſiderium* contineri poteſt, quatenus ratio facultatem adpetendi in vniuerſum poteſt determinare; arbitrium, quod per *rationem puram* determinare poteſt, arbitrium liberum vocatur. Id, quod non niſi ab *inclinatione* (impulſione ſenſitiua, ſtimulo) determinari poteſt, arbitrium brutum foret. Contra arbitrium humanum tale eſt, quod impulſionibus *adficiatur* quidem, non vero *determinetur*, ideoque per ſe ſiue habitu rationis acquiſita) haud purum eſt, ſed tamen ad actiones poteſt ex voluntate pura determinari. *Libertas* arbitrii illa vacuitate *determinationis* ſuae per impulſiones ſenſitiuas continetur. Qui conceptus illius negatiuus eſt: ſed poſitiua verſatur in illa facultate rationis purae, qua per ſe ipſa practica eſt. Id quod fieri non poteſt, niſi ſic, vt norma cuiusuis actionis conditioni ſubiiciatur, ſi ad legem vniuerſalem idonea videatur. Namque, vt ratio pura, ad arbitrium, nulla habita ratione rei huic ſubiectae, adplicata, vt facultas principiorum (et hoc loco principiorum practicorum, proinde vt facultas legislatoria), cum illi materia legis deficiat, nihil ea quidquam poteſt, praeter formam normae arbitrii ad ipſam legem vniuerſalem idoneae, pro lege ſuprema et determinandi arbitrii ratione conſtituere, et, cum normae hominis ex cauſſis ſubiectiuis cum obiectiuis illis haud ſponte conueniant, hanc legem non niſi ſimpliciter vt imperatiuum vetiti praeceptiue praeſcribere.

Hae libertatis leges vt ab legibus naturae diſtinguantur, vocantur *morales*. Quatenus duntaxat ſolum actionum externam earumque cum legibus conuenientiam ſpectant, dicuntur *iuridicae*; quodſi autem etiam poſtulant, vt ipſae (leges) rationes determinantes actionum eſſe debeant, tum eae ſunt *ethicae*, tumque dicimus, in conuenientia cum illis *legalitatem*, ſed cum his *moralitatem* actionis verſari. Libertas, quam leges ſuperiores ſpectant, non niſi libertas in arbitrio extrinſecus vtendo, ea vero, quam poſterio-

res reſpiciunt, libertas cum in arbitrio extrinſecus tum interne vtendo eſſe poteſt, quatenus legibus rationalibus determinatur. Sic in philoſophia theoretica tantummodo res ſenſibus externis obnoxiae eſſe in ſpatio dicuntur, ſed in tempore vniuerſae res cum ſenſibus externis, tum internis ſubiectae; quoniam vtrarumque repraeſentationes tamen repraeſentationes ſunt, atque eatenus cunctae ad ſenſum internum pertinent. Pariter libertas in arbitrio ſiue externe ſiue interne vtendo conſideretur, tamen leges illius, vt leges rationales practicae purae arbitrio libero in genere, ſimul rationes determinantes eſſe inteſtinae debent; quamquam haud ſemper eo reſpectu conſiderandae veniunt.

II.

De idea et neceſſitate metaphyſices morum.

Phyſicae, in rebus ſenſibus externis obnoxiis verſanti, principia haberi ex anticipatione oportere, et fieri poſſe, quin adeo neceſſarium eſſe, vt ſyſtema horum principiorum, nomine phyſices metaphyſicae, ad ſingulares experientias adplicatae phyſicae praemittatur, alio loco probauimus. Verum haec poſterior (certe ſi id agit, vt a ſententiis ſuis errorem arceat) interdum poteſt principia ex teſtimonio experientiae vniuerſe accipere, etſi hoc, ſi ſignificatione ſtricta ſpectare vniuerſa debeat, vt rationibus ex anticipatione deriuari oporteret, quemadmodum Newtonus principium aequalitatis actionis et rationis in corporum cum ſe inuicem contagione vt in experientiae conſtitutum ſumſit, quod tamen ad vniuerſam naturam corpoream extendit. Chemici, vlterius progredientes, leges ſuas maxime vniuerſales in materiis ſuis ipſarum viribus coniungendis ſeiungendisque prorſus in experientiam conſtituunt, et tamen vniverſalitate ſua ac neceſſitate adeo freti ſunt, vt in

Digitized by Google

experimentis cum illis inſtitutis neutiquam vereantur, ne error deprehendatur.

Verum cum legibus moralibus aliter comparatum videtur. Quae non niſi quatenus vt ex anticipatione conſtitutae neceſſarioque *intelligi* queunt, vim legum habent, immo conceptus et iudicia de nobis ipſis rebusque faciendis a nobis mittendisque nihil quidquam morale denotant, ſi ea, quae ſolum ab experientia diſci poſſunt, continent, et, ſi forte te induci patiare, vt quidpiam ex fonte experientiae pro principio morali conſtituas, in periculum venies errorum maximorum ac pernicioſiſſimorum.

Quodſi morum doctrina nihil aliud eſſet quam doctrina felicitatis, abſurdum foret, commodo illius principia quaeri ex anticipatione. Nam etſi admodum probabiliter ſonauerit, rationem poſſe iam ante experientiam perſpicere, quibus viis ad vera vitae gaudia perpetuo perfruenda peruenire queat, tamen vniuerſa, quae ea de re ex anticipatione traduntur, vel per tautologiam dicuntur, vel prorſus ſine argumentis ponuntur. Quae nobis gaudia adferant, ſolum poteſt experientia docere. Adpetitus naturales ſeſe alendi coniunctionisque procreandi cauſſa, et quietis motusque, item (in dotibus naturae poſtris euolvendis) adpetitus honoris, cognitionisque augendae et ſimilium, ſoli poſſunt et ſuo quemque peculiari modo docere, in quo gaudia illa *ponere* debeat, iidemque illi quoque vſus monſtrare poſſunt, quibus *quaerenda* videantur. Omnis ſpecioſa argutatio ex anticipatione hic reapſe nihil eſt, niſi experientia ex inductione ad generalitatem, non vero vniuerſalitatem euecta, quae generalitas adeo miſera eſt, vt cuiuis exceptiones immenſae concedendae ſint, quo delectum rationis vitae ſuae ad ſingularem adpetitum ſuum facultatemque voluptate perfruendi aptare, et poſtremo tamen per ſuam aliorumque calamitatem ſapere queat diſcere.

Digitized by Google

Verum cum doctrinis moralitatis aliter comparatum eſt. Quae cuiuis, nullo reſpectu habito inclinationum, praecipiunt; ſolum quia et quatenus libertate vtitur et practica ratione. Inſtitutio in legibus illius non ex obſeruatione ſui ipſius naturaeque animalis, neque ex more hominum animaduerſo hauſta eſt eorum, quae fiant, quaeque agantur (quamquam vocabulum *morum* duntaxat modos denotat et rationem viuendi), ſed ratio praecipit, quomodo agi debeat, etiam nondum exemplum illius exſtet, neque commodum reſpicit, quod eo poſſit ad nos redundare, et quod vtique non poſſet niſi experientia docere. Etenim, quamuis ea concedat, vt commodum, quoad eius fieri queat, quaeramus, praeterea quoque teſtimoniis innixa experientiae, ex praeceptis ſeruatis, praeſertim ſi prudentia acceſſerit, commoda plus minusue maiora, quam ex migratis probabiliter queat polliceri, tamen auctoritas praeceptorum illius, vt *praeceptorum* in iis poſita eſt, verum ea illis (vt conſiliis) vtitur tantummodo vt pondere contrario adverſus ſeductiones ad contrarium, ad vitium librae cupidae in diiudicatione practica antea exaequandum et tum demum huic, pro momentis rationum ex anticipatione rationis practicae purae, euentum proſpiciendum.

Quodſi igitur ſyſtema cognitionis ex anticipatione ex meris conceptibus *Metaphyſica* dicitur, philoſophia practica, cui haud natura, ſed libertas arbitrii ſubiecta eſt, metaphyſicam morum ſupponet eaque indigebit: hoc eſt, eam vt *habeas* ipſum in *officio* eſt, et quisque homo eam quoque, quamquam plerumque non niſi obſcurius, in ſe continet; quomodo enim, ſine principiis ex anticipatione, legislationem in ſe cohibere vniuerſalem credere poſſet? Quemadmodum autem in metaphyſica naturae etiam principia ſummorum illorum principiorum vniuerſalium naturae in genere ad res experientiae obnoxias transferendorum eſſe debent, ita quoque ea metaphyſicae

Digitized by Google

morum non poterunt deeſſe, et nobis ſaepenumero ſingularis *natura* hominis, quae non niſi per experientiam cognoſcitur, conſideranda erit, in qua conſecutiones ex principiis moralibus vniuerſalibus *demonſtremus*, ita tamen vt ea re puritati horum nihil quidquam detrahatur, neque origo illorum ex anticipatione dubia reddatur. — Quae cuncta eo redeunt, vt metaphyſica morum haud queat in anthropologia conſtitui, ſed tamen ad eam adplicari.

Metaphyſicae morum, vt alterum philoſophiae in genere diuiſae membrum, anthropologia moralis reſponderet, quae, ſed tantum ſubiectiuas, cum officientes, tum promouentes, conditiones legum illius in natura humana *exſequendarum*, generationem propagationemque et confirmationem principiorum moralium (in educatione, atque inſtitutione ſcholaſtica et populari) aliasque plures doctrinas praeſcriptionesque in experientia conſtitutas contineret, et qua non poteſt careri, ſed quae minime illi praemittenda, cum eaue commiſcenda eſt, ſi quidem tum in periculum venias, leges eliciendi morales falſas, aut certe indulgentes, quae illud falſo vt inacceſſum oſtentant, quod ipſum duntaxat propterea haud conſequimur, quod lex haud in puritate ſua (quippe in qua itidem eius vires conſiſtunt) et intellecta eſt et propoſita, aut adeo elateres adulterini vel impuri eorum, quae per ſe in officio et bona ſunt, adhibentur, quibus fit, vt nulla certa principia moralia relinquantur; neque duci diiudicationis, nec diſciplinae animi in officio faciendo, cuius praeceptio ſimpliciter non niſi per rationem puram ex anticipatione proponenda videtur.

At de deſcriptione quidem ſuprema, cui, quam nunc modo dixi, ſubeſt, ſcilicet philoſophiae in theoreticam et practicam, quamque nullam poſſe aliam eſſe, quam philoſophiam moralem, iam alio loco (in critica facultatis iudicandi) ſententiam meam expoſui. Omnis ratio practica, quae fieri poſſe ex legibus natu-

Digitized by Google

rae debet, (in qua proprie ars occupatur) pendet, ſecundum praeſcriptionem ſuam, prorſus ex doctrina naturae; ſolum res practica ex legibus libertatis poteſt principiis vti, ab omni doctrina vacuis; neque enim vltra deſtinationes natura vlla poteſt doctrina videri. Ergo philoſophia in parte practica (praeter theoreticam) nullam poteſt doctrinam *technice*, ſed tantum *moraliter* practicam intelligere, et, ſi habitus arbitrii ex legibus libertatis, cum natura comparatus, hoc loco etiam *ars* diceretur, neceſſe foret, vt in ea talis ars intelligeretur, qua fieri ſyſtema libertatis poſſit. Simile ſyſtematis naturae, quae ſane quidem ars diuina foret, ſi, quae ratio nobis praecipit, ope illius etia m prorſus exſequi poſſemus, ideamque illius effectam dare.

III.

De diuiſione metaphyſices morum. *)

Ad legislationem omnem (ſiue internas actiones ſiue externas, et has vel ex anticipatione per ſolam rationem, ſiue per arbitrium alius cuiuspiam praecipiat) partes duae requiruntur: *primo* quippe *lex*, quae actionem, quae fieri debet, *obiectiue* neceſſariam proponat; hoc eſt, quae actionem in officio ponat, *deinde elater*, qui rationem arbitrii ad hanc actionem determinandi *ſubiectiue* cum repraeſentatione legis coniungat; proinde altera pars haec eſt: vt lex officium faciat elaterem. Illa (lege) actio vt officium proponi-

*) *Deductio* deſcriptionis ſyſtematis: id eſt probatio cum integritatis illius, cum *continuitatis*, ſcilicet, quod transitio a conceptu diuiſo ad membrum diuiſionis in tota ſerie ſubdiuiſionum haud per ſaltum fiat, in conditionibus architecto ſyſtematis difficillime implendis videtur. Etiam quid *conceptus diuiſus ſupremus* diuidendi *fas* et *nefas* ſit, arduum videtur. *Alius* eſt *arbitrii liberi* in genere. Velut doctores ontologiae ab *ente* et *nihilo* ſupremo inſtituunt, nec tamen animaduertunt, haec iam membra diuiſionis eſſe; cuius praeterea conceptus diuiſus deeſt, qui nullus poteſt alius eſſe, quam conceptus *rei* in genere.

tur, quae ſola eſt cognitio theoretica determinationis poſſibilis arbitrii, hoc eſt, regularum practicarum: altero (elatere) obligatio ſic agendi cum ratione determinandi arbitrii generatim in ſubiecto copulatur.

Omnis igitur legislatio (etiamſi reſpectu actionis, quam in officio ponit, cum alia conueniat, velut ſi actiones omnibus temporibus externae ſint,) tamen reſpectu elaterum poteſt diuerſa eſſe. Ea, quae actionem quamdam in officio, et hoc officium, ſimul in elatere ponit, *ethica* videtur. Ea vero, quae hoc poſterius non ſimul lege comprehendit, proinde quoque alium quemdam elaterem, atque idem ipſius officii permittit, *iuridica* eſt. Cuius quidem poſterioris ratione facile intelligitur, hunc elaterem ab idea officii diuerſum, ab rationibus determinandi arbitrii inclinationum et deteſtationum, atque in his a poſteriori genere depromtum eſſe oportere, quoniam legislatio, quae cogat, eſſe debet, non vero illecebra, quae invitet.

Mera conuenientia vel discrepantia actionis cuiusdam cum lege, non ſpectato illius elatere, eius *legalitas* dicitur: ea vero, in qua officii idea ex lege ſimul actionis elater eſt, *moralitas* illius adpellatur.

Officia ex legislatione iuridica non niſi officia externa eſſe poſſunt, ſi quidem haec legislatio non poſtulat, vt idea huius officii, quod internum eſt, per ſe ipſa in rationibus determinandi arbitrii agentis ſit, et, cum tamen elatere legibus idoneo indigeat, non niſi externa queat cum lege coniungere. Contra legislatio ethica etiam actiones internas in officio ponit, ſed haud fere excluſis externis, verum omnia omnino, quae in officio ſunt, ſpectat. At ob hanc ipſam cauſſam, quia legislatio ethica elaterem actionis internum (ideam officii) lege ſua ſimul comprehendit, quae determinatio nullo modo debet cum legislatione externa contagione teneri, legislatio ethica nulla poteſt externa (ne ipſius quidem voluntatis diuinae) videri, quamquam officia quidem, quae in alia, nimi-

Digitized by Google

rum externa legislatione conſtituta ſunt, vt *officia*, in legislationem ſuam pro elateribus recipit.

Ex quo planum eſt, officia omnia idcirco ſolum, quia officia ſunt, ſimul ad ethicam pertinere; verum *legislatio* illorum non ſemper eſt propterea in ethica comprehenſa, ſed multorum illorum extra eam deprehenditur. Sic ethica praecipit, vt promiſſum pacto factum, etiam ſi altera pars me cogere haud poſſet, tamen mihi praeſtandum ſit: verum ea legem (pacta ſunt ſeruanda) officiumque his conueniens ex iurisprudentia vt latam ſumit. Igitur non in ethica, ſed in iure, legislatio ineſt, pacta ſeruanda videri. Ethica poſtea duntaxat docet, ſi elater, quem legislatio iuridica cum illo officio coniungit, nempe vis externa, etiam omittetur, ſolam officii ideam ad elaterem eſſe idoneam. Quod enim niſi foret, legislatioque ipſa haud iuridica, proinde officium ex ea promanans haud proprium officium iuris (quo ab officio virtutis diſtinguatur) eſſet, praeſtationem fidei (promiſſo in pacto conuenienter) cum actionibus beniuolentiae et ad eas obligatione miſcere, quod minime fieri debet. Nullum virtutis officium eſt, ſtare promiſſis, ſed iuris officium, ad quod praeſtandum cogi poſſumus. Sed tamen actio honeſta (argumentum virtutis) eſt, ſi tum quoque facias, cum, ne cogare, haud verendum eſt. Igitur doctrina iuris a doctrina virtutis non tam officiis diuerſis abhorret, verum diuerſa legislatione, quae vnum alterumue elaterem cum lege coniungit.

Legislatio ethica (etiam ſi officia externa ſint) ea eſt, quae haud *poteſt* externa eſſe; ſed iuridica, quae etiam externa eſſe poteſt ſic promiſſis ex pacto ſtare, in officio externo eſt; ſed praeceptum vt iſtud ſolum idcirco facias, quia in officio eſt, nullo reſpectu habito alius cuiusdam elateris, ſolum ad legislationem *internam* pertinet. Ergo neutiquam in ſingulari quodam genere officii (ſingulari actionum ſpecie, ad quas obligati ſimus) — namque in ethica pariter atque

Digitized by Google

in iure officium externum eſt, — ſed quoniam legislatio in illo caſu interna eſt, nullumque poteſt legislatorem externum habere, obligatio ad ethicam refertur. Ex eadem cauſſa officia beniuolentiae, quamquam in officiis externis (obligationibus ad actiones aeternas) verſantur, ad ethicam referuntur, propterea quod legislatio illorum non poteſt niſi externa videri. — Ethicae vtique ſua officia ſingularia ſunt (veluti officia erga ſe ipſum), ſed tamen etiam cum iure communia ſunt, non vero modus *obligationis*. Nam actiones ſolum idcirco, quia in officiis ſunt, patrare principiumque ipſius officii, vnde illud cumque oriatur, pro elatere arbitrii idoneo ſtatuere, proprium eſt legislationis ethicae.

IV.

Praenotiones ad metaphyſicum morum.

(Philoſophia practica vniuerſalis.)

Notio *libertatis* notio rationalis pura eſt, quae ob hanc ipſam cauſſam philoſophiae theoreticae transſcendens eſt, hoc eſt, talis, cui nullum conueniens exemplum poteſt in vlla quadam experientia poſſibili proponi, quae proinde nullam rem cognitioni theoreticae nobis poſſibili obnoxiam complectitur, nec minime pro principio conſtitutiuo ſed ſolum negatiuo rationis contemplatiuae haberi poteſt, in vſu illius autem practico veritatem ſuam pro principio practico demonſtrat, quae, vt leges, cauſſalitatem rationis purae, ab vniuerſis conditionibus empiricis libere (ſenſitiuis in genere) arbitrium determinant, puramque in nobis voluntatem euincunt, in qua moralium et conceptuum et legum origo videtur.

In hac libertatis notione (reſpectu practico) poſitiua, leges nituntur practicae abſolutae, *morales* dictae, quae reſpectu noſtri, quorum arbitrium ſenſitiue adficitur, atque ita voluntati purae haud ſponte

Digitized by Google

conſentaneum, ſed ſaepenumero aduerſarium eſt, *imperatiuae* (praecepta vel vetita) et imperatiuae quidem categoricae (abſolutae) ſunt, quo a technicis (praeceptis artium) quae ſemper non niſi cum adiunctione praecipiunt, diſtinguuntur, quibus certae quaedam actiones *licitae* vel *illicitae*, hoc eſt, moraliter poſſibiles vel impoſſibiles, quaedam illarum vero earumue contrarium, moraliter neceſſariae, id eſt, obligantes ſunt, vnde illis conceptus officii oritur, cuius obſequium vel transgreſſio quidem etiam cum voluptate taedioue peculiaris cuiusdam generis (ſenſus moralis) coniunctum eſt, cuius vero [quoniam haud *fundamentum* legum practicarum, ſed modo effectum in *animo* ſubiectiuum, in arbitrio noſtro illis determinando attingere et (ita vt illarum valori aut contagioni obiectiuae, hoc eſt, iudicio rationis, quidpiam addatur vel dematur), pro varietate ſubiecti varia eſſe poteſt.] in legibus rationis practicis, nullam omnino rationem habemus.

Sequuntur notiones metaphyſicae morum in vtraque parte communes.

Obligatio cernitur in neceſſitate actionis liberae ſub imperatiuo categorico rationis.

Imperatiua dicitur regula practica, qua actio per ſe fortuita neceſſaria *redditur*. Illa ab lege practica eo diſtinguitur, quod haec quidem neceſſitatem actionis demonſtrat, ſed nullo reſpectu habito, vtrum haec iam per ſe in ſubiecto agente (in quadam natura ſancta) *intus* neceſſario inſit, an (velut in homine) fortuita videatur; vbi enim ſuperius locum habet, ibi nulla poteſt imperatiua eſſe. Ergo imperatiua eſt regula, cuius repraeſentatio actionem ſubiectiue fortuitam *reddit* neceſſariam, proinde ſubiectum vt tale repraeſentat, quod ad conuenientiam cum hac regula *neceſſitate adſtringi* oporteat. — Imperatiua categorica (abſoluta) ea eſt, quae haud fere remote, per repraeſentationem *finis*, cuius per actionem particeps fieri poſſis, verum quae illum per meram huius ipſius actionis repraeſentationem (formae illius), ergo proxime obiectiue neceſſariam cogitat neceſſariamque reddit; cu-

iusmodi imperatiuas nulla doctrina practica alia, quam ſolum ea, quae obligationem (morum) praeſcribit, exemplo poteſt proponere. Omnes imperatiuae aliae ſunt *technicae* cunctaeque hypotheticae. Verum ratio poſſibilitatis imperatiuarum categoricarum ineſt in eo, quod nullam aliam arbitrii determinationem (qua ei finis ſubiici poſſit,) quam ſolum illius *libertatem* ſpectant.

Licita dicitur actio, obligationi haud contraria; et haec libertas, quae per nullam imperatiuam contrariam circumſcribitur, facultas moralis adpellatur. Ex quo, quae *illicita* ſit, ſponte intelligitur.

Officium in ea actione, ad quam quis obligatus eſt, verſatur. Illud ergo cernitur in materia obligationis, idemque (quoad actionem) officium eſſe poteſt, quamquam varia ad illud ratione poſſumus obſtringi.

Imperatiua categorica, dum obligationem ad certas actiones quasdam enuntiat, *lex* eſt practica moralis. Quia vero obligatio non ſolum neceſſitatem practicam (qualem lex omnino enuntiat), verum etiam *coactum* continet, imperatiua illa rurſus aut lex praeceptiua eſt, aut inhibitiua, prout, vt admittatur vel omittatur, in officio ponitur. Actio, nec praecepta nec vetita, ſolum *licita* eſt, quoniam eius reſpectu nulla omnino lex libertatem (facultatem moralem) conſtringens, ideoque nullum officium eſt. Talis actio indifferens (adiaphorica, res mirae facultatis) vocatur. Quaeri poteſt: an eiusmodi actiones ſint, et, ſi ſint, an eo, vt cuiquam liberum ſit, quodpiam pro lubitu facere aut omittere, praeter legem praeceptiuam et prohibitiuam, etiam lege permiſſiua opus videatur. Quodſi hoc ſit, facultas moralis haud ſemper actionem indifferentem (adiaphoron) ſpectaret; ad talem enim, ſecundum leges morales conſideratam, nulla opus lege ſingulari foret.

Factum dicitur actio, quatenus legibus ſubeſt obligationis, proinde quoque quatenus ſubiectum in ea ſecundum arbitrii libertatem conſideratur. Agens tali actu vt *auctor* effecti ſpectatur, quod vna cum actione ipſa, illi poteſt *attribui*, lege antea cognita, vi cuius vtriusque obligatio eſt.

Digitized by Google

Perſona cernitur in ſubiecto, cuius actiones ſub *imputationem* cadunt. Igitur perſonalitas *moralis* nihil aliud eſt, quam libertas naturae rationisque legibus moralibus ſubiectae (ſed pſychologica ſolum in facultate, conſcientia ſui ipſius in variis exiſtentiae ſtatibus potiundi), vnde ſequitur, perſonam quamdam nullis legibus aliis, quam quas (vel ſola, vel certe ſimul cum aliis) ſibi ipſa fert, ſubiectam eſſe.

Res eſt ens, nullius imputationis capax. Proinde quidquid libero arbitrio obnoxium eſt, quod ipſum libertate caret, res (res corporalis) adpellatur.

Rectum aut *minus rectum* in genere verſatur in facto vel licito vel illicito; officium ipſum, quoad materiam aut originem, generis fuerit cuiuscumque. Actio illicita dicitur *reatus*.

Reatus *haud voluntarius*, qui nihilominus imputari poteſt, vocatur *culpa*. Sed *voluntarius* (hoc eſt, is, qui cum conſcientia, reatum eſſe, coniunctus eſt, *dolus* adpellatur. Quod ſecundum leges externas rectum eſt, id *iuſtum* dicitur, quod ſecus eſt, *iniuſtum* vocatur.

Pugna contentioque officiorum (colliſio officiorum ſeu obligationum) ea illorum ratio foret, quo vnum illorum alterum (totum vel ex parte) tolerat. — Cum vero officium obligatioque in genere in notionibus ſint, quibus *neceſſitas* obiectiue practica certarum actionem enunciatur, duaeque regulae ſibi inuicem oppoſitae haud eaedem poſſint neceſſariae eſſe, verum, ſi, vt ad vnam illarum agas, in officio ſit, ad contrariam agere non ſolum haud in officio ſit, verum adeo illicitum: *contentio officiorum* obligationumque nullo modo cogitari poteſt (obligationes non colliduntur). Verum duae obligandi *rationes*, quarum vna vero aut altera ad obligationem haud idonea eſt (rationes obligandi haud obligantes) commodo in ſubiecto poſſunt

Digitized by Google

et regula, quam illud ſibi praecipit, coniuncta eſſe, vbi tum altera haud in officio eſt. — Duabus eiusmodi rationibus ſecum pugnantibus, philoſophia practica haud pronuntiat: obligationem fortiorem vincere, ſed *rationem obligandi* fortiorem vincere.

Omnino leges obligantes, quibus poteſt legislatio eſſe, leges externae dicuntur. In his eae, ad quas ſeruandas obligatio etiam ſine legislatione externa ex anticipatione poteſt per rationem cognoſci, leges quidem externae ſunt, ſed *naturales;* illae vero, quae ſine vera legislatione externa minime obligant, (ergo ſine hac ne leges quidem forent) leges *poſitiuae* vocantur. Igitur legislatio externa cogitari poteſt, quae meras leges naturales contineat; tum vero tamen lex naturalis antecederet, neceſſe foret, quae auctoritatem legislatoris (hoc eſt, facultatem moralem arbitrio ſuo alias obligandi) conſtitueret.

Principium, quod certas quasdam actiones in officio ponit, in lege practica verſatur. Sed regula agentis, quam ſibi ipſi ex rationibus ſubiectiuis principio ſtatuit, eius *norma* vocatur; vnde legibus iisdem normae tamen agentium admodum poſſunt differre.

Imperatiua categorica, omnino tantum, quid in obligatione ſit, enuntians, haec eſt: age ex norma, quae eadem poſſit pro lege vniuerſali eſſe. — Ergo actiones tuae primo tibi ex principio illarum ſubiectiuo conſiderandae ſunt: an vero hoc principium etiam obiectiue locum habeat, ex eo ſolum cognoſcere potes, quod, quoniam ratio tua illud explorationi ſubiicit, vt eo te ſimul vniuerſe legislatorium cogites, ad talem legislationem vniuerſalem aptum videatur.

Simplicitas huius legis, cum magnis illis variisque conſequentiis, quae inde poſſunt elici, itemque auctoritas praecipiens, quamuis haud manifeſto elaterem contineat, vtique initio nouum videatur, neceſſe eſt. Cum vero facultatem rationis noſtrae ex ſola

Digitized by Google

idea aptitudinis normae ad *vniuerſalitatem* legis practicae arbitrium determinandi, mirantes edocemur: his ipſis legibus practicis (moralibus) proprietatem quandam arbitrii primum aperiri, quam nulla ratio contemplatiua, neque ex rationibus ex anticipatione, neque per vllam quampiam experientiam diuinaſſet, et, ſi in eam incideret, tamen poſſibilitatem illius nulla re poſſet theoretice euincere, nihilominus autem leges illae practicae hanc proprietatem, quippe libertatem, manifeſto euincant; minus mirum videbitur, has leges, inſtar poſtulatorum mathematicorum, *improbabiles* et tamen *apodicticas* iudicari, ſimul vero vniuerſum cognitionum practicarum campum tibi patere, vbi ratio cum eadem libertatis idea, quin quauis alia idearum ſuarum rerum ſenſibus inacceſſarum in theoretica ſibi ſimpliciter occluſa omnia neceſſario iudicabit. Conuenientia actionis cum lege officii dicitur *legalitas* — et conuenientia normae actionis cum lege *moralitas* illius vocatur. Sed *norma* principium eſt *ſubiectiuum* agendi, quod ſibi ſubiectum ipſum pro regala conſtituit, (quomodo ſcilicet agere velit). Contra principium officii cernitur in eo, quod illi ratio abſolute, proinde obiectiue (quomodo *debeat* agere) praecipit.

Igitur principium ſupremum ethices hoc eſt: age ex norma, quae eadem poſſit vt lex vniuerſalis locum habere. — Quaeuis norma, ad eam rem haud apta, doctrinae mirum contraria eſt.

A voluntate leges, ab arbitrio normae proficiſcuntur. Arbitrium in homine liberum eſt; voluntas, nihil quidquam aliud, praeter legem, ſpectans, nec libera nec haud libera dici poteſt, quoniam haud actiones, ſed proximae legislationem normae actionem attingit (vt rationem practicam ipſam, idcirco quoque abſolute neceſſaria ipſaque nullius coactus *capax* eſt. Ergo ſolum *arbitrium* dici *liberum* poteſt.

Sed libertas arbitrii non poteſt per facultatem eligendi, vt ex lege aut contra eam agas (libertatem indifferentiae)

definiri; — quod vtique quidem conati ſunt, — quamquam arbitrium vt *phaenomenon* multa illius exempla in experientia oſtendit. Nam libertatem (vti ea nobis per legem moralem demum innoteſcit) non niſi vt qualitatem *negatiuam* in nobis nouimus, nimirum vt nullis rationibus determinantibus ſenſitiuis ad agendum *cogamur*. Verum vt *noumenon*, h. e. ex facultate hominis ſolum vt intelligentiae ſpectati, quomodo reſpectu arbitrii ſenſitiui *cogit*, proinde ſecundum qualitatem illius poſitiuam *theoretice* illud nullo modo poſſumus exhibere. Tantum nobis licet perſpicere: etſi homo vt *natura animalis*, experientia teſte facultatem prodit legi non ſolum *conuenienter*, verum etiam contra eligendi, eo nondum libertatem illius *vt naturae intelligibilis definiri* poſſe; quoniam phaenomena nullam rem ſenſibus inacceſſam (quale liberum arbitrium eſt) declarare poſſunt, libertatemque nullo modo poſſe in eo poni, vt ſubiectum ratione praeditum etiam delectum contra rationem (legislatoriam) inire poſſit; quamuis experientia ſatis frequenter planum faciat, iſtud euenire, (cuius tamen poſſibilitatem non poſſumus probare). — Namque aliud eſt, enuntiationem (experientiae) concedere, aliud, pro *principio explicandi* (conceptus liberi arbitrii) notaque diſtinctiua vniuerſali (ab arbitrio bruto ſeu ſeruo) iſtud ſtatuere; quod *alterum* haud adſerit, notam *neceſſarii* ad conceptum pertinere, quod tamen ad alterum poſtulatur. — Libertas, reſpectu legislationis internae rationis, proprie ſola facultas eſt; ſed poſſibilitas ab hac recedendi impotentia. Quomodo igitur illa ex hac poteſt definiri? Definitio eſt, quae ad conceptum practicum etiam *exercitium* illius, quomodo illud experientia docet, addit, *definitio hybrida*, quae conceptu ad lucem fallacem exhibet.

Lex (moraliter practica) verſatur in enuntiatione, imperatiuam categoricam (praeceptum) complectente. Imperans per legem eſt *legislator*: qui auctor eſt obligationis ex lege, ſed non ſemper auctor legis. Quodſi hoc eſſet, lex poſitiua (fortuita) et arbitraria foret. Lex, ex anticipatione nos abſoluteque per rationem propriam noſtram obligans, etiam quaſi ex voluntate legislatoris ſupremi, hoc eſt, illius, cui mera iura ſunt, nec vlla officia, (proinde ex voluntate diuina) proficiſcatur, enuntiari poteſt, quae vero tantummodo ideam naturae moralis denotat, cuius

Digitized by Google

voluntas vniuerſis pro lege eſt, quamuis haud vt auctor illius cogitatur.

Imputatio ſignificatione morali cernitur in *iudicio*, quo quis vt cauſſa libera actionis, quae tum *factum* dicitur, et legibus ſubeſt, ſpectatur; quod, ſi ſimul conſequentia iuridica ex hoc facto in ſe cohibet, imputatio *diiudicatoria* foret. — Ea perſona (phyſica vel moralis) cui facultas moralis eſt diiudicando imputandi, dicitur *iudex* ſiue etiam forum.

Quod quis licite *plus* facit, quam ex lege cogi poteſt, illud *meritum* eſt: quod ipſum non niſi huic *conuenienter* facit, *debitum* videtur; quod denique *minus* facit, quam lex poſtulat, *demeritum* morale vocatur. Effectum demeriti *iuridicum poena* eſt; effectumque meriti *praemium* (poſito, hoc in lege promiſſum, cauſſam mouentem fuiſſe); conuenientiae actionis cum debito nullum prorſus effectum iuridicum eſt. — Remunerationis ſiue repenſionis beneficae nulla omnino ad factum *ratio iuridica* videtur.

Conſequentia bona vel mala actionis debitae, — item conſequentia omiſſionis meriti, ſubiecto haud imputari poſſunt (modus imputationis tollens).

Conſequentia bona meriti, — item conſequentia mala illicito ſubiecto imputari queunt (modus imputationis ponens).

Subiectiue gradus *imputabilitatis* actionum ex magnitudine impedimentorum in iis ſuperandorum aeſtimandus eſt. — Quo maiora impedimenta naturalia (ſenſualitatis, quo minus impedimentum morale eſt, officii), eo magis *bonum factum* merito imputatur. Velut cum hominem a me prorſus alienum magno detrimento meo a graviori calamitate libero.

Contra, quo minus impedimentum naturale eſt, quo maius impedimentum ex rationibus officii, eo magis transgreſſio (vt culpa) imputatur. — Quocirca ſtatus animi, ſubiectum factum cupiditate abreptum patrauerit; an cum deliberatione tranquilla, in imputatione, differentiam parit, ex qua multa conſequuntur.

INSTITUTIO IN IUS.

§. A.

Quid eſt doctrina iuris?

Complexus legum, quibus externa eſſe legislatio poteſt, *ius* adpellatur. Si talis legislatio vere exſtet, doctrina eſt *iuris poſitiui*, et iuris conſultus dicitur *iurisperitus*, ſi leges externas etiam extrinſecus, hoc eſt, in vſu earum ad cauſſas in experientia obuias transferendo, quae etiam fieri iurisprudentia poteſt, ſed ambabus haud coniunctis, mera *iuriſcientia* manet. Quod nomen poſterius notitiae *ſyſtematicae* iuris naturae competit, quamuis iurisconſultus in hoc principia ſtabilia vniuerſae legislationis poſitiuae ſuppeditare debet.

§. B.

Quid eſt ius?

Haec quaeſtio *iurisconſultum*, niſi incidere in tautologiam velit, aut, pro enodatione generali, ad ea, quae in vlla quapiam regione leges vllo quodam tempore iubeant, prouocare, pariter perturbauerit, ac peruulgata quaeſtio vlla: *quid verum eſt?* logicos. Quid iuris ſit, hoc eſt, quod leges certi cuiusdam loci ac temporis iubeant vel iuſſerint, vtique indicare poteſt: verum, an id, quod iuſſerunt, etiam iuſtum ſit, notaque vniuerſalis, qua generatim iuſtum et iniuſtum cognoſci queat, illum ſane latet, niſi, principiis illis empiricis ad tempus miſſis, fontes iudiciorum illorum in ſola ratione conquirat, (quamquam eam in rem leges illae optime illi eſſe duces poſſent)

Digitized by Google

ad fundamenta legislationis positiuae possibilis constituenda. Doctrina iuris mere empirica (velut caput ligneum in fabula Phaedri) caput est, quod pulcrum quidem esse potest, sed cerebrum non habet.

Notio iuris, quatenus obligationem illi consentaneam spectat (hoc est, conceptus illius moralis) *primo* rationem personae duntaxat externam et quidem practicam ad aliam quamdam, quatenus actionum illius vt factorum cum se inuicem (proxime remoteue) contagio esse potest. *Deinde* vero ea haud rationem denotat arbitrium ad *desiderium* (proinde quoque ad meram indigentiam) alterius, vti forte in actionibus benignitatis et animi duri, sed solum ad alterius *arbitrium*. *Tertio* in hac ratione mutua arbitrii *materia* arbitrii, hoc est, finis, quem quisque in re, quam expetit, sibi proposuit, nullo modo sub deliberationem cadit, velut haud quaeritur, vtrum quispiam ex merce, quam pro sua ipsius mercatura a me emit, etiam vtilitatem sibi adferat nec ne, sed modo secundum *formam* in relatione vtriusque arbitrii, quatenus solum vt *liberum* consideratur, atque an actio alterutrius cum libertate alterius ex lege vniuersali possit conciliari.

Ergo ius consistit in complexu conditionum, quibus arbitrium vnius cum alterius arbitrio queat ex lege libertatis vniuersali conciliari.

§. C.

Principium iusti vniuersale.

„Quaeuis actio *iusta* est, quae cuiusue ad normam libertatis arbitrii vniuscuiusque cum cuiusuis libertate ex lege vniuersali constare potest etc.“

Si igitur actio mea, aut omnino status meus, cum libertate cuiusque ex lege vniuersali constare possit, is, qui me impedit, iniuste agit; neque enim hoc impedimentum (hic renisus) cum libertate potest ex legibus vniuersalibus constare.

Digitized by Google

Ex quo porro ſequitur: non poſſe poſtulari, vt hoc principium normarum omnium ipſum itidem in normis ſit, hoc eſt, vt *mihi* iſtud *pro norma* actionum mearum *conſtituam*, quisque enim liber eſſe poteſt, quamquam libertas illius minime mea intereſſet, vel animo illi quidquam detrahere vellem, ſi modo *actione* mea *externa* ei officiam. Ethica a me poſtulat, vt normam ſequar iuſte agendi.

Ergo lex iuſti vniuerſalis: age externe ita, vt liber vſus arbitrii tui cum libertate cuiusque poſſit ex lege vniuerſali conſtare, — lex quidem eſt, mihi obligationem iniungens, quae vero nullo modo exſpectat, multo minus poſtulat, vt propter hanc ſolum obligationem, libertatem meam ad conditiones illas *ipſe* debeam *adſtringere*, ſed ratio tantummodo enumerat, eam in idea ſic adſtrictam *eſſe*, atque ab aliis quoque facto adſtringi licere, idque enuntiat vt poſtulatum, quod nullo modo probari poſſit. — Niſi propoſitum fuerit virtutem docere, ſed quid *iuſtum* ſit proponere, nec licet nec debet ipſa illa lex iuſti vt elater actionis proponi.

§. D.

Iuſtum cum facultate morali cogendi coniunctum eſt.

Obſtaculum, quod impedimento effecti cuiusdam opponitur, cernitur in maturatione huius effecti cum eoque conſpirat. Atqui quidquid iniuſtum eſt, illud impedimentum eſt libertatis ex legibus vniuerſalibus; ſed coactus eſt inpedimentum ſiue obſtaculum quod libertati adfertur. Ergo: ſi certus quidam libertatis vſus ipſe in impedimentis eſt libertatis ex legibus vniuerſalibus (hoc eſt, ſi iniuſtum eſt) coactus, qui huic opponitur, vt *impeditio obſtaculi libertatis* cum libertate ex legibus vniuerſalibus conſpirat, hoc eſt, iuſtus eſt: proinde cum iuſto ſimul facultas moralis, illum, qui illi officit, cogendi, ex principio repugnantiae coniuncta videtur.

Digitized by Google

§. E.

Ius ſtrictum etiam vt poſſibilitas coactus vbique mutui cum libertate cuiusque ex legibus vniuerſalibus conuenientis deſcribi poteſt.

Huius pronuntiati haec vis eſt: ius non debet tamquam ex partibus duabus, ſcilicet obligatione ex lege, et facultate morali eius, qui arbitrio ſuo alterum obſtringit, hunc cogendi, compoſitum cogitari, ſed conceptus iuris proxime poteſt in poſſibilitate coactus mutui vniuerſalis cum libertate cuiusque poni. Nimirum ſicut iuri in genere duntaxat id ſubiectum eſt, quod in actionibus externum videtur, ita ius ſtrictum, quippe id, cui nihil quidquam ethici admixtum eſt, cernitur in eo, quod nullas alias arbitrii determinandi rationes poſtulat, quam ſolum externas; tum enim illud purum eſt, nullisque virtutum praeceptis mixtum. Igitur ius *ſtrictum* tantummodo prorſus externum dici poteſt. Quod quidem conſcientia nititur obligationis cuiusque hominis ex lege; ſed, ſi purum eſſe debeat, in arbitrio ad eam determinando nec debet nec poteſt ad hanc conſcientiam vt ad elaterem prouocare, verum idcirco principio nititur poſſibilitatis coactus externi, qui cum libertate cuiusque poteſt ex legibus vniuerſalibus conſiſtere. — Cum igitur dicitur: creditori ius eſt a debitore ſolutionem debiti poſtulandi, hoc ſibi non vult, quaſi illi poſſit ob oculos ponere, ratione ipſa ad hanc ſolutionem obligari, ſed coactum, qui quemque neceſſitate hoc faciendi adſtringat, vtique poſſe cum libertate cuiusque, ergo etiam cum ſua, ex lege externa vniuerſali conſiſtere: igitur ius et facultas moralis cogendi vnum idemque denotant.

Lex coactus mutui cum cuiusque libertate neceſſarii conuenientis, ſub principio libertatis vniuerſalis, quaſi *conſtructio* eſt conceptus illius, hoc eſt, eius exhibitio in viſione pura ex anticipatione, ſecundum analogiam poſſibilitatis liberorum motuum corporum ſub lege *aequalitatis actionis* et *reactionis*. Quemadmodum igitur in matheſi pura qualitatis rei illi propoſitae haud proxime a

conceptu deriuamus, verum duntaxat conceptu conſtruendo aperire poſſumus, ita non tam *conceptu* iuris, quam potius coactu, ad leges vniuerſales reuocato, cum eo conveniente penitusque mutuo atque aequali efficitur, vt exhibitio illius conceptus fieri poſſit. Quoniam vero huic conceptui dynamico etiam mere formalis, in matheſi pura fundamento ſubeſt (velut in Geometria): ratio ipſa proſpexit, vt intelligentia viſionibus ex anticipatione commode conceptus iuris conſtruendi, quantum fieri poſſet, inſtrueretur. — *Rectum* vt *rectum*, partim *curuo* opponitur, partim *obliquo*. Illud cernitur in *qualitate* ea lineae *interna*, qua fit, vt inter duo *puncta* data non niſi *vna*, ſed hoc in *ſitu* duarum *linearum* inuicem diſſecantium vel tangentium earum, quibus fit, vt etiam non niſi *vna* (verticalis) eſſe queat, quae haud magis ad vnam, quam ad alteram partem inclinat, et qua ſpatium ab vtraque parte aequaliter diuiditur, ad quam analogiam etiam iurisſcientia peruulgatum iſtud: *ſuum* cuique (cum diligentia mathematica) vult definiri, id quod in *ethica* non debet exſpectare, quippe quae certam quamdam latitudinem exceptionum non poteſt recuſare. — Verum, ditione ethices haud tentata, duo caſus ſunt, qui diiudicationem iuridicam poſtulant, quibus vero, qui eos diiudicet, nemo inueniri poteſt, et qui quaſi in intermundiis Epicuri locum habent. — Hi inprimis ex iurisſcientia propria, ad quam mox accedemus, ſeparandi nobis ſunt, vt principiorum vacillantium nulla contagio exſiſtat cum principiis ſtabilibus ſuperiorum.

ADPENDIX
AD INSTITUTIONEM IN IURIS DOCTRINAM.

De iure aequiuoco.

Cum quouis iure ſignificatione *anguſta* (iure ſtricto) coniuncta eſt facultas cogendi moralis. Iam vero praeterea ius nobis cogitatione informamus ſenſu *latiori* (ius latum), vbi facultas moralis cogendi nulla lege determinari poteſt. — Quorum quidem iurium, verorum vel putatitiorum, duo ſunt: et *aequitas*, et *ius neceſſitatis*: quorum prior ius ſine coactu ſumit, alterum coactum ſine iure ponit; et facile intelligitur, hanc ambiguitatem inniti eo, quod caſus eue-

Digitized by Google

niunt iuris addubitati, ad quos diiudicandos nullus poteſt iudex conſtitui.

I.

Aequitas.

Aequitas (obiectiue ſpectata) minime ratio eſt ſolum ad officium ethicum aliorum (beneuolentiam eorum et benignitatem) prouocandi, verum is, qui hac ex ratione aliquid poſtulat, *iure* ſuo nititur, quamvis illi conditiones deſint iudici neceſſariae, quibus hic definire poſſit, quatenus, aut quomodo petitioni eius ſatis fiat. Is qui de commodis aequalibus ſocietate inita plus *fecit*, praeterea adeo caſibus aduerſis plus *perdidit* ſociis reliquis, ex *aequitate* ab ſocietate plus petere poteſt, quam partium aequalitatem. Sed ex iure *ſtricto*, quoniam iudex, quem in hac cauſſa cogitatione tibi informaueris, nulla data habet, quibus, quantum ex pacto illi competat, decerneret, poſtulationem reiecturus foret. Famulus domeſticus, cui merces ad anni finem accipienda nummorum ſpecie interea imminuta ſoluitur, qua non poteſt ea conficere, quae tempore pactionis factae ſibi poterat parare, aequali mercedis pretio, ſed pecuniae inaequali, non poteſt ad ius ſuum prouocare, compenſationem damni idcirco accipiendi, ſed tantummodo teſtari aequitatem poteſt (deam mutuam, quae haud poteſt audiri); quia ea de re nihil quidquam fuit in pacto conſtitutum, iudex autem ex conditionibus indefinitis haud pronuntiare poteſt.

Ex quo porro ſequitur, *forum aequitatis*, (in lite aliorum de iuribus ſuis) repugnantiam continere. Tum ſolum, cum de propriis iuribus iudicis agitur, in iis, quae agere pro ſe poteſt, licet ei ac debet aequitati locum concedere; veluti cum regnum damnum, quod alii ex miniſterio ſuo acceperunt, et quod imploratur vt compenſet, in ſe recipit, quamquam, iure ſtricto, hanc ſententiam poſſet recuſare,

propterea quod ipsi suo ipsorum periculo haec ministeria suscepissent.

Dictum aequitatis hoc quidem est: summum ius summa iniuria; verum huic malo in via iuris non possumus mederi, etsi petitionem iuris attingit, quoniam huic solum in *foro caeli* locus est, contra illa iuris quaestio ad *forum poli* deferenda videtur.

II.

Ius necessitatis.

Hoc ius opinatum putatur in facultate morali consistere, si in discrimen amittendae vitae venerim, alium, a quo haud laesus fuerim, vita priuandi. In quo quidem, manifestum est, pugnam doctrinae iuris cum se ipsa contineri oportere — hic enim non de eo sermo est, qui *iniuste* impetum in vitam meam fecerit, cui vita illum priuando praeuenirem (ius inculpatae tutelae) vti moderamen commendatum ne ad ius quidem, sed duntaxat ad ethicam pertinet, de vi licita contra illum, qui nullam mihi vim intulerit.

Quam sententiam patet haud obiectiue ex eo quod lex praeceptura foret, sed solum subiectiue, quomodo coram iudicio sententia pronuntianda sit, intelligendam esse. Nulla enim *lex punitiua* esse potest, mortem illi adiudicans, qui in naufragio alium, in eodem vitae discrimine constitutum, de asse re, quo se recepisset, ad se ipsum seruandum, depelleret. Si quidem poena lege irrogata haud maior esse posset, quam iactura vitae eius, quem de asse re deiecerit. Iam eiusmodi legis punitiuae vis minime potest spectata videri; nam comminatio mali adhuc *incerti* (mortis per sententiam iudicis), metum mali *certi* (scilicet fluctu obrui) non potest superare. Ergo factum conseruationis sui violentae haud *inculpabile*, sed modo *impunibile* iudicandum est, et haec *vacuitas poenae* subiectiua, per confusionem mirabilem a iuris doctoribus pro *obiectiua* (legalitate) habetur.

Digitized by Google

Dictum neceſſitatis iuris hoc eſt: „neceſſitas non habet legem“; et nihilominus nulla poteſt neceſſitas eſſe, qua iniuſtum legale reddatur.

Intelligitur: ex vtraque iuris diiudicatione (ex aequitate et iure neceſſitatis) *aequiuocationem* ex confuſione rationum exercendi iuris obiectiuarum cum ſubiectiuis (coram ratione et iudicio) oriri, vbi, quod quis per ſe ipſe veriſſime iuſtum agnoſcat, coram foro confirmari, et quod ipſi per ſe iniuſtum iudicandum ſit, eius ab eodem venia impetrari poteſt; quoniam conceptus iuris in his ambabus cauſſis non vna eademque ſignificatione ſumtus eſt.

DESCRIPTIO DOCTRINAE IURIS.

A.

De ſcriptio generalis officiorum iuris.

Haec deſcriptio optime inſtitui poteſt ſecundum *Vlpianum*, formulis eius ſubiecto ſenſu, quem ſibi quidem in iis haud diſtincte cogitauerit. quem tamen concedunt inde explicari aut iis inferri. Illae ſic ſe habent:

1. *Honeſte viue.* Sed *honeſtas iuridica* cernitur in eo, vt reſpectu aliorum dignitatem hominis tueare; quod officium ſic enuntiatur: „aliis te ne mero inſtrumento praebeas, ſed iis ſimul finis eſto.“ Quod officium infra vt obligatione ex *iure* humanae naturae in noſtra ipſorum perſona definietur (lex iuſti.)

2. *Neminem laede*, etiamſi propterea vniuerſam cum aliis coniunctionem mittere omnemque ſocietatem fugere te oporteret, (lex iuridica).

3. (Quod ſi nequeas euitare) ſocietatem cum aliis ineas, in qua ſuum cuique tribui poſſit. — Haec formula poſterior ſic enuntiata: „*ſuum* cuique dato“ abſurdum quiddam pronuntiaret: nemini enim quidquam dari poteſt, quod iam habet. Cuius

igitur ſi qua ſignificatio eſſe debeat, ſic efferenda eſt: „*confer* te in ſtatum, in quo cuique contra quemque alium eſſe ſuum certum munitumque poſſit.“ (Lex iuſtitiae.)

Ergo tres illae formulae claſſicae ſimul principia diuidendi ſunt ſyſtematis officiorum iuris, in *interna*, *externa* et ea, quibus deriuatio externorum ab internorum principio ex adſumtione continetur.

B.

Deſcriptio iurium generalis.

1. Iurium, vt *doctrinarum* ſyſtematicarum, in *ius naturae*, quod meris principiis ex anticipatione nititur, et ius *poſitiuum*, (ſtatutarium), quod a voluntate legislatoris cuiusdam proficiſcitur.

2. Iurium, vt *facultatum* (moralium) alios obſtringendi, hoc eſt, vt tituli legalis horum poſteriorum, a quibus diuiſio ſuprema iuris in *connatum* et *acquiſitum* promanat, quorum illud in iure verſatur, quod, ab omni genere iuridico liberum, cuiuis natura competit; alterum, ad quod eiusmodi actus poſtulatur.

Meum tuumque ius connatum etiam *internum* adpellari poteſt; ſiquidem externum ſemper acquiri oportet.

Ius connatum non niſi vnum eſt.

Libertas (vacuitas ab alterius arbitrio), quatenus cum alius cuiusque libertate poteſt ex lege vniuerſali conſiſtere, cernitur in hoc vno, originario, cuiuis homini, per naturam humanam, competente iure. *Aequalitas* connata, hoc eſt, ea ratio, qua fieri non poteſt, vt ab aliis ad plura obligemur, quam ad quae a nobis mutuo poſſint obſtringi; perinde ea hominis proprietas, qua fit, vt *ſui iuris* ſit, itemque hominis *iuſti*, quia, ante omne actum legalem, laeſit neminem; tandem etiam facultas, ea erga alios faciendi,

Digitized by Google

quibus per ſe ſuum illius haud deminuitur, ſi modo illud haud curabunt; cuiusmodi facultas eſt cogitata ſolum cum iis communicandi, quodpiam narrandi vel pollicendi, ſeu verum ſeu falſum (veriloquium aut falſiloquium) ſit, quoniam ſolum ex illis pendet; an ei credere velint, nec ne *); — hae facultates vniverſae iam in principio inſunt libertatis connatae, vereque ab ea haud (vt membra diuiſionis ſuperiori iuris conceptui ſubiecta) diuerſae videntur.

Cauſſa, ob quam eiusmodi diuiſio in ſyſtemate iuris naturae (quatenus connatum attingit) introducta eſt, eo redit, vt, ſi de rure quodam acquiſito lis oriatur quaeraturque, cui onus probandi conueniat, aut de facto addubitato, aut, ſi hoc confectum fuerit, de iure in dubium vocato, is, qui hanc obligationem recuſat, ad ius ſuum libertatis connatum (quod nunc ſecundum varias relationes claſſibus enumeratur) ad viam quamdam, quaſique ad diuerſos iuris titulos prouocare queat.

Cum igitur mei et tui connati, proinde interni, nulla *iura* ſint, ſed *vnum* modo ius videatur, haec diuiſio ſuprema vt ex duobus membris maxime diſparibus conſtans ad prolegomena ſeruari poterit, diuiſione doctrinae iuris duntaxat ad meum tuumque externum referri.

*) De induſtria, quamquam ſolum per leuitatem animi, falſum dicere, poni in *mendacio* ſolet, quoniam illinc certe eatenus etiam nocere poteſt, quod is, qui ingenue auditum refert, vt homo credulus aliis ludibrio cedit. Sed ſenſu iuridico, illud tantummodo falſiloquium poni in mendaciis volumus, quo alius cuiuspiam ius proxime deminuitur, veluti ſi falſo perhibens te cum quodam pactum iniiſſe, vt illum bonis ſuis priues (falſiloquium doloſum), atque hoc discrimen conceptum maxime cognatorum haud vanum videtur; ſiquidem in ſchola explicatione cogitatorum alteri ſemper liberum manet, vt ea accipiat, vti velit, quamquam fama vera, hunc eſſe hominem, cuius verbis haud credi poſſit, opprobrio mendacis tam propinqua eſt, vt terminus, qui id hoc loco quod ad ius pertinet attingit, ab eo, quod ethicae obtingit, non poſſit niſi eo ipſo diſtingui.

DESCRIPTIO

metaphyſices morum in genere.

I.

Omnia officia vel *iuris officia* ſunt, hoc eſt, ea cuius fieri legislatione externa poſſit, vel *officia virtutis*, ſiue ethica, cuius talis fieri legislatio nequeat; — ſed haec poſteriora idcirco tantum non poſſunt legislationi externae ſubiici, quia *finem* ſpectant, qui (vt proponatur) ſimul in ethicis eſt; ſed vt finem nobis proponamus, nulla legislatione externa effici poteſt, (quoniam actus eſt animi internus); quamquam actionis externae praecipi poſſunt, quae eo ducant, etſi ſubiectum eas ſibi pro fine proponat.

Cur vero doctrina morum, nominatim a Cicerone, dici ſolet doctrina de *officiis*, non vero idem de *iuribus*: cum tamen vna ad alteram referantur. — Cauſſa haec eſt: Propriam libertatem noſtram (ex qua omnes leges morales, proinde quoque cum iura omnia, tum officia proficiſcuntur) non niſi ex *imperatiua morali*, quae in enuntiatione verſatur officium praecipiente, ex qua poſtea facultas alios obligandi, hoc eſt, conceptus iuris, poteſt euolui.

II.

Cum in doctrina de officiis homo quoad facultatem libertatis, quae prorſus ſenſibus inacceſſa eſt, ergo quoque ſolum quoad *naturam humanam*, vt perſonalitatem a determinationibus phyſicis liberam (vt homo noumenon) et poſſit cogitari et debeat, vt diſtinguatur ab eodem ſubiecto, ſed determinationibus adfecta (homine phaenomeno), ius et finis rurſus hac proprietate duplici ad officium relati, quae nunc ſequitur, deſcriptionem ſuppeditabunt.

Digitized by Google

DIVISIO

SECUNDUM RELATIONEM LEGIS AD OFFICIUM.

OFFICIUM ERGA SE IPSUM.

OFFICIUM ERGA ALIOS.

- OFFICIUM PERFECTUM.
  - 1. *Ius humanae naturae in personâ nostrâ propriâ.*
  - 2. *Ius hominum.*
- OFFICIUM IMPERFECTUM.
  - 3. *Finis humanae naturae in personâ nostrâ propriâ.*
  - 4. *Finis hominum.*

OFFICIUM
- juris
- virtutis.

III.

Cum ſubiectorum, quorum reſpectu iuris ad officium adfectio (ſiue iuſta ſit ſiue iniuſta) cogitatur, relationes variae videantur; etiam hoc reſpectu deſcriptio fieri poterit.

D I V I S I O

EX RATIONE SUBIECTIVA OBLIGANTIUM ET OBLIGATORUM.

1.

Relatio hominis iuridica ad naturas, nec iure vtentes nec officio.

Vacat.

Quippe quae naturae brutae ſunt, quae neque nos obligant, neque a quibus nosmet obligari poſſumus.

2.

Relatio hominis iuridica ad naturas, et iure et officio vtentes.

Adeſt.

Namque relatio hominum ad homines eſt.

3.

Relatio hominis iuridica ad naturas, quae mera officia habent, ſed nulla iura.

Vacat.

Hae enim naturae homines forent perſonalitate deſtituti (glebae addicti, et ſerui).

4.

Relatio hominis iuridica ad naturam, quae mera iura ſed nulla officia habet (deum).

Vacat.

Scilicet in ſola philoſophia, quia nulla res eſt experientiae, quae eſſe poſſit obnoxia.

Ergo non niſi nr. 2. relatio vera ac *realis* eſt iuris inter atque officium. Cur haud etiam in no. 4. deprehendatur, in cauſſa eſt, quod officium foret *tranſcendens*, hoc eſt, tale, cui nullum ſubiectum obligans externum conuenienter poteſt *proponi*, proinde relatio reſpectu theoretico hoc loco duntaxat *idealis* eſt, id eſt, ad ens rationis, quod nobis ipſi, ſed tamen non per eius conceptum prorſus *inanem*, verum reſpectu interno practico, fecundum, fingimus, in quo etiam vniuerſum officium *immanens* noſtrum in hac relatione tantum cogitata ſolum conſiſtit.

DE DIVISIONE PHILOSOPHIAE MORALIS, UT SYSTEMATIS OFFICIORUM IN GENERE.

Doctrina elementaris. Methodologia.

Officia iuris. Officia virtutis. Didactica. Ascetica.

Ius priuatum. Ius publicum,

et sic porro, omnia,

quibus non solum materia, verum etiam forma architectonica philosophiae moralis scientificae continetur; principiis vniuersalibus per initia metaphysica plene inuestigabis.

* * *

Diuisio iuris naturae suprema non (vti subinde fit) in ius *naturale* et *sociale* fieri potest, verum in ius naturale et *ciuile* instituenda est: quorum prius *ius priuatum*, alterum *ius publicum* adpellatur. Neque enim statui naturali haud socialis, sed ciuilis oppositus est; quoniam in illo quidem vtique potest societas esse, sed minime *ciuilis* (meo et tuo legibus publicis prospiciens), inde ius in illo superiori ius priuatum dicitur.

DOCTRINAE IURIS UNIVERSALIS

PARS PRIOR.

IUS PRIVATVM
DE MEO ET TUO EXTERNO IN GENERE.

CAPUT PRIMUM.

DE MODO QUIDPIAM EXTERNI UT SUUM HABENDI.

§. 1.

Meum iuris illud eſt, quocum ita coniunctus teneor, vt vſus eius ab alio memet haud conſentiente factus, me laeſurus eſſet. Conditio ſubiectiua poſſibilitatis vſus in genere eſt *poſſeſſio*.

Aliquid *externum* autem tum tantummodo meum foret, cum mihi licet ſumere, fieri poſſe, vt vſu rei cuiusdam ab alio facto, *quam tamen haud poſſideo*, nihilominus laedi queam. — Ergo ſecum ipſum pugnat, quiddam externum vt ſuum habere, niſi poſſeſſionis conceptus varia ſignificatione, ſcilicet poſſeſſionis *ſenſibilis* et *intelligibilis* accipi poſſet, illaque *phyſica*, haec vera *ſolum iuridica* poſſeſſio vnius eiusdemque rei intelligi.

Formula: res eſt *extra me*, vel idem denotare poteſt, ac: res eſt duntaxat a me (ſubiecto) *diuerſa*, vel etiam res in alio *quodam poſita*, in ſpatio aut tempore, conſtituta. Tantummodo ſignificatione ſuperiori accepta, poſſeſſio vt poſſeſſio rationalis cogitari poteſt: ſed in poſteriori dicenda foret empirica. — Poſſeſſio

Digitized by Google

intelligibilis (ſi talis eſſe poteſt), poſſeſſio eſt *ſine detentione.*

§. 2.

Poſtulatum iuridicum rationis practicae.

Fieri poteſt, vt quamque rem externam arbitrii mei vt meam habeam; hoc eſt: norma, ex qua, ſi pro lege acciperetur, res arbitrio ſubiecta *per ſe* (obiectiue) *res nullius* fieri neceſſe foret, iniuſta eſt.

Namque res arbitrio meo obnoxia eſt aliquid, quo, niſi *phyſice* in poteſtate mea teneam, vti nequeo. Quod ſi igitur *iuridice* nullo modo poſſet in poteſtate mea eſſe, hoc eſt, cum libertate cuiusque ex lege vniuerſali haud conſiſtere poſſet (iniuſtum eſſet), vt ea vterer; libertas ſe ipſam vſu arbitrii ſui reſpectu rei illi propoſitae priuatura foret, eo, quod res *vtiles* efficeret vt nullo modo *vti* poſſent; hoc eſt, vt eas reſpectu practico tolleret atque in res nullius conuerteret, quamuis arbitrium, expreſſe, in rebus vtendis cum cuiusque libertate externa ex legibus vniuerſalibus conueniret. — Cum ergo ratio practica pura nullas leges arbitrii vtendi alias quam formales fundamento ponat, ideoque a materia arbitrii, id eſt, reliqua natura rei, *ſi modo arbitrio ſubiecta ſit*, ſibi temperet, reſpectu eiusmodi rei nullum ea interdictum abſolutum vſus illius poteſt continere, quippe quod in pugna foret libertatis externae cum ſe ipſa. — Sed res *arbitrio* meo ſubiecta eſt id, quo, vti libet, vtendi facultate phyſica polleo, cuius vſus in mea potentia verſatur: a quo praeterea diſtinguendum eſt, eam rem in poteſtatem meam redactam habere, quod non ſolum *facultatem*, verum *actum* arbitrii ſupponit. Vt vero aliquid ſolum vt rem arbitrio meo obnoxiam *cogitem*, ſatis eſt, ſi mihi conſcius ſum, eam memet in potentia mea tenere. Ergo ſuppoſitio ex anticipatione eſt rationis practicae, vt quamque rem arbitrio meo obnoxiam vt meum et tuum obiectiue poſſibile conſiderem ac tractem.

Quod poſtulatum dici poteſt lex permiſſiua rationis practicae, nobis poteſtatem faciens, quam ex ſolis de iure in genere conceptibus non poſſemus elicere; nimirum cunctis aliis obligationem iniungendi, quam alias haud habituri eſſent, vt ab vſu certarum rerum arbitrio noſtro ſubiectarum abstineremus, quoniam primum eas occupauimus. Ratio vult, iſtud inſtar principii valeat, et quidem vt ratio *practica*, hoc poſtulato ſuo ex anticipatione ſeſe dilatans.

§. 3.

In poſſeſſione cuiusdam rei is ſit, neceſſe eſt, qui rem vt ſuam obtinere vult; namque niſi in ea foret: non poſſet vſu illius ab alio quodam ſine conſenſu eius facto laedi; quoniam, ſi hanc rem aliquid extra eam, quod cum ea minime iuridice coniunctum eſt, adficit, illud ipſum (ſubiectum) non adficere poſſit nec laedere.

§. 4.

Expoſitio conceptus de meo et tuo externo.

Rerum externarum arbitrio meo propoſitarum non niſi *tres* eſſe poſſunt: 1) *res* (corporea) extra me; 2) *arbitrium* alius ad factum determinatum (praeſtationem); 3) *ſtatus* alius cuiuspiam reſpectu mei; ſecundum categorias *ſubſtantiae*, *cauſſalitatis* et *commercii* inter me et res externas ex legibus libertatis.

a) Equidem rem in *ſpatio* (rem corpoream) dicere non meam poſſum, niſi ſi, *quamquam eam haud phyſice poſſideo*, tamen mihi liceat poſſeſſionem veram aliam (nec proinde phyſicam) obtinere. — Sic malum non idcirco meum dicam, quia illum manu teneo (phyſice poſſideo) verum modo, ſi dicere queam: ergo illum poſſideo, quamquam illum manu mea quocumque repoſui: item ſolum, in quo conſedi, non potero meum dicere propterea; ſed modo ſi adſerere mihi liceat illud etiamnum in poſſeſſione mea teneri, quamuis locum iſtum reliquerim. Is enim, qui mihi in illo caſu (poſſeſſionis empiri-

Digitized by Google

cae) malum e manu extorquere, aut ex cubili meo abripere vellet, reſpectu quidem mei *interni* (libertatis,) non vero externi me laeſurus foret, niſi haud, etiam ſine detentione, in poſſeſſione mali memet poſſem obtinere; nec proinde has res (malum et cubile) itidem haud poſſem meas vocare.

b) *Praeſtationem* cuiuspiam rei per arbitrium alterius non poſſum meam dicere, ſi eam ſolum dicere poſſum cum pacto re inito in poſſeſſionem meam veniſſe, ſed tantum, ſi mihi perhibere liceat, me arbitrium alterius (hunc ad praeſtationem vt determinem), poſſidere, quamquam praeſtationis tempus adhuc futurum videtur; promiſſum huius poſterioris proinde ad facultates (obligatio actiuae) easque ad mea referre poſſum, verum haud ſolum cum *promiſſum* (vti in ſuperiori cauſſa) iam poſſideo ſed etiam, cum illud nondum poſſideo. Ergo cogitur, vt memet tamen in poſſeſſione a poſſeſſione ad conditionem temporis adſtricta, proinde ab empiricà, libere, huiusce rei eſſe me poſſim cogitare.

c) *Vxorem*, *filium*, *famulos* omninoque perſonam aliam haud idcirco poſſum meos vocare, quia nunc, vt ad rem familiarem pertinentes iubeo aut in poteſtate mea ac poſſeſſione teneo, ſed, ſi, quamquam a coactu ſeſe liberarunt, ideoque eos haud (empirice) poſſideo, tamen dicere poſſim, ego eos per meram voluntatem meam poſſideo, quamdiu alicubi aut aliquando exſtent, proinde *ſolum iuridice*; igitur ad facultates meas tum tantum pertinent, ſi et quatenus hoc poſterius poſſim tueri.

§. 5.

Definitio conceptus de meo et tuo externo.

Definitio verbi, hoc eſt, ea, quae ſolum ad rem ab omnibus aliis *diſtinguendam* idonea eſt, atque ex *expoſitione* conceptus plena ad determinata proficiſcitur, haec foret: meum externum eſt illud extra me, in quo pro lubitu vtendo ſi impedirer, laederer (iniu-

ſtum eſſet). — *Definitio rei* huius conceptus autem, hoc eſt, ea, quae etiam ad *deductionem* eius (cognitionis poſſibilitatis rei) ſufficit, ſic ſe habet: meum externum eſt id, in quo vtendo ſi turbarer, laeſio foret, *etſi non eam poſſideam.* — In vlla quadam rei externae poſſeſſione eſſe me oportet, ſi res dici *mea* debeat; alias enim is, qui hanc rem me inuito adficeret, haud ſimul memet adficeret, nec proinde laederet. Ergo cogitur, ex §. 4., vt *poſſeſſio noumenon* vt poſſibilis ſupponatur, ſi meum tuumue externum eſſe debeat; poſſeſſio empirica (detentio) tum non niſi poſſeſſio *phaenomenon* eſt, quamquam *res*, quam poſſideo, hic non, vti in analytica transſcendentali fit, ipſa vt phaenomenon verum vt res per ſe ipſa ſpectatur; ibi enim ratio cognitionem theoreticam naturae rerum, et quam late pateat curabat, hoc autem loco determinationem practicam arbitrii ex legibus *libertatis* ſpectat, ſiue res per ſenſus cognoſci poſſit, ſiue etiam ſolum per intelligentiam puram et *ius* eiusmodi *conceptus rationalis* practicus purus arbitrii eſt legibus libertatis ſubiecta.

Ob hanc ipſam cauſſam merito non deberet dici ius in hac vel illa re, ſed *ſolum* eam potius *iuridice* poſſidere: ius enim iam in poſſeſſione cuiusdam rei intellectuali cernitur; ſed poſſeſſionem poſſidere inani voce ſonaret.

§. 6.

Deductio conceptus poſſeſſionis ſolum iuridicae rei cuiuspiam externae (poſſeſſionis noumeni.)

Nunc quaeſtio illa: quomodo *meum tuumque externum* fieri poteſt? reſoluitur in hanc: quomodo eſſe *poſſeſſio mere iuridica* (intelligibilis) poteſt? haec rurſus in hanc tertiam: quomodo enuntiatio iuris *ſynthetica* ex anticipatione fieri poteſt?

Omnia iuris pronuntiata enuntiationes ex anticipatione ſunt: ſunt ea enim dictamina rationis. Enuntiatio iuris ex anticipatione ratione *poſſeſſionis*

Digitized by Google

empiricae analytica eſt; neque enim quidquam enuntiat amplius, quam quod ſecundum principium repugnantiae ex poſteriori ſequitur, ſcilicet, ſi cuiuspiam rei poſſeſſio (proinde cum illa phyſice coniunctus) ſim, eum, qui contra conſenſum meum illam adficiat (velut malum manu mihi extorqûeat) meum internum (libertatem meam) adficere ac deminuere, proinde in norma ſua cum axiomate iuris certa pugnare. Igitur enuntiatio de poſſeſſione iuſta empirica haud ſuperat ius perſonae reſpectu ſui ipſius.

Contra enuntiatio: de poſſibilitate rem *extra me* poſſidendi, vniuerſis conditionibus poſſeſſionis empiricae in ſpatio et tempore (proinde ſuppoſitio poſſibilitatis poſſeſſionis noumeni), conditiones illas comitantes ſuperat, et, quoniam poſſeſſionem etiam ſine detentione ad conceptum mei tuique externi neceſſariam ſtatuit, *ſynthetica* eſt, et nunc quaeſtioni poteſt rationi ſeruire, vt doceat, quomodo talis enuntiatio vltra conceptum poſſeſſionis empiricae ſeſe dilatans ex anticipatione fieri queat.

Tali modo, vt hoc vtar, poſſeſſio fundi ſingularis in actu verſatur arbitrii priuati, quamuis haud *ſui iuris* videatur. Poſſeſſor *poſſeſſione* nititur *communi* connata ſoli, atque ab hac ex anticipatione conueniente vniuerſali *poſſeſſionis priuatae* licitae in eo (quoniam res vacuae alioquin per ſe atque ex lege res nullius fierent) acquiritque prima poſſeſſione originarie definitum territorium, dum cuiuis alii iure reſiſtit, qui ſe in vſu eius priuato turbaret, quamquam vt in ſtatu naturali haud de iure, quoniam in eo nondum lex publica locum habet.

Etiamſi territorium quoddam pro *libero*, hoc eſt, cuiusuis vſui patens ſpectaretur aut declararetur, tamen dici non poteſt, natura illum atque *originarie*, ante omnem actum iuridicum, liberum eſſe. Quippe quod itidem ratione contineretur ad res, ſcilicet territorium, quod cuiuis poſſeſſionem recuſaret, ſed,

Digitized by Google

quoniam haec libertas territorio cuiuis in interdicto foret, ne illa vteretur; quo poſſeſſio communis illius poſtulatur, quae non poteſt ſine pacto locum habere. Fundus autem, qui non poteſt niſi ex hoc liber eſſe, neceſſe eſt, vt in poſſeſſione eorum omnium (inuicem coniunctorum) ſit, qui vſum eius mutuo ſibi interdicunt, aut ſe ab eo ſummouent:

Haec communio fundi originaria, cum eoque etiam rerum in eo, idea eſt realitatis obiectiuae (iuridice practicae a communione primaeua, quae in figmento verſatur, penitus diuerſa quia haec, neceſſe foret, vt communio *condita* fuerit, a pactoque profecta, quo omnes poſſeſſionem priuatam renuntiaſſent, et quisque, poſſeſſione ſua cum cuiusque alius poſſeſſione coniungenda, illam in poſſeſſionem communem mutaſſet, cuius quidem hiſtoria nobis argumentum proponere deberet. Sed eiusmodi rationem pro vſurpatione poſſeſſionis *originaria* accipere, in eaque cuiusuis hominis poſſeſſionem ſingularem et potuiſſe conſtitui et debuiſſe, pugnat.

A poſſeſſione etiam *ſedes* et ab vſurpatione poſſeſſionis fundi, quo eum aliquando acquiras, differt *incolatus*, qui in poſſeſſione priuata loci cuiusdam perpetua cernitur, ex ſubiecti in illo praeſentia pendente. De incolatu vt actu quodam iuridico ſecundo, qui poſſeſſionem ſequi poteſt, ſed quoque prorſus intermitti, hoc loco non ſermo eſt, quoniam haud poſſeſſio originaria foret, verum ex ſuffragatione aliorum deriuata.

Poſſeſſio fundi ſolum phyſica (detentio) iam ius in re eſt, quamquam vtique nondum idonea ad eam pro mea conſiderandam. Reſpectu aliorum ea; vt poſſeſſio (quantum nouimus) prima, cum lege libertatis externae convenit, vnaque poſſeſſione communi originaria continetur, quae ex anticipatione rationem poſſibilitatis poſſeſſionis priuatae complectitur; proinde in laeſione eſt, ſi primum fundi cuiusdam poſſeſſorem in vtendo illo turbaueris. Igitur occupationis primae titulus poſſeſſionis eſt, qui in poſſeſſione communi originaria verſatur, et pronuntiatum illud: beati poſſidentes! eo quod nemo ad poſſeſſionis ſuae documenta danda obligatur, principium iuris naturalis, quod occupationem primam vt rationem iuridicam acquiſitionis proponit, quo quiuis poſſeſſor primus niti poſſit.

Digitized by Google

Nimirum principio *theoretico* ex anticipatione (ſecundum criticam rationis purae), conceptui dato viſio ex anticipatione ſubiicienda, proinde quidpiam ad conceptum rei *addendum* foret; verum in hoc practico ratio contraria eſt, omnesque conditiones viſionis, quibus poſſeſſio empirica confirmatur, *tollendae* (ex illis capiendae) ſunt, vt conceptus poſſeſſionis vltra *empiricum* amplificari et dici poſſit: quaeuis res externa arbitrio obnoxia ad meam poteſt iuridicam referri, quam (atque item non niſi quatenus eam) in poteſtate mea habeo, quamuis eam haud poſſideam.

Poſſibilitas eiusmodi poſſeſſionis, proinde deductio conceptus poſſeſſionis haud empiricae, poſtulato rationis practicae iuridico nititur; „in officio eſſe iuris vt erga alios ita agas, vt externum (vtile) etiam vllius cuiuspiam ſuum queat fieri“ ſimul cum expoſitione conceptus poſterioris ſuum externum duntaxat in poſſeſſione *haud phyſica* conſtituentis, coniuncta. Sed huius poſterioris poſſibilitas nullo modo per ſe ipſa poteſt euinci aut perſpici, (ob eam ipſam cauſſam, quia conceptus rationis eſt, cui nulla poteſt viſio conſentanea proponi), verum ex poſtulato illo proxime conſequitur. Namque, ſi neceſſe eſt, vt ex illo principio iuridico agas, cogitur etiam, vt conditio intelligibilis (poſſeſſionis ſolum iuridicae) fieri queat. — Neque cuiquam mirum videri debet principia *theoretica* mei tuique externi ad rationem intelligibilem abire, nullamque cognitionem amplificatam repraeſentare; ſiquidem conceptus libertatis, quo nituntur, nullam deductionem theoreticam poſſibilitatis ſuae concedit, nec niſi ex lege rationis practica (imperatiua categorica) vt factum illius, poteſt concludi.

§. 7.

Adplicatio principii poſſibilitatis mei tuique externi ad res experientiae ſubiectas.

Conceptus poſſeſſionis ſolum iuridicae non eſt conceptus empiricus (ex ſpatio conditionibusque temporis pendens) et tamen realitate practica gaudet, hoc eſt, neceſſe eſt, vt ad res experientiae propoſitas, quarum cognitio ex illis conditionibus pendet, queat transferri. — Ratio conceptus iuridici ad res experientiae obnoxias, vt meum tuumque externum poſſi-

bile adplicandi haec eſt: Conceptus iuridicus, qui ſolum in ratione ineſt, haud *proxime* poteſt ad res experientiae ſubiectas, ad conceptumque *poſſeſſionis* empiricae, ſed proxime debet ad conceptum intel lectualem purum *poſſeſſionis* in genere adplicari, ita, vt, pro *detentione*, vt repraeſentatione poſſeſſionis empirica, conceptus ab vniuerſis ſpatii temporisque conditionibus ſibi temperans *vſus* nec niſi vt res *in poteſtate mea poſita ſit*, cogitetur; vbi tum vocabulum *externi* haud exiſtentiam in *loco alio*, quam quem ego capio, aut decreti voluntatis meae ſumtionisque quaſi tempore alio, quemadmodum verbum oblationis, ſed modo rem a me *diuerſam* denotat. Atqui ratio practica lege ſua iuridica iubet, vt meum tuumque in adplicatione ad res haud ex conditionibus ſenſibus ſubiectas, ſed his neglectis, quia de arbitrio agitur ex legibus libertatis determinando, etiam poſſeſſionem eius cogitem, propterea quod ſolum *conceptus intellectualis* poteſt ad conceptus iuridicos adſumi. Ergo dicam: ego agrum poſſideo, quamquam is longe alius locus eſt; quam in quo reapſe verſor. Sermo enim hoc loco tantummodo de ratione ad rem intellectuali eſt, quatenus eam in poteſtate *mea* poſitam habeo (qui conceptus poſſeſſionis eſt intellectualis a ſpatii determinationibus vacuus) eaque *mea* eſt, quoniam voluntas mea, ad eumdem vſum liberum ſeſe determinans, legi libertatis externae haud repugnat. Atque in eo ipſo, quod, *miſſa* poſſeſſione phaenomeno, (detentione) huius rei arbitrio meo ſubiectae, ratio practica poſſeſſionem ſecundum conceptus intellectuales, non ſecundum empiricos, ſed eos, quibus ex anticipatione conditiones illius contineri poſſunt, iubet cogitari, ratio ineſt valoris eiusmodi conceptus de poſſeſſione noumeno, vt legislatione vniuerſae, rata; talis enim continetur formula: „haec res externa *mea* eſt;“ quoniam vniuerſis aliis eo obligatio iniungitur; ab vſu eius abstinendi, quae alias iis haud foret.

Modus igitur aliquid extra me vt meum habendi, coniunctio eſt mere iuridica voluntatis ſubiecti cum

Digitized by Google

illa re, libere ab ratione ad illam in ſpatio et tempore, ſecundum conceptum poſſeſſionis intelligibilis. Locus in terra non idcirco in meis externis eſt, quia corpore meo illum occupo (ſiquidem hoc loco duntaxat de *libertate* mea externa, proinde de ipſa poſſeſſione mea, non vero de re extra me agitur, ideoque modo ius internum videtur); ſed ſi eam adhuc poſſideo, quamuis ab eo meinet remouerim in aliumque locum contulerim, tum ſolum de iure meo externo agitur, et illi, qui occupationem huius loci per meam perſonam perpetuam ſtatuere pro conditione velit, illum vt meum habendi, aut adſerendum eſt, fieri nullo modo poſſe, vt quidpiam externum vt ſuum queat haberi (quod pugnat cum poſtulato §. 2.), aut vult, vt, quo iſtud fieri poſſit, ego duobus in locis ſimul ſim; id quod idem eſt, atque: vt in aliquo loco ſim et non ſim, quo ſecum ipſe pugnat.

Id quod etiam transferri ad cauſſam poteſt, cum accepi promiſſum; tum enim facultas mea poſſeſſioque promiſſi eo haud tollitur, quod promittens aliquando dixit: haec res tibi cedito, aliquantum vero poſt de eadem re dicit: nunc volo, rem tibi non cedere. Nam cum eiusmodi rationibus intellectualibus ſic comparatum eſt, quaſi ille ſine tempore inter duas voluntatis declarationes interiecto dixiſſet, res tua eſto, atque etiam res non tua eſto, id quod tum pugnat.

Idem etiam locum habet de conceptu poſſeſſionis iuridicae cuiusdam perſonae, ad facultates ſubiecti pertinentis (velut vxoris, filii, ſerui): ſcilicet hanc communionem domeſticam poſſeſſionemque mutuam ſtatus membrorum eius omnium per facultatem ab ſe inuicem *quoad locum* ſe ſeparandi, non tolli; quoniam ratio *iuridica* eſt, qua coniunguntur, meumque et tuum externum hoc loco, pariter atque in ſuperioribus cauſſis, penitus in ſupponenda poſſibilitate poſſeſſionis rationalis purae ſine detentione poſitum videtur.

Digitized by Google

Ad criticam rationis iuridice practicae in conceptu mei tuique interni, haec proprie per antinomiam enuntiationum de possibilitate eiusmodi possessioni cogitur, hoc est, duntaxat per dialecticam ineuitabilem, in qua thesis et antithesis ius conditionum duarum pugnantium pariter sibi vindicant, ratio etiam in vsu practico (qui ius attingit) cogitur, vt inter possessionem phaenomenon, et solum per intelligentiam cogitabilem distinguat.

Thesis est: *fieri potest*, vt aliqu'd externum vt meum habeam; quamuis illud haud possideam.

Antithesis est: *Fieri non potest*, vt aliquid externum, tamquam meum habeam; nisi illud possideam.

Solutio: ambo pronuntiata vera sunt: superius, si possessionem empiricam (possessionem phaenomenon); posterius hoc verbo possessionem intelligibilem puram (possessionem noumenon) intelligam. — Sed possibilitas possessionis intelligibilis, proinde etiam mei tuique externi non potest intelligi, verum ex postulato rationis practicae elicienda est, in qua praecipue notatu dignum videtur: hanc, sine visionibus ipsis, ita vt ne vlla quidem ex anticipatione indigeat, mera *omissione* conditionum empiricarum, ab lege libertatis concessa, sese *amplificare* atque ita effata iuris *synthetica* ex anticipatione proponere posse, quorum probatio (vti mox docebitur) postea respectu practico ratione potest analytici pertractari.

§. 8.

Vt aliquid externum vt meum habeam fieri non potest, nisi in statu iuridico, sub potestate publice legislatoria, hoc est, in statu ciuili.

Quodsi (verbo factoue) declarem, velle me, vt quidpiam externum meum sit, quemque alium declaro obligatum ad sibi ab re arbitrio meo proposita temperandum: quam quidem conditionem sine hoc actu meo iuridico habiturus foret. In hac petitione vero simul confessio inest: memet cuiuis alii respectu sui externi mutuo ad conuenientem abstinentiam esse obstrictum, namque obligatio hoc loco ex regula quadam vniuersali rationis iuridicae externae profi-

ciſcitur. Igitur haud obſtrictus teneor ad bona externa alterius integra atque intacta relinquenda, niſi quisque alius viciſſim etiam adſeueret, ſe reſpectu mei ad idem ſeſe principium compoſiturum fore, quae quidem cautio nullius omnino actus iuridici indiget, verum iam in conceptu obligationis iuridicae externae, propter vniuerſalitatem, proinde quoque rationem obligationis reciprocam ex regula vniuerſali, ineſt. — Atqui voluntas vnius partis reſpectu poſſeſſionis externae, proinde fortuitae, non cuiuis eſſe legi poteſt cogenti, quoniam haec libertati ex legibus vniuerſalibus officeret. Ergo vna tantum voluntas, quemque aliam obligans, proinde collectiue vniuerſalis (communis) et poteſtate pollens eſt ea, quae cuiuis poteſt illam ſecuritatem praeſtare. — Sed ſtatus ſub legislatione externa vniuerſali (hoc eſt, publica) potentia ſtipata, eſt ciuilis. Ergo non niſi in ſtatu ciuili meum tuumque externum eſſe poteſt.

Conſectarium: Quodſi neceſſe eſt, fieri poſſe, vt rem externam vt tuam habeas: pariter neceſſe eſt, ſubiecto licere, vt cuique alii, quocum controuerſia de meo tuoque reſpectu eiusmodi rei oriatur, *neceſſitatem imponat*, ſecum coniunctim eiusmodi ſtatum ciuilem ineundi.

§. 9.

In ſtatu naturali vtique verum meum tuumque externum, ſed modo ad praecauendum locum habere poteſt.

Iuri naturae in ſtatu conſtitutionis ciuilis (hoc eſt illud, quod huic a principiis ex anticipatione derivari poteſt) legibus ſtatutariis huiusce non poteſt detrimentum adferri, atque ita principium iuridicum valet: is, qui ſecundum normam agit, qua fieri non poſſit, vt rem arbitrio meo ſubiectam tamquam meam habeam, me laedit; nam conſtitutio ciuilis ſola in ſtatu iuridico verſatur, quo ſuum cuiuis duntaxat cauetur, reapſe vero haud decernitur et definitur. — Igitur omni ſponſione ſuum illi (cui cauetur) iam ſupponitur. Proinde ante conſtitutionem ciuilem

Digitized by Google

meum tuumque externum vt poſſibile ſumendum eſt, et ſimul ius, cuiuis, quocum vllo modo rem habere poſſimus, neceſſitatem imponendi, vt nobiscum conſtitutionem ineat, qua illud queat caueri. — Poſſeſſio tali ſtatu exſpectato praeparatoque, qui ſolum poteſt in lege voluntatis communis conſtitui, qui proinde cum *poſſibilitate* huius conuenit, poſſeſſio eſt *prouiſorie-iuridica*, contra ea, quae in eiusmodi ſtatu *actuali* deprehenditur, poſſeſſio *peremtoria* foret. — Ante ingreſſum in hunc ſtatum, ad quem ſubiectum paratum eſt, iis iure reſiſtit, qui ſeſe ad eum non adcommodare atque in poſſeſſione praeſente illum turbare volunt; quoniam voluntas aliorum omnium, praeter illum ipſum, qui eum obligare cupit a quadam poſſeſſione deſiſtendi, ſolum *vnius partis* eſt, proinde aeque minus vim legis (quippe quae ſolum in voluntate vniuerſali inuenitur) contradicendi habet, quam illa adſerendi, cum interim tamen poſteriori poteſtas ſit, ad inſtituendum condendumque ſtatum ciuilem ſuffragandi. — Verba: modus aliquid externum vt ſuum in *ſtatu naturae* habere, poſſeſſio phyſica eſt, cui *praeſumtio* iuridica fauet, eam, per coniunctionem cum voluntate omnium in legislatione publica, iuridicam reddendo, locumque in exſpectatione *comparatiue* habet *iuridicae*.

Hic iuris principatus ex ſtatu poſſeſſionis empirico ſecundum formulam: *beati poſſidentes!* non in eo conſiſtit, vt, quia animo *vir iuridicus* praeſumatur, non opus habeant probationem adferre, ſeſe quidpiam legitime poſſidere (hoc enim duntaxat in iure controuerſo locum habet) ſed quoniam, ſecundum poſtulatum rationis practicae, cuique facultas competit, rem externam arbitrio ſuo obnoxiam vt ſuam habendi, proinde quaeuis detentio in ſtatu verſatur, cuius veritas in poſtulato illo per actum voluntatis antecedentis nititur, et qui, niſi poſſeſſio alius cuiuspiam vetuſtior officiat, ergo ante, ſecundum legem libertatis externae, poteſtatem facit, quemuis, qui mecum non vult ſtatum libertatis publice legalis inire, ab omni vſurpatione eiusmodi rei arcendi, vt poſtulato rationis conuenienter, rem, quae alioquin practice ſublata foret, vſui tuo ſubiicias.

Digitized by Google

CAPUT SECUNDUM.

DE MODO ALIQUID EXTERNUM ADQUIRENDI.

§. 10.

Principium vniuerſale adquiſitionis externae.

Adquiro aliquid, cum efficio, vt meum ſit. — Originarie meum illud externum eſt, quod etiam ſine actu iuridico meum videtur. Sed originaria adquiſitio ea eſt, quae non ab re alius cuiusquam derivata eſt.

Nihil externum originarie meum eſt; ſed vtique originarie, hoc eſt, ita, vt haud ab re vllius cuiuspiam alius ius deriuetur, eſſe adquiſitum poteſt. — Status communionis mei tuique numquam poteſt originarius cogitari, ſed (actu iuridico externo) adquiri debet; quamquam poſſeſſio rei cuiusdam externae originaria eſſe et communis poteſt. Verum ſi (problematice) communionem mei et tui *originariam* cogitatione tibi informes: tamen ea a communione *primaeua* diſtinguenda eſt, quae, tamquam primo rationum iuridicarum in hominibus *tempore* condita, ſumitur, nec, vti prior, in principiis poteſt, ſed modo in hiſtoriam conſtitui, in qua tamen poſterior ſemper vt adquiſita deriuataque (communio deriuatiua) cogitanda foret.

Iam adquiſitionis externae principium hoc eſt: quod (ex lege *libertatis* externae) poteſtati meae ſubiectum, vt rem arbitrio meo obnoxiam, vſurpandi (ex poſtulato rationis practicae) facultatem habeo: quod denique (ideae *voluntatis* coniunctae poſſibilis) meum eſſe *volo*, id eſt meum.

Quamobrem in adquiſitione *originaria* attendenda ſunt: 1) *adprehenſio* rei cuiusdam nullius, alioquin ea libertati aliorum ex legibus vniuerſalibus re-

pugnaret. Haec *adprehenſio* cernitur in occupatione rei arbitrio ſubiectae in ſpatio et tempore; proinde poſſeſſio, quam capio, eſt poſſeſſio phaenomenon. 2) *Declaratio* poſſeſſionis huius rei actusque arbitrii mei quemuis alium ab ea arcendi. 3) *Adpropriatio* vt actus voluntatis extrinſecus vniuerſe legislatoriae (in idea), qua quisque ad conuenientiam cum arbitrio meo obligatur. — Firmitas momenti adquiſitionis poſtremi, quo connexio: res externa *mea* eſt, nititur, hoc eſt, poſſeſſionem, vt *mere iuridicam*, locum habere, in eo poſita eſt: quod, cum omnes actus iſti *iuridici* ſint, proinde ex ratione practica proficiſcantur, ideoque in quaeſtione de eo, quid iuris ſit, a conditionibus poſſeſſionibus empiricis nobis temperare poſſimus, concluſio: res externa mea eſt, a poſſeſſione ſenſibili ad intelligibile recte efficitur.

Adquiſitio rei cuiuspiam externae arbitrio propoſitae originaria dicitur *occupatio*, nec ſecus poteſt, quam in rebus corporis (ſubſtantiis) locum habere. Quae, vbi locum habet, pro conditione poſſeſſionis empiricae loco temporis indiget quouis alio priori, qui re quadam vult potiri, (qui prior tempore potior iure.) Ea vt originaria etiam tantum ex arbitrio conſequitur *vnius partis*; quam enim ſi vtriusque partis arbitrium poſtularetur, a pacto duarum (pluriumue) perſonarum, proinde ab re aliorum deriuata foret. — Quomodo eiusmodi actus arbitrii, qualis ille eſt, ſuum cuique conſtituere poſſit, haud facile intellectu videtur. — Interim adquiſitio *prima* idcirco non eſt ſtatim *originaria*. Namque adquiſitio ſtatus iuridici publici voluntate omnium ad legislationem vniuerſalem coniungenda, quam nulla debet alia antecedere, et tamen ea a voluntate ſingulari cuiusque deriuata foret *omnium*que *partium*: cum tamen adquiſitio originaria tantum ex voluntate vnius partis queat proficiſci.

Digitized by Google

DESCRIPTIO

adquiſitionis mei tuique externi.

1) Quoad *materiam* (rem) aut *rem* corpoream (ſubſtantiam) adquiro, aut *praeſtationem* (cauſſalitatem) alius cuiusdam aut hanc *perſonam* aliam ipſam, hoc eſt, illius ſtatum, quatenus ius adquiro, de illo conſtituendo (commercium cum ea).

2) Quoad *formam* (adquirendi modum) aut *ius reale* eſt aut *perſonale*, aut *realiter perſonale* poſſeſſionis (quamquam haud vſus) perſonae cuiusdam alius vt rei.

3) Quoad *titulum iuris* adquirendi; qui proprie nullus ſingularis diuiſionis iurium articulus, ſed tamen momentum eſt modi ea exercendi: actu arbitrii vel *vnius partis* vel *duarum partium* vel *omnium*, quo aliquid externum (facto, pacto, lege) adquiritur.

SECTIO PRIOR.

DE IURE REALI.

§. 11.

Quid eſt ius reale?

Ius in re definiri ſolet ius *contra quemque illius poſſeſſorem*. Quae definitio nominis vera eſt. — At quid eſt illud, quo efficitur, vt propter rem quamdam externam quemuis poſſeſſorem illius prehendere, et (per vindicationem) cogere poſſim, vt mihi poſſeſſionem eius rurſum cedat? An forte haec ratio iuridica externa arbitrii mei ratio *proxima* eſt ad rem corpoream? Sic ſane neceſſe foret, vt is, qui ius ſuum haud proxime ad perſonas, ſed ad res relatum cogitet, mente ſibi (quamuis obſcure) depingeret: nimirum, quia iuri ex vna parte officium reſpondet,

ex altera vero momentum, quo res externa quamquam poſſeſſori primo haud amplius in manibus eſt, huic tamen etiamnum maneat *obnoxia*, id eſt, cuique poſſeſſori alii arroganti ſe recuſet, quoniam illi iam obnoxia eſt, atque ita ius meum, inſtar *genii* cuiusdam rem comitantis contraque omnem impetum alienum cuſtodientis poſſeſſorem alienum ſemper ad memet amandet. Ergo abſurdum eſt, obligationem perſonae erga res et rurſus retro cogitari, etſi forte concedi poſſit, vt ratio iuridica tali imagine ad ſenſum reuocetur, et nosmet tali oratione vtamur.

Definitio rei proinde ſic ſe haberet: *ius in re* eſt ius vſus priuati cuiuspiam rei, in cuius poſſeſſione (originaria vel condita) communi ego quidem cum aliis vniuerſis verſor. Quae vna quidem conditio eſt, qua ſola fieri poteſt, vt quemuis poſſeſſorem alium ab vſu rei priuatae excludam (ius contra quemlibet huius rei poſſeſſorem), quia, tali poſſeſſione communi haud ſuppoſita, nullo modo cogitari poteſt, memet, qui tamen rem non poſſideo, ab aliis, qui eam tenent illaque vtuntur, laedi poſſe. — Arbitrio vnius partis neminem alium poſſum obligare, vt ab vſu rei abſtineat, quo alias haud obſtrictus foret: ergo non niſi arbitrio omnium in poſſeſſione communi coniuncto. Alioquin ius in re cogitatione mihi informandum foret: quaſi rei erga me obligatio eſſet, ab eaque demum ius contra quemque illius poſſeſſorem deriuandum; quae cogitatio abſurda videtur.

Caeterum verbo: ius reale non ſolum ius in re verum etiam *complexus* legum omnium, quae meum tuumque reale attingunt, intelligitur. — Eſt autem manifeſtum, hominem, qui in terra ſolitarius verſaretur, reapſe nullam rem externam vt ſuam habere poſſe vel adquirere; quoniam inter illum, vt perſonam, et omnes res externas alias, vt res, nulla omnino ratio obligationis eſt. Ergo, proprie et ad verbum ſumtum, nullum quoque ius (directum) in re

eſt, ſed illud tantummodo ſic vocatur; quod cuipiam erga perſonam competit, quae in aliis omnibus (in ſtatu ciuili) in poſſeſſione communi verſatur.

§. 12.

Prima rei adquiſitio nulla eſſe alia poteſt quam fundi.

Fundus (quo omnis terra habitabilis intelligitur), reſpectu omnium in eo mobilium, vt *ſubſtantia*, ſed mobilia duntaxat, vt *inhaerentia*, ſub contemplationem cadunt, et quemadmodum ſenſu theoretico accidentia non poſſunt extra ſubſtantiam exſtare, ſic ſenſu practico mobile in fundo non poteſt ſuum cuiuspiam eſſe, niſi hic antea vt in poſſeſſione illius iuridica conſtitutus (vt ſuum illius) accipiatur.

Fac enim, fundum ad quempiam pertinere: tum quamlibet rem mobilem, quae in illo eſt, pellere ex loco potero, vt eum ipſe occupem, donec ea prorſus euaneſcat, ita vt libertati illius cuiuspiam alius, qui eam ipſam nunc haud poſſidet, eo officiatur; quodcumque autem euerti poteſt, velut arbor, domus et ſimilia (certe quoad materiam) mobile eſt, et ſi rem quae non poteſt, niſi forma euertenda moveri, *immobilem* dixeris, meum tuumque in illa non de ſubſtantia, ſed de illi inhaerente intelligitur, quod haud in re ipſa verſatur.

§. 13.

Quilibet fundus originarie adquiri poteſt, et ratio poſſibilitatis huiusce adquiſitionis communio fundi originaria in genere eſt.

Reſpectu ſuperioris hoc pronuntiatum poſtulato rationis practicae (§. 2.) nititur: poſterius vero ſequenti probatione.

Omnes homines ordinarie (hoc eſt, ante omnem actum arbitrii) in iuſta fundi poſſeſſione, id eſt, gaudent iure ibi verſandi, quo natura caſusue (ſine volun-

Digitized by Google

tate illorum) collocauit. Haec poſſeſſio, ab ſede, vt poſſeſſione voluntaria, proinde adquiſita, *perpetua* diuerſa, eſt poſſeſſio *communis*, propter vnitatem locorum omnium in ſuperficie terrae, vt ſuperficie ſphaerica; quoniam, ſi planities infinita foret, homines in ea adeo diſſipari poſſent, vt in nulla omnino communione inuicem verſari poſſent, haec igitur ex exſiſtentia illorum in terra haud neceſſario conſequeretur. — Poſſeſſio omnium hominum in terra, ante omnem actum iuridicum illorum antegreſſa (ab natura ipſa conſtituta) eſt *communio poſſeſſionis originaria*, cuius conceptus haud empiricus eſt, nec e temporis conditionibus pendet, vti fere conceptus factus ſed numquam probabilis *communionis primaeuae*, verum conceptus rationalis practicus, ex anticipatione complectens principium, ſecundum quod ſolum homines loco poſſunt in terras ex iuris legibus vti.

§. 14.

Actus iuridicus huius adquiſitionis eſt occupatio.

Adprehenſio, vt initium detentionis rei corporeae in ſpatio (poſſeſſionis phyſicae) nulla conditione alia cum lege libertatis externae cuiusque hominis (proinde ex anticipatione) conuenit, quam conditione *loci prioris* reſpectu temporis, hoc eſt, non niſi vt adprehenſio *prior*, quae in actu arbitrii verſatur. Sed voluntas, vt res (proinde quoque locus in terra deſcriptus ac definitus) mea ſit, hoc eſt, adpropriatio in adquiſitione originaria, non niſi voluntas vnilateralis ſeu propria eſſe poteſt. Adquiſitio rei externae arbitrio ſubiectae per voluntatem vnilateralem eſt *occupatio*. Ergo adquiſitio originaria illius, proinde quoque fundi dimenſi fieri non poteſt niſi occupatione. —

Poſſibilitas tali modo adquirendi, nullo modo poteſt intelligi, nec argumentis euinci, ſed proxime conſequitur ex poſtulatione rationis practicae. Eadem

voluntas vero adquiſitioni externae non aliter poteſt ius tribuere, ac tantum quatenus ea voluntate, ex anticipatione coniuncta (hoc eſt, arbitrio omnium, qui in rationem practicam mutuam conſtitui poſſunt, coniuncto) abſolute praecipiente continetur; nam voluntas vnilateralis (ad quam etiam bilateralis, ſed tamen *ſingularis* voluntas pertinet) haud cuiuis poteſt obligationem, quae per ſe fortuita eſt, imponere, verum eo voluntate opus eſt *omnilaterali* haud fortuito, ſed ex anticipatione, proinde neceſſario coniuncta atque idcirco ſolum legislatoria; nam non niſi ex hoc eius principio conuenientia arbitrii liberi cuiusuis hominis cum libertate cuiuslibet, proinde ius in vniuerſum, ideoque etiam meum tuumque externum eſſe poteſt.

§. 15.

Non niſi in conſtitutione ciuili quidpiam peremtorie poteſt, contra in ſtatu naturali quidem etiam, ſed modo prouiſorie adquiri.

Status ciuilis, quum illius exſiſtentia ſubiectiue fortuita eſt, nihilominus obiectiue, hoc eſt vt officium, neceſſarius videtur. Proinde illius et conſtitutionis reſpectu lex iuris naturalis actualis eſt, cui omnis adquiſitio externa ſubiecta eſt.

Titulum adquiſitionis *empiricum* vidimus adprehenſionem phyſicam eſſe in communione fundi originaria conſtitutam, quia poſſeſſioni ex conceptibus iuris rationalibus duntaxat poſſeſſio *phaenomenon* ſubiici poteſt; quae adprehenſioni intellectualis (vniuerſis conditionibus in ſpatio ac tempore miſſis) reſpondere debet, et quae principium conſtituit: quidquid ex legibus libertatis externae poteſtati meae ſubiicio, meumque eſſe volo, id meum redditur.

Sed *titulus* adquiſitionis *rationalis* non poteſt niſi in idea voluntatis omnium ex anticipatione coniunctae

(neceſſario coniungendae) ineſſe, quae hoc loco vt conditio ſine qua non tacite ſupponitur; etenim voluntate vnilaterali aliis non poteſt obligatio imponi, quam alioquin per ſe haud habituri forent. — Status autem voluntatis ad legislationem vniuerſe reapſe coniunctae eſt ſtatus ciuilis. Ergo duntaxat ideae ſtatus ciuilis conuenienter, hoc eſt, reſpectu illius eiusque efficiendi, ſed ante actualitatem eius (alias enim adquiſitio foret deriuata) proinde duntaxat *prouiſorie* quidpiam externum *originarie* adquiri poteſt. — Adquiſitioni *peremtoriae* tantummodo in ſtatu ciuili locus eſt.

Nihilominus illa prouiſoria tamen vera adquiſitio eſt, namque ex poſtulato rationis iuridico-practicae, poſſibilitas illius, in quocumque ſtatu homines vna fuerint (ergo etiam in ſtatu naturali) in principiis eſt iuris priuati, ſecundum quod cuique ius competit coactus illius, quo ſolo fit, vt ex illo ſtatu naturali exire queas, atque in ciuilem, quo ſolo vniuerſa adquiſitio poteſt peremtoria reddi, intrare.

Quaeritur: quam late patet poteſtas adprehendendi fundi? Tam late, quam facultas porrigitur eum in poteſtate habendi, hoc eſt, quam is, qui illum ſibi adſerere vult, cum defendere poteſt; quaſi fundus diceret: ſi me vos non poteſtis defendere, mihi quoque haud imperare poteſtis. Ex quo proinde etiam controuerſia de mari *libero clauſoue* dirimenda foret; velut intra diſtantiam, quo tormenta bellica grandiora pertinent, nemini licet in ora terrae cuiusdam, certae cuidam ciuitati iam propriae, piſcari, ſuccinum e profundo mari arceſſere, et ſimilia. — Porro: An cultura fundi (aedificiis implendo, aratro ſcindendi, aquis purgandis et id genus alia) ad eius adquiſitionem neceſſaria eſt? Minime! cum enim hae formae duntaxat in accidentibus verſentur, nulla res efficitur poſſeſſioni proximae obnoxia, ad poſſeſſionemque ſubiecti tantum pertinere poſſunt, quatenus antea ſubſtantia vt res eius propria agnita fuerit. Cultura, ſi de quaeſtione agitur de adquiſitione prima, nil niſi ſignum externum adprehenſionis, quod multis aliis, minori opera pariendis, compenſari poteſt. — Porro: an licet quemquam in actu adprehenſionis turbari, ita vt neuter iuris loci

Digitized by Google

prioris particeps fiat, atque ita fundus ſemper vt nemini proprius liber maneat? *Omnino* haec impeditio non poteſt locum habere, quoniam alter, vt hoc facere poſſit, ipſe quoque in vllo quodam fundo vicino verſetur neceſſe eſt, vbi proinde quo minus verſetur, ipſe impedire poteſt, ideoque impeditio *abſoluta* repugnaret; ſed *reſpectu* cuiusdam fundi (interiacentis) hunc, vt *nullius partis*, ad duos finitimos ſeparandos in medio relinqui, tamen cum iure occupationis poſſet conſiſtere, tum vero reuera hic fundus vtriusque eſt, nec *res nullius*, ob eam ipſam cauſſam, quoniam eo ambo ad ſeſe ſeparandos *vtuntur*. — Porro: an in fundo, cuius nulla pars cuiquam propria eſt, tamen poteris rem vt tuam habere? Ita, velut in Mongolia ſua quisque vaſa poteſt derelinquere, equumue ſibi elapſum vt ſuum capere, quia vniuerſus fundus populo, eius proinde vſus cuiuis ſingulari homini liber videtur; vt vero quisquam rem poſſit mobilem in fundo alterius vt ſuam habere, fieri quidem poteſt, ſed non niſi ex *pacto*. — Tandem quaeſtio: an duo vicini populi (vel familiae) inuicem ſibi reſiſtere poſſunt, in fundo certo quodam modo vtendo, veluti populi venatorii paſtorio, aut agricolis, aut hi plantatoribus, et ſic porro? Etiam; nam modus, quo in terra omnino *conſidere* volunt, cernitur in eo, cum intra fines ſuos ſe continent, quae res eſt merae facultatis.

Tandem etiam quaeri poteſt: an, ſi neque natura nec caſu ſed ſolum propria voluntate noſtra populo cuidam vicini reddamur, qui nobis nullam ſpem facit coniunctionis cum eo ciuilis, nosmet, vt hanc condamus eosque homines (feros) in ſtatum iuridicum transferendi (velut forſan feros Americanos, Hottentottos, Neohollandos) poteſtatem haberemus, ſi opus ſit, vi, vel (quod fere idem eſt) emtione fallaci, colonias condendi atque ita hoc fundo potiundi, et, nullo habito reſpectu poſſeſſionis prioris, maiori potentia noſtra vtendi. Praeſertim quum natura ipſa (quippe quae vacuum auerſatur) ita poſtulare videatur, magnique terrae tractus in noſtris orbis terrarum partibus incolis moratis vacui manſiſſent, qui nunc maxime frequentati ſunt, adeone ſempiternum manere deberent, atque ita finis creationis irritus redderetur? Verum velamen iſtud iniuſtitiae (Ieſuitismum) omnia inſtrumenta ad bonos fines adprobandi, facile viſu penetratur; igitur hic modus fundi adquirendi reiiciendus videtur.

Infinitio, reſpectu cum quantitatis tum qualitatis rei parabilis externae, hanc quaeſtionem (adquiſitionis vnius

Digitized by Google

externae originaria) omnium explicatu difficillimum reddit. Interim tamen neceſſe eſt, vllam quampiam adquiſitionem externi originariam eſſe; nam haud omnis poteſt deriuata videri. Quapropter haec quaeſtio non poteſt vt inenodabilis ac per ſe impoſſibilis abiici. Verum, etiamſi ex pacto originario explicetur, tamen, niſi hoc ad vniuerſum genus humanum pertineret, adquiſitio etiamnum duntaxat prouiſoria manebit.

§, 16.

Expoſitio conceptus de adquiſitione fundi originaria.

Omnes homines originarie in communione fundi totius terrae verſantur, cum *voluntate* natura illis propria (cuiuslibet) eo vtendi (lex iuſti), quae, per oppoſitionem natura ineuitabilem arbitrii vnius arbitrio alterius, omnem illius vſum tolleret, niſi illa ſimul lex huic contineretur, qua cuilibet *poſſeſſio ſingularis* poteſt in fundo communi definiri (lex iuridica). Verum, lex mei tuique cuiusuis in fundo distributiua, ſecundum axioma libertatis externae, haud ſecus poteſt quam ab voluntate *originarie* atque ex anticipatione coniuncta (quae ad hanc coniunctionem nullum actum iuridicum ſupponit), proinde modo in ſtatu ciuili, prodire (lex iuſtitiae distributiuae), qui ſolus, quid *iuſtum iuridicum*que et *iuris* ſit, definit. — In hoc vero ſtatu, hoc eſt, ante conſtitutionem et reſpectu illius, hoc eſt, *prouiſorie*, ex lege adquiſitionis internae agere, in *officio* eſt, proinde quoque facultas voluntatis iuridica quemlibet ad actum occupationis et adpropriationis, quamquam duntaxat vnilateralis eſt, ratum agnoſcendum, obligandi; proinde adquiſitio fundi prouiſoria, cum vniverſis conſequentibus iuridicis, fieri poteſt.

Verum tamen eiusmodi adquiſitio indiget *fauore* legis (lege permiſſiua), quae illi etiam fauet, reſpectu terminorum poſſeſſionis iuridicae poſſibilis conſtituendorum; quoniam ante ſtatum iuridicum antecedit, et vt tantum ad eum inſtituens nondum peremtoria eſt,

qui *fauor* vero non latius patet, quam vsque ad consensum *aliorum* (participantium) ad hunc condendum, quibus vero resistentibus ad hunc (ciuilem) ingrediendum, et, quamdiu hic durat, omne effectum adquisitionis iustae cohibet, quoniam hic egressus in officio constitutus est.

§. 17.

Deductio conceptus de adquisitione originaria.

Titulum adquisitionis in communione fundi originaria, proinde in conditionibus spatii possessionis externae, sed *adquirendi modum* in conditionibus empiricis adprehensionis, coniunctis cum voluntate, rem externam vt suam habendi, inuenimus. Nunc etiam opus est, vt *adquisitionem* ipsam, id est, meum tuumque externum, quod ex ambabus partibus datis sequitur, nempe possessionem rei noumenon, pro iis, quae conceptu eius continentur, ex principiis rationis iuridico-practicae purae explicemus.

Conceptus iuridicus de meo tuoque externo, quatenus *substantia* est, quoad vocabulum *extra me*, non potest locum alium, quam quem ego capio, denotare: siquidem conceptus intellectualis est; sed, cum ad hunc non nisi conceptus intellectualis purus adsumi possit, solum quidpiam a me diuersum conceptumque possessionis haud empiricae, (adprehensionis quasi continuantis) verum modo conceptum *in potestate mea positae* (coniunctionem illius mecum vt conditionem subiectiuam possibilitatis vsus) *rei externae*, qui conceptus intellectualis purus est, designare. Atqui omissio siue abstinentia (abstractio) ab his conditionibus possessionis sensibus subiectis, vt relationis personae ad *res*, nullam obligationem habentes, nihil aliud est, quam relatio personae cuiusdam ad *personas*, has omnes *voluntate* superioris, quatenus ea cum axiomate libertatis externae, *postulato*que facultatis et *legislatione* vniuersali voluntatis ex anticipatione vt coniunctae cogitatae conuenit, respectu vsus rerum

coniungendi, quae igitur *poſſeſſio intelligibilis* illius, hoc eſt, poſſeſſio ex mero iure eſt, quamquam res (quam poſſideo) ſenſibus obnoxia videtur.

Primam fundi tractationem, terminationemque aut omnino *formationem* fundi nullum eius adquirendi titulum, hoc eſt, poſſeſſionem accidentis non rationem poſſeſſionis iuridicae ſubſtantiae eſſe poſſe, ſed potius vice verſa meam tuumque ſecundum regulam (acceſſorium ſequitur ſuum principale) ex peculio ſubſtantiae eliciendam eſſe, eumque, qui in fundum, non iam antea ſuum, operam confert, operam et oleum erga ſuperiorem perdidiſſe, per ſe ipſum adeo manifeſtum eſt, vt illam tam vetuſtam et etiamnum longe lateque diffuſam opinionem vix alii cuipiam cauſſae tribuere poſſis, quam illuſioni occulte ſerpenti, res perſonae forma induendi, et, quaſi quis eas ſibi labore in eas collocato obſtringere queat, vt nulli alii quam ſibi praeſto ſint, *proxime* erga eas ius ſibi cogitatione informandi, neque enim probabiliter tam leuipede quaeſtionem illam naturalem (cuius ſupra mentionem fecimus) transmiſſa foret: „qui fit, vt ius in re eſſe queat?“ Namque ius erga quemlibet cuiusdam rei poſſeſſorem duntaxat facultatem denotat arbitrii ſingularis rei vtendae, quatenus ea vt in voluntate ſynthetice vniuerſali comprehenſa, et cum lege eius conueniens cogitari poteſt.

Et corpora quidem in ſundo, iamiam meo, ſi alioquin nullius cuiusdam alius ſint, *ad me pertinent*, ita vt ad hunc finem nullius actus iuridici ſingularis (haud facto, ſed lege) indigeam; nimirum, quia accidentia ſubſtantiae inhaerentia conſiderari poſſunt (iure rei meae), quo etiam cuncta pertinent, quae cum re mea ita coniuncta ſunt, vt alius ea a mea nequeat diuellere, niſi hanc ipſam mutet, (velut inauratio, mixtio materiae mihi propriae cum aliis materiis, adluuio vel etiam mutatio proximi aluei eaque effecta fundi mei amplificatio, et ſimilia). An vero fundus parabilis vlterius quam terra, nimirum ad tractum quemdam fundi maris (ius in litoribus meis piſcandi, ſuccinum educendi et ſic porro) extendi poſſit, ex iisdem principiis diiudicandum videtur. Quo vsque facultas mechanica ex *ſede* mea pertinet, ad fundum meum contra vim aliorum muniendum (velut quo vsque tormenta bellica grandiora ab litore feriunt) ad poſſeſſionem meam pertinet, et mare vsque eo clauſum eſt. Cum vero in ipſo mari amplo nulla ſedes eſſe queat,

poſſeſſio quoque non vsque eo dilatari poteſt, et mare liberum videtur: Quae autem litori impinguntur, ſiue homines ſint, ſiue res illis propriae, ea, vt inuoluntaria, a poſſeſſore litoris nequeunt ad ius adquirendi referri; quia haud laeſio (quin nullum omnino factum) eſt, et res, qui in fundum eliſa eſt, ad vllum quemdam pertinentem non poteſt, velut res nullius, tractari. Contra flumen, quo vsque poſſeſſio ripae pertinet, inſtar cuiusque fundi terreſtris, ſub limitationibus illis ſupra dictis originarie ab eo adquiri poteſt, qui vtramque ripam poſſidet.

* * *

Res externa, quae quoad ſubſtantiam cuipiam propria eſt, *dominium* illius eſt, cui iura omnia in hac re (vti ſubſtantiae accidentia) inhaerent, de qua proinde dominus pro lubitu poteſt disponere (ius disponendi de re ſua). Sed ex hoc ſponte ſequitur: vt eiusmodi res tantum modo res corporea (cuius nullam obligationem habemus) eſſe queat, proinde homo ſui iuris quidem, non vero *ſui dominus* (qui de ſe pro lubitu ſtatuere poſſit) nedum aliorum hominum eſſe poſſit, quia humanam naturam in ſe ipſo praeſtare debet; quamquam hoc caput, quod ad ius naturae humanae, non vero ad ius hominum pertinet, non huius loci eſt, verum duntaxat in praetereundo ad ea, quae paullo ante dicta ſunt, facilius intelligenda adfertur. — Porro duo pleni domini vnius eiusdemque rei eſſe poſſunt, quibus meum tuumque nullum commune ſit, ſed modo vt communes illius poſſeſſores, quod *vni* tantum velut *ſuum* proprium eſt, cum, ex duobus ſic dictis condominis, vni modo poſſeſſio tota ſine vſu, ſed alteri vniuerſus rei vſus cum poſſeſſione competit, ille proinde (dominus directus) hunc (dominum vtilem) duntaxat ad conditionem praeſtationis conſtantis adſtringit, neque tamen vſum in eo circumſcribit.

SECTIO POSTERIOR

DE IURE PERSONALI.

§. 18.

Poſſeſſio arbitrii alterius cuiuspiam, vt facultas, illud, per meum, ex legibus libertatis ad certam quamdam actionem determinandi, (meum tumque externum reſpectu cauſſalitatis cuiuspiam alterius) eſt

ius *vnum* (cuiusmodi mihi plura erga eamdem perſonam aut erga alias eſt poſſunt): ſed complexus (ſyſtema) legum quibus fit, vt hac poſſeſſione vtar, ius perſonale dicitur, quod modo vnum eſt.

Adquiſitio iuris perſonalis numquam originaria et arbitraria eſſe poteſt, (talis enim principio conuenientiae libertatis arbitrii mei cum libertate cuiusque haud conſentanea, proinde iniuſta foret). Pariter eam quoque facto *iniuſto* alterius adquirere nequeo; nam etiamſi haec laeſio mihi ipſi accidiſſet, egoque iure poſſem ſatisfactionem flagitare, tamen eo duntaxat metum integrum ſeruatur, nihil vero praeter id, quod iam tenui, adquiritur.

Igitur adquiſitio ex facto alterius, ad quod hunc per leges iuris adigo, ſemper a peculio alterius derivata eſt, atque haec deductio, vt actus iuridicus, hoc, vt actu *negatiuo*, nempe per *derelictionem* aut *renuntiationem*, fieri non poteſt, quo quippe vnius alteriusue peculium tollitur, non vero adquiritur. — Sed ſolum per *translationem*, quae non poteſt niſi per voluntatem communem fieri, vi cuius res ſemper in poteſtatem vnius alteriusue venit, tum partem huiusce communionis renuntiat, atque ita res per acceptationem eius (proinde per actum arbitrii poſitiuum) ad illum transfertur. — Translatio *dominii* ad alium eſt *alienatio*. Actus arbitrii coniuncti duarum perſonarum, quo omnino dominium vnius ad alterum transit, *pactum* eſt.

§. 19.

In quouis pacto duo inſunt arbitrii actus iuridici, et *praeparentes* et *conſtituentes*; duo illi ſuperiores (*tractationis*) in *oblatione* illius et *adprobatione* verſantur, duo poſteriores (nimirum *abſolutionis*) *promiſſo* continentur et *acceptatione*. — Neque enim oblatio ante poteſt promiſſum dici, quam antea iudicauerim

Digitized by Google

oblatum quidpiam esse, quod illi, cui obtuleris, *gratum* videri possit; quod duabus declarationibus indicatur quidem, hac vero sola numquam quidquam adquiritur.

Sed neque *singulari* voluntate promittentis, nec ea illius, cui promissum fuit (vt acceptantis) dominium superioris ad posteriorem transit, verum duntaxat *voluntate* vtriusque *coniuncta*, proinde quatenus vtriusque voluntas *simul* declaratur. Iam vero actibus declarationis empiricis, qui se inuicem necessario *consequi* debent, in tempore, et numquam simul sunt, istud fieri non potest? Etenim si promiserim alterque nunc velit acceptare, interea temporis (vtut breuissimi) memet poterit eius poenitere, si quidem ante acceptionem adhuc liber sum; quemadmodum e contrario acceptans, ob eam ipsam cautam, ad declarationem suam reciprocam promissum sequentem etiam haud adstrictus teneri debet. — Solemnia in pactione facienda, (stipulatio, seu confractus stipulae ab vtraque persona prehensae) omnesque vltro citroque factae confirmationes declarationis antegressae potius de dubitatione pacisccntium testantur, quomodo declarationes semper tantum successiuas velut vno momento *simul* exstantes depingere velint, quod iis tamen haud succedit; quoniam non nisi actus sunt sibi inuicem in tempore succedentes, vbi, cum vnus actus est, alter aut *nondum*, aut *haud amplius* est.

Sed deductione transscendentali conceptus de adquisitione per pactum sola omnes istae difficultates tolluntur. In relatione externa *iuridica* occupatio mea arbitrii alterius (et sic reciproce) vt ratio illius ad factum determinandi, et quidem primo empirice per declarationem reciprocam arbitrii cuiusque amborum in tempore, vt conditione adprehensionis sensitiua, cogitatur, vbi ambo actus iuridici semper, modo inuicem sese sequuntur; propterea quod relatio illa (vt iuridica) pure intellectualis est per voluntatem vt

facultatem rationalem legislatoriam illa poſſeſſio vt intelligibilis (poſſeſſio noumenon ex conceptibus libertatis, ita vt a conditionibus illis empiricis nosmet contineamus, vt meum tuumue repraeſentatur; vbi vterque actus (et promiſſionis et acceptationis) non vt ſibi inuicem ſuccedens, ſed (quaſi pactum re initum) ex voluntate *communi* vna proficiſcens (quod voce *fiunt* exprimitur) et promiſſum conditionibus empiricis omiſſis ſecundum leges rationis practicae purae vt adquiſitum cogitatur.

Hanc veram et vnice poſſibilem deductionem conceptus de adquiſitione per pactum eſſe, miſero et tamen ſemper irrito ſcrutatorum iuris niſu (velut Moſis Mendelii in Hieroſolymis) poſſibilitatis illius euincendae fatis confirmatur. — Quaeſitum eſt: cur *ſtare* promiſſis *debeo*? Nam memet *debere*, quisque per ſe intelligit. Sed fieri nullo modo poteſt, vt huius imperatiuae categoricae probationem adferam, pariter atque fieri non poteſt, vt geometra ratiocinationibus euincat, memet, ad deſcribendum triangulum, tres lineas ſumere oportere (quod in pronuntiatis analyticis eſt), quarum vero duas coniunctim tertia eſſe maiores debere (quod enuntiatum ſyntheticum videtur: vtrumque autem ex anticipatione). Poſtulatum eſt rationis purae (ab vniuerſis ſpatii temporisque conditionibus ſenſitiuis, quoad conceptum iuris, ſeſe continentis) et doctrina continentiae (abstractionis) ab illis conditionibus, quamuis ea re poſſeſſio eius haud tollitur, ipſa in deductione conceptus de adquiſitione per pactum verſatur; quemadmodum titulo ſuperiori doctrina de adquiſitione per occupationem rei externae.

§. 20

Quid vero externum illud eſt, quod pacto adquiro? Cum ſolum cauſſalitas arbitrii alterius, reſpectu praeſtationis mihi promiſſae, ſit, ea mihi proxime haud rem externam, ſed factum illius adquiro, qua illa res poteſtati meae ſubiicitur, vt eam in meam conuertam. — Pacto igitur promiſſionem (haud promiſſum) alterius adquiro, et tamen ad facultates meas externas quidpiam accedit; obligatione actiua in libertate et opibus alterius adquirenda factus ſum

Digitized by Google

locupletior. — Sed hoc *ius* meum tantummodo *perſonale* eſt, nimirum erga perſonam phyſicam *determinatum* et quidem in eius cauſſalitate (arbitrio illius) agendi, vt mihi quidpiam *praeſtet*, non vero *ius reale*, erga illam *perſonam moralem*, quae nihil aliud eſt, niſi idea *arbitrii omnium ex anticipatione coniuncti*, et quo ſolo *ius* poſſum *erga quemuis illius poſſeſſorem* adquirere, quippe in quo omne ius *in re* conſiſtit.

Translatio mei per factum ex lege fit continui, hoc eſt, poſſeſſio rei in hoc actu nullum temporis articulum intertupta eſt; alioquin enim in hoc ſtatu rem quampiam vt rem vacuam, proinde originarie adquirerem, quod cum pacti conceptu pugnat. — Sed iſtud continuum ſic fert, vt haud voluntas alterutrius (promittentis et acceptantis) ſingularis, ſed coniuncta vtriusque ea ſit, quae meum ad alterum transferat; ergo haud ſic, vt promittens primo poſſeſſionem ſuam alterius commodo derelinquat, aut ius ſuum renuntiet, aut rurſus retro. Igitur translatio cernitur in actu, in quo res temporis punctum vtriusque coniunctum ſit, quemadmodum in via parabolica lapidis coniecti hic in faſtigio illius momentum quaſi adſcendendo cadendoque ſimul verſans ſpectari poteſt, atque ita demum a motu adſcendente ad caſum transit.

§. 21.

Res in pacto non per *acceptationem* promiſſionis, ſed per *traditionem* promiſſi adquiritur. Omnis enim promiſſio *praeſtationem* ſpectat, et ſi promiſſum in re verſatur, aliter non poteſt illud, niſi per actum praeſtari, quo illi, cui promittitur, ab eo, qui promittit, illius poſſeſſio conceditur, id eſt, per traditionem. Ante hanc igitur acceptationem praeſtatio nondum facta eſt; res ab vno ad alterum nondum transiit, ergo ab hoc nondum adquiſita eſt, proinde ius ex pacto perſonale eſt, et ſolum per traditionem in ius *reale* conuertitur.

Pactum, quod proxime ſequitur traditio (pactum re initum) omne temporis interuallum conſectionem inter et praeſtationem excludit, nulliusque actus ſingularis adhuc exſpectandi indiget, quo dominium vnius ad alterum

transferatur. Verum, ſi inter illum vtrumque adhuc tempus traditionis (definitum aut indefinitum) conceſſum ſit, quaeritur: vtrum res iam ante hoc per pactum ad acceptantem transierit, huiusque ius ſit ius in re, an pactum ſingulare, quod ſolum traditionem ſpectet, oporteat accedere, proinde ius per meram acceptationem tantummodo perſonale ſit,, et demum per traditionem ius in re fiat? — Quod illud vere ius, in re fiat, ex iis, quae ſequuntur, planum eſt.

Cum pactum de re, velut de equo, quem adquirere cupio, facio eumque ſimul ſtabulo meo includo, aut alias poſſeſſioni meae phyſicae adiungo, tum res illa mea eſt vi pacti re initi, et ius meum eſt ius in re; quod ſi vero illam in manu venditoris reliquerim, neque cum eo ſeorſum pactus fuerim, cuius in poſſeſſione phyſica (detentione) ea res ante adprehenſionem meam, proinde ante mutationem poſſeſſionis eſſe debeat: tum iſte equus nondum meus eſt, et, quod adquiro, ius meum duntaxat ius eſt in perſona certa, nimirum venditore, a quo *poſſidendi traditionem* vt conditionem ſubiectiuam poſſibilitatis illius, qui placuerit, vſus, hoc eſt, ius meum duntaxat ius eſt perſonale, ab illo promiſſionis praeſtationem, vt poſſeſſionem rei mihi cedat, poſtulandi. Iam ſi pactum non *ſimul* traditionem (vt pactum in re) continet, proinde tempus quoddam inter confectionem eius et adprehenſionem adquiſiti praeterlabitur, hoc tempore non ſecus poſſum ad poſſeſſionem peruenire, quam eo, vt actum ſingularem iuridicum, nimirum *actum poſſeſſorium* exerceam, quo pactum ſingulare efficiatur, ſic vt dicam: rem (equum) abducam, quod venditor adſenſu comprobat. Hunc enim rem alterius vſui ſuo ipſius periculo cuſtoditurum fore, haud per ſe intelligitur, verum eo pertinet pactum ſingulare quoddam, quo venditor rem intra tempus *conſtitutum* etiam nunc dominus maneat, (omneque periculum, quod rem attigerit, praeſtare debet) ſed adquirens tum tantum, quam vltra tempus iſtud ceſſat, a venditore ſpectari poteſt, quaſi illi tradita ſit. Igitur ante hunc poſſeſſionis actum vniuerſa pacto adquiſita non niſi in iure perſonali verſantur, isque, cui promiſſum eſt, rem externam poteſt tantummodo per traditionem adquirere.

Digitized by Google

SECTIO TERTIA.

DE IURE REALITER PERSONALI.

§. 22.

Hoc ius cernitur in iure poſſeſſionis rei cuiusdam externae *vt rei* vſusque illius *vt perſonae.* — Meum tuumque ex hoc iure eſt *domeſticum* et relatio in hoc ſtatu eſt relatio communionis naturarum liberarum, quibus (per contagionem mutuam perſonae vnius cum altera) ex principio libertatis externae (cauſſalitatis) ſocietas membrorum totius cuiusdam (perſonarum in *communione* verſantium) efficitur, quae *res domeſtica* adpellatur. — Modus adquirendi huius ſtatus in eoque nec facto proprio fit, nec mero pacto, verum lege, quae, quoniam nec in iure in re, nec in mero iure erga perſonam, verum etiam ſimul in poſſeſſione illius verſatur, ius vltra, omne ius reale et perſonale ſitum ſit, neceſſe eſt, nimirum ius naturae humanae in noſtra propria perſona, quod lex permiſſiua naturalis ſequitur, cuius fauore efficitur, vt nobis eiusmodi adquiſitio eſſe poſſit.

§. 23.

Adquiſitio ex hac lege quoad rem triplex videtur: *vir* adquirit *vxorem*, *coniuges* adquirunt *liberos*, et *familia ſeruos.* — Cuncta haec parabilia eadem non queunt alienari, et ius poſſeſſoris harum rerum eſt ius omnium *maxime perſonale.*

IURIS SOCIETATIS DOMESTICAE

TITULUS PRIMUS.

IUS MATRIMONII.

§. 24.

Commercium ſexuale cernitur in vſu mutuo membrorum et facultatum ſexualium alterius; qui vſus

aut *ſecundum naturam* ſit (vnde a ſimilibus ſimiles procreari poſſunt), aut *contra naturam*, et hic vel in perſona eiusdem ſexus, vel in animali alius cuiusdam generis quam humani; quae transgreſſiones legum crimina carnis contra naturam, etiam innominata dicta, vt laeſio humanae naturae in perſona noſtra propria nullius omnino nec limitationibus nec exceptionibus poſſunt ab vniuerſa reprobatione defendi.

Commercium ſexuale ſecundum naturam vel *naturae* merae animalis (vaga libido, venus volgiuaga, fornicatio), vel *legis*. — Haec poſterior dicitur *matrimonium*, hoc eſt, coniunctio duarum perſonarum diuerſi ſexus ad poſſeſſionem mutuam facultatum ſexualium per totam vitam. — Finis liberorum procreandorum educandorumque finis naturae eſto, cuius cauſſa inclinationem ſexuum mutuam implantauerit; verum vt homo, qui connubium iungit, hunc ſibi finem proponere *debeat*, ad probitatem huiusce coniunctionis eius non poſtulatur; alioquin enim, cum procreatio liberorum ceſſat, etiam matrimonium ſimul ſponte diſſolueretur.

Scilicet, etiam lubidine vſus mutui proprietatum ſexualium ſuppoſita, pactum inter coniuges haud in pacto arbitrario, ſed ex lege naturae humanae neceſſario verſatur, nimirum ſi maritus et vxor proprietatibus ſexualibus ſuis mutuo frui velint, neceſſario contrahere matrimonium debent, idque ex legibus iuris rationis purae neceſſarium videtur.

§. 25.

Namque vſus naturalis, quem alter ſexus ex membris ſexualibus alterius capit, cernitur in *fruitione*, ad quam pars vna alteri ſe tradit. In hoc actu homo ſe ipſum rem facit, quod iuri naturae humanae in perſona eius propria repugnat. Hac ſolum conditione vna iſtud fieri poteſt vt, dum vna perſona ab altera, *quaſi res*, adquiritur, haec illam mutuo

rurſus adquirat; ſic enim ſe ipſam rurſum adquirit, ſuamque perſonalitatem inſtaurat. Sed adquiſitio membri cuiusdam in homine ſimul adquiſitio eſt perſonae totius, — quia haec non niſi in vnitate abſoluta verſatur; — ergo deditio et acceptio vnius ſexus fruitioni alterius non ſolum ſub conditione matrimonii licet, verum etiam *ſolum* ſub hac conditione fieri poteſt. Cur autem hoc ius *perſonale* ſimul tamen *realiter* ſit, in cauſſa eſt, quod, ſi coniux abierit, aut alterius ſeſe poſſeſſioni tradiderit, alter coniux coniugem ſemper poteſt et ſine recuſatione, quaſi rem, in poteſtatem ſuam reducendi ius habere.

§. 26.

Ex iisdem cauſſis ratio matrimonio iunctorum ratio eſt *aequalitatis* poſſeſſionis, cum perſonarum, quae ſe inuicem mutuo tenent, (ergo duntaxat in *monogamia*; namque in polygamia perſona, quae ſe tradit, tantummodo partem eius, cui tota obuenit, adquirit, ideoque ſeſe in meram rem conuertit), tum etiam fortunarum, in quo tamen iis facultas eſt, ab vſu partis illarum, quamquam non niſi ſingulari pacto deſiſtendi.

In concubinatum nullum contractum cadere legitimum, perinde atque in pactum fornicationis, ex cauſſa in ſuperioribus adlata ſequitur. Ad pactum fornicationis quidem quod attinet, quisque fatebitur, perſonam, quae illud contraxerit, ad faciendum promiſſum legitime, ſi illius ſe poeniteat, adigi haud poſſe; atque ita etiam pactum ſuperius, quippe concubinatus (vt pactum turpe) ceſſat, quia hoc in *locatione* et *conductione* verſaretur, et quidem membri cuiusdam ab altero vſurpandi, perinde ob vnitatem membrorum arctiſſimam in perſona haec ſe ipſam vt rem arbitrio alterius ſe traderet; proinde quaeuis pars pactum cum altera factum, ſimul atque placuerit, tollere poteſt, ita vt altera de iure ſuo laeſo legitime queri nequeat. — Idem etiam locum habet de matrimonio ad manum ſiniſtram, ad inaequalitate ordinis vtriusque partis maiori imperio vnius partis in alteram vtendum; etenim reuera ſecundum ius merum naturae a concubinato nihil quidquam differt, nullumque matrimonium verum eſt. — Quodſi igitur quaeritur: an etiam cum aequalitate matrimonio iunctorum, vt talium

pugnet, ſi lex de cuncto reſpectu vxoris dicit: tibi is dominus (ille imperans, haec obediens) eſto; iſtud non poteſt vt aequalitati naturali patis hominum repugnans conſiderari, ſi huic imperio duntaxat naturalis praeſtantia facultatis in viro, prae muliebri, in procuranda vtilitate communi rei familiaris iurisque in ea conſtituti fundamento ſubſit, quod proinde ipſum poteſt ab officio vnitatis atque aequalitatis reſpectu *finis* deduci.

§. 27.

Pactum matrimonii non niſi *coitu coniugali* (copula carnali) *perficitur*. Pactum duarum perſonarum vtriusque ſexus, cum conſenſu ſecreto aut a communione carnali ſe abstinendi, aut vna vel vtraque parte conſcia, impotentiam eius rei celandi, *pactum ſimulatum* eſt, quo nullum matrimonium contrahitur, quodque a quouis ex ambobus, vbi placet, diſcindi poteſt. Quodſi autem impotentia duntaxat poſthac acceſſerit, ius illud per hunc caſum immeritum nihil quidquam poteſt amittere.

Igitur *adquiſitio* vxoris vel mariti non *facto* (coitu) fit, ſine pacto antegreſſo, neque *pacto* (per contractum matrimonii, ſine coitu ſequente), verum tantummodo *lege*: hoc eſt, vt conſequens legitimum ex obligatione coniunctionem ſexualem non niſi per *poſſeſſionem* perſonarum mutuam, quippe quae tantummodo per vſum mutuam proprietatum ſexualium efficitur, ineundi.

IURIS SOCIETATIS DOMESTICAE

TITULUS SECUNDUS.

IUS PARENTUM.

§. 28.

Quemadmodum ex officio hominis erga ſe ipſum, hoc eſt, erga naturam humanam in perſona ſua propria ius perſonale ſexus vtriusque vidimus exſiſtere,

Digitized by Google

ſeſe, vt perſonas, mutuo inuicem, *realiter*, per matrimonium adquirendi: ita ex *procreatione* in hac communione, officium ſequitur conſeruandi alendique *procreatos*, hoc eſt, liberos, quibus, vt perſonis, eo ipſo ſimul ius eſt originarie connatum (non hereditarium) alimenta a parentibus exſpectandi, donec ſe ipſi queant alere; et quidem lege maxime, hoc eſt, ita, vt eo nullus ſingulus actus iuridicus poſtuletur.

Cum enim procreatus in *perſonis* ſit, nec fieri queat, vt de procreatione naturae libertate ornatae per vim phyſicam cogitationem nobis animo informare poſſimus *): *reſpectu practico* idea eſt veriſſima atque etiam neceſſaria, actum procreationis tamquam eum conſiderari, quo perſonam ſine eius conſenſu in viuis eſſe noſtro arbitrio fecimus; pro quo facto nunc quoque parentibus inhaeret obligatio, eam,

*) Ne quidem, qui fieri poſſit, vt *deus* naturas liberas *creet*; tum enim, vti videtur, omnes illarum actiones futurae, per actum illum primum praedeterminatae, in catena neceſſitatis phyſicae continerentur, proinde haud liberae forent. Eas vero (nos homines) nihilominus liberas eſſe, imperatiua categorica reſpectu practico morali planum facit, quaſi rationis auctoritate, quamuis tamen haec nequeat poſſibilitatem huius relationis cauſſae ad effectum reſpectu theoretico explanare, quoniam ambo ſenſibus inacceſſa ſunt. — Quod in ea re ſolum ab ea poſtulari poteſt, foret tantum: vt probet, in conceptu de *creatione naturarum liberarum* nullam repugnantiam ineſſe; idque facile eo fieri poterit, vt doceatur: repugnantiam tum duntaxat adparere, cum vna cum categoria cauſſalitatis ſimul *temporis conditio*, quae reſpectu rerum ſenſibus obnoxiarum non poteſt euitari (vt ſcilicet effectum cauſſa antecedat), etiam in rationem rerum ſenſibus inacceſſarum erga ſe inuicem transfertur. (quod etiam reapſe, ſi ille conceptus cauſſalis reſpectu theoretico realitate obiectiua potiri debeat, fieri oporteret), ea — repugnantia — euaneſcat, ſi reſpectu practico morali, proinde haud ſenſitiuo, categoria pura (ſine ſchemate ſibi ſubſtrato) in conceptu creationis vſurpetur.

Quam inueſtigationem vsque ad prima philoſophiae transſcendentalis initia in metaphyſica morum doctor iuris philoſophicus haud ſcrutationem inutilem, quae in obſcuritatem inanem abeat ac temerariam, iudicabit, cum difficultatem quaeſtionis enodandae, et tamen quoque neceſſitatem, principiis iuris ea in re ſatisfaciendi, perpenderit.

quoad eius fieri poſſit, cum ſtatu ſuo contentam reddendi. — Quippe qui paruulum non quaſi *opus* ſuum (tale enim nulla natura libertate praedita eſſe poteſt) et velut peculium euertere, vel illum quoque caſui fortuito relinquere poſſunt, quia in illa non ſolum natura mundana, verum etiam coſmopolita in ſtatum translata eſt, quem ipſi ex iuris conceptibus nequeunt negligere.

§. 29.

Atque ex hoc officio neceſſario quoque ius parentum, ad *curandum* informandumque paruulum, quamdiu nondum membrorum intelligentiaeque vſus compos eſt, praeter alimenta curationemque, illius educandi, et cum *pragmatice*, vt aliquando ſe ipſum conſeruare poſſit ac ſuſtentare, tum vero etiam *moraliter*, alioquin culpa negligentiae illorum et corruptulae in parentes caſura foret, — eius formandi; vsque ad tempus emancipationis, quo hi et ius ſuum patrium imperandi, et vniuerſum ſumtuum compenſandorum pro cura et labore hucusque ſuſcepto renuntiant, contraque abſoluta liberorum educatione, obligationem illorum (erga parentes) non niſi vt merum officium virtutis, ſcilicet vt animum gratum, poſſunt ſpectare.

Ex hac illorum perſonalitate nunc porro ſequitur, vt, cum liberi numquam vt parentum peculium conſiderari queant, verum tamen ad meum tuumque eorum pertineant, (quia inſtar rerum a parentibus poſſidentur, atque ex cuiusque alius poſſeſſione vel inuiti, in hanc reduci poſſunt) ius illorum haud in mero iure reali, proinde haud alienando (iure perſonaliſſimo), nec vero in mere perſonali, et realiter perſonali verſetur.

In quo quidem incurrit in oculos, titulum *iuris realiter perſonalis* in doctrina iuris praeter ius reale et perſonale neceſſario accedere oportere, illam pro-

inde diuiſionem hucusque vſurpatam minus plenam fuiſſe, quoniam, ſi de iure parentum in liberis, vt parte domus, ſermo ſit, illis non ſolum ad liberorum officium reuertendi, cum abierint, prouocare licet, ſed ius competit, iis vt rebus (beſtiis domeſticis abeuntibus) potiundi, eosque excipiendi iure vtuntur.

IURIS SOCIETATIS DOMESTICAE

TITULUS TERTIUS.

I U S H E R I L E.

§. 30.

Liberi domus, qui vna cum parentibus *familiam* conſtituunt, etiam ſine vllo pacto de liberandis illis ab obligatione ad parentum arbitrium viuendi, facultate ſui conſeruandi ſolum impetrata (quemadmodum, partim vt aetas plena naturalis generatim, partim peculiari naturae eorum conſtitutioni conuenienter, accidit,) *maiorennes*, id eſt, ſui iuris fiunt, atque hoc ius ſine actu iuridico ſingulari, proinde ſolum lege adquirunt, nec quidquam parentibus pro educatione debent, quemadmodum hi ab obligatione erga illos pariter liberantur, eoque vtrique libertate ſua naturali rurſum potiuntur — ſed ſocietas domeſtica, ex lege neceſſaria, nunc tollitur.

Nunc vtraque pars reapſe eamdem rem domeſticam, ſed alia obligationis forma, nimirum vt coniunctionem heri cum famulitio (famulis domus et famulabus), proinde hanc eamdem ſocietatem domeſticam, nunc vero vt *herilem* obtinere pacto poſſunt, quod ſuperior cum liberis poteſtate ſui potitis, aut ſi liberi familiae deſint, cum aliis perſonis liberis (domeſticis) ſocietatem domeſticam condere, quae ſocietas foret inaequalis (imperantis et ſubiecti domeſtici).

Digitized by Google

Famulitium nunc eſt in propriis heri, et quidem quoad formam *(poſſeſſionis ſtatum)*, quaſi ſecundum ius reale; herus enim famulitium, cum abs ſe abierit, arbitrio vnilaterali poteſt in poteſtatem ſuam reducere, ſed quoad materiam, hoc eſt, *vſum*, quem capere ex hisce ſuis domeſticis poteſt, numquam vt dominus ſerui ſeſe gerere poterit: quoniam non niſi ex pacto poteſtati ſuae ſubiectus eſt, pactum vero, quo pars commodo alterius libertatem totam renunciet, proinde perſona eſſe deſignat, ergo etiam nullo officio tenetur pacti ſeruandi, verum non niſi poteſtatem agnoſcat, per ſe pugnat atque irritum videtur. (De iure mancipii erga illum, qui perſonalitate ſua delictis ſeſe priuarit, hoc loco non ſermo eſt).

Hoc igitur pactum imperii domeſtici cum famulitio, non eiusmodi naturae eſſe poteſt, vt *vſus* illius *abuſus* ſit, qua de re iudicium vero non ſolum hero, verum etiam famulitio (quod proinde numquam in ſeruitute eſſe poteſt) competit; ergo haud ad totam vitam poteſt, ſed duntaxat ad tempus quoddam, ſi opus ſit, incertum, intra quod vni parti alteri coniunctionem renuntiare licet, iniri. Liberi autem (ipſius illius, qui per delicta ſua ſeruituti adductus eſt) ſemper ingenui videntur. Namque quisque homo ingenuus eſt, donec nondum quidquam deliquerit, nec ſumtus educationis vsque ad aetatem plenam, illi queunt velut nomen, quod ei ſoluendum ſit, imputari. Namque ſeruus, ſi poſſet, liberos ſuos etiam educare deberet, neque ea de re ſumtus rationibus illorum inferre; poſſeſſor proinde ſerui, in hucusce inopia, in locum ſucceſſit obligationis illius.

* * *

Etiam hoc loco, velut in duobus titulis antegreſſis, perſpicuum eſt, ius realiter perſonale (imperantis in ſubiectis domeſticis) videri; quoniam famuli reduci queunt, atque vt ſuum externum a poſſeſ-

Digitized by Google

ſore quouis vindicari, antequam cauſſae, quibus adducti fuerint, et ius illorum debeant inueſtigari.

DESCRIPTIO DOGMATICA

Iurium omnium ex pactis parabilium.

§. 31.

A doctrina iuris metaphyſica poſtulari poteſt, vt ex anticipatione membra diuiſionis logicae plene definiteque numeret, atque ita verum eorum ſyſtema proponat, cum e contrario omnis *deſcriptio empirica* in *fragmentis* tantum (partitione) verſetur, in medioque relinquat, anne plura membra ſint, ad vniuerſam ſphaeram conceptus diuiſi explendam neceſſaria. — Diuiſio logica ad principuum ex anticipatione (cum empirica comparata) poteſt *dogmatica* vocari.

Omne pactum per ſe, hoc eſt, *obiectiue* ſpectatum, e duobus actibus iuridicis conſtat: et promittente et acceptante; adquiſitio per acceptationem (niſi pactum re initum ſit, quod traditionem poſtulat) non *partem* eius conſtituit, ſed inde recte neceſſarioque conficitur. — *Subiectiue* autem conſideratum, hoc eſt, vt reſponſio ad quaeſtionem: an illa conſecutio ſecundum rationem neceſſaria (quae *adquiſitio* eſſe *deberet*) etiam reuera *conſecutura* (conſecutio *phyſica* futura) ſit, acceptatione promiſſi nondum mihi *cautum* videtur. Igitur cautio, vt ad modulitatem pacti, nimirum ad *veritatem* adquiſitionis per illud neceſſaria, eſt ſupplementum integritatis inſtrumentorum ad finem pacti, ſcilicet adquiſitionem, conſequendam. — Hanc in rem tres prodeunt perſonae: et *promittens*, et *acceptans*, et *cauens*; hoc poſtremo, eiusque pacto cum permittente ſingulari, nihil quidem amplius reſpectu rei, ſed tamen inſtrumentorum cogendi, quibus ſua re potiatur ad acceptantem redundat.

Ex his igitur principiis diuiſionis logicae (rationalis) reapſe non niſi tres pactorum ſpecies ſimplices *puraeque* exſtant, mixtorum vero generum atque empiricorum, quae principiis mei tuique ex ſolis legibus rationis, etiam ſtatutaria et pactitia addunt, innumera ſunt, et cuncta extra ſphaeram doctrinae iuris metaphyſicae poſita, quae hoc loco ſola deſcribenda videtur.

Vniuerſis ſcilicet pactis, aut, A, adquiſitio *unilateralis* (pactum gratuitum), aut, B, *bilateralis* (pactum oneroſum), aut nulla omnino adquiſitio, ſed tantum, C *cautio ſui* (quod ex parte gratuitum eſſe poteſt, ex parte tamen ſimul quoque oneroſum) propoſita eſt:

A. Pactum *gratuitum* eſt:
   a) cuſtodia depoſiti.
   b) commodatum.
   c) donatio.

B. Pactum *oneroſum:*
   I. *Permutatio late* ſic dicta.
      a) Permutatio ſtricte ſic dicta. Merces pro mercibus.
      b) Emtio et *venditio.* Merces pro pecunia.
      c) Mutuum: alienatio rei, cum adiunctione, eam duntaxat quoad ſpeciem recuperandi (velut frumenta pro frumentis, nummi pro nummis).
   II. *Locatio* et *conductio.*
      α) *Locatio rei meae* alii cuidam vtendae; quae, ſi modo in ſpecie debeat reſtitui, vt pactum oneroſum etiam cum *vſura* poteſt coniuncta eſſe (pactum vſurarium).
      β) *Locatio operae*, hoc eſt, conceſſio vſus virium mearum alteri pro certa mercede. Is qui operam ex hoc pacto nauat, mercenarius eſt.
      γ) *Mandatum:* Procuratio loco et *nomine* alterius, quae, ſi ſolum loco alius cuiuspiam, non vero ſimul eius (cuius partes ſusci-

piuntur) nomine, geritur, *procuratio ſine mandato* (geſtio negotii) dicitur; quodſi ea vero nomine adminiſtretur, *mandatum* adpellatur, quod hoc loco, vt locatio, mandatum oneroſum eſt.

C. *Cautio*:

a) Pignus, quo *pignoratio* et *pignoris capio* continetur.

b) Fideiiuſſio, ſeu *ſponſio* pro alterius promiſſo.

c) Praeſtatio obſidis.

In hac tabula omnium translationis ſui ad aliam generum inueniuntur conceptus rerum, vel inſtrumentorum huius translationis, qui prorſus empirici videntur, et quoad ipſam poſſibilitatem, in doctrina iuris *metaphyſica* reapſe nullum locum habent, in qua diuiſiones ſecundum principia anticipata inſtituendae ſunt, proinde a materia negotii (quae pactitia eſſe poſſet) nosmet continere ſolumque formam ſpectare debemus, cuiusmodi conceptus *pecuniae*, cum omni re alia, quae alienari poſſit, comparatae, quippe *merce*, in titulo *emtionis venditionisque*, vel *libri* videtur. — Verum adparebit conceptum illum omnium inſtrumentorum et maximi et vtiliſſimi negotiationis hominum cum rebus, *emtionis venditionisque* dicti, itemque conceptum libri, vt maximi cogitatorum commercii, tamen poſſe in meras relationes intellectuales reſolui, atque ita tabulam pactorum purorum admixtione empirica non debere contaminari.

I.

Quid eſt pecunia?

Pecunia cernitur in re, cuius *vſus* fieri tantum eo poteſt, vt *alienetur*. Haec vera eſt *definitio nominis* (ſecundum Achenvallium), nempe ad hanc ſpeciem rerum arbitrio ſubiectarum ab omnibus aliis discernendam idonea; verum ea de poſſibilitate eiusmodi rei nobis nihil quidquam aperit. Interim tamen hoc inde intelligitur: *primo* hanc alienationem in commercio non vt donationem, verum vt adquiſitionem *mutuam* (per pactum oneroſum) ſpectari; *deinde*, ea, cum vt merum negotiationis inſtrumen-

Digitized by Google

tum (in populo) vniuerſe gratum, cuius per ſe nullum pretium ſit, cum re comparata, vt *merce* (hoc eſt, eo, cuius aliquod pretium eſt, atque ad ſingularem vnius alteriusue populi neceſſitatem refertur,) vniuerſae mercis *vicem ſuſtineri.*

Modius frumenti, vt inſtrumentum neceſſitatum humanarum maximi eſt pretii directi. Beſtiae illo ali poſſunt, quae nobis ad alimenta motumque atque laborem noſtri loco proſint, et tum quoque ope illius proinde augeant et tueantur, qui non ſolum illa naturae effecta ſemper rurſum generant, verum etiam artis operibus vniuerſas neceſſitates noſtras queant adiuuare; ad conficiendam domum noſtrum veſtemque et fruitionem exquiſitam, omnemque omnino commoditatem, quibus bona efficiuntur induſtriae. Contra pecuniae pretium duntaxat indirectum videtur. Ea ipſa vſu percipi non poteſt, aut vt talis ad vllam quampiam rem proxime adhiberi; verum tamen in inſtrumentis eſt omnium nobis vtiliſſimis.

In quo quidem ante poteſt pecuniae *definitio realis* conſtitui haec: cernitur ea in *adiumento communi operam hominum erga ſe inuicem negotiandi*, ita vt diuitiae nationi propriae, quatenus per pecuniam adquiſitae ſunt, tantummodo ſumma ſtudii eſt, quo homines ſibi inuicem mercedem perſoluunt, et quae per pecuniam in populo circumeuntem repraeſentatur.

Res igitur, quae pecunia dicenda eſt, ipſa tantum *ſtudii* poſtulauerit ad eam producendam, aut aliis quoque hominibus ſuppeditandam, neceſſe eſt, vt hoc illo *ſtudio*, quo merx (in natura artisue operibus) adquirenda fuiſſet, pro quo illud permutatur exaequet. Nam ſi materia, pecunia dicta, paratu facilior merce foret, plus pecuniae ad forum adferretur, quam merx venalis eſſet, et quia emtorem maiorem diligentiam in mercem ſuam impendere oporteret, quam emtorem, ad quem pecunia celerius ad-

fluit: diligentia in merce conficienda atque ita commercium in vniuerſum cum induſtria, quam opulentia publica comitatur, ſimul euaneſceret ac deminueretur. — Hinc teſſerae perſcriptionis publicae et ſyngraphae perſcriptionis non poſſunt pro pecunia accipi, quamquam per tempus quoddam locum illius occuparunt; quoniam fere nullo prorſus labore conficiuntur, earumque pretium ſolum opinione de vlteriori perduratione permutationis earum cum *pecunia praeſenti*, quae hucusque proſpere euenerat, et ſi forte apertum fuerit, hanc non copia ad facile certumque commercium idonea adeſſe, repente euaneſcit, neceſſarioque efficit, vt ſolutio deminuatur. — Sic induſtriam eorum, qui auri atque argenti fodinas Peruuianas Mexicanasque excolunt, praeſertim in conatibus tam ſaepe male ſuccedentibus induſtriae fruſtra collocatae in anquirendis aeris venis, probabile eſt, maiorem eſſe, quam quae in conficiendas merces in Europa impenditur, vtque haud compenſatam, proinde ſponte remittentem, terras illas breui in egeſtatem praecipitaturum fore, niſi e contrario induſtria Europae, his ipſis materiis ſollicitata, ſeſe ſimul apte dilataret, vt in illis ſtudium rei metallicae oblatis rebus luxus, perpetuo excitaretur, ita vt ſemper induſtria cum induſtria conuenirent.

Qui autem fieri potuit, vt id, quo initio merx eſſet, tandem pecunia fieret? Cum ſummus et praepotens prodigus materiae, qua initio ornamento ac ſplendori miniſtrorum (aulae) vſus eſt (velut auro, argento, cupro, aut genere quodam pulcrarum concharum, *cauride*, vel etiam, vt in Congo, genus tegetum, *macutae* dictum, aut, velut ad Senegalum, maſſis ferreis, et in ora Guineae ſeruis Aethiopibus); hoc eſt, ſi *princeps regionis* vectigalia a ſubditis in hac materia (vt merce) exigit, eosque, quorum opera in illa comparanda eo moueri debet, iisdem, ex conſtitutionibus commercii, inter eos cum iisque omnino (in foro, curiaue mercatorum) remuneratur. —

Quo ſolo (ex mea quidem ſententia) merx inſtrumentum legitimum commercii induſtriae ſubditorum inter ſe inuicem eoque etiam opulentiae publicae, hoc eſt, *pecunia*, fieri potuit.

Igitur conceptus intellectualis, (cui empiricus pecuniae ſubſtratus eſt) conceptus eſt rei, permutatione publica aliarum rerum omnium (mercium) *pretium* conſtituentis, in quibus poſterioribus adeo literae, quatenus aliis haud gratis traduntur, locum habent: cuius ergo multitudine in populo opulentia efficitur. Namque pretium in iudicio publico de *valore* rei cuiuspiam verſatur, reſpectu copiae aptae illius, quod inſtrumentum vicarium commune eſt *induſtriae* reciproce permutandae. — Quapropter, vbi commercium amplum eſt, nec *aurum* nec cuprum pro vera pecunia, ſed pro merce accipitur: quoniam illius parum, huius vero nimium adeſt ad facile permutandum, et tamen partibus adeo paruis haberi poteſt, quantum ad permutationem cum mercibus, aut cum multitudine illarum in quaeſtu minime opus videtur. Quamobrem *argentum* (plus minusue cupro temperatum) in commercio magno hominum pro propria pecuniae materia normaque omnium pretiorum computandorum accipitur; caeteris metallis (multo proinde magis materiis non metallicis) non niſi in populo parui commercii eſſe locus poteſt. — Superiora illa, non ſolum penſa, verum etiam ſignata, id eſt, ſigno, quanti valere debeant, impreſſa, in pecunia legali, hoc eſt, *moneta*, verſantur.

Igitur „pecunia (ſecundum *Adamum Smithium*) in eo corpore cernitur, cuius alienatio inſtrumentum eſt et ſimul norma induſtriae, quo homines et populi inuicem commercio tenentur.“ — Haec definitio conceptum pecuniae empiricum eo reuocat ad intellectualem, quod modo *formam* praeſtationum mutuarum in pacto operoſo ſpectat, (ab huiusque ſeſe materia continet) atque ita conceptum iuris in commu-

Digitized by Google

tatione late ſic dicta, vt tabula illa ſuperior diuiſionis dogmaticae ex anticipatione proinde metaphyſicae iuris, vt ſyſtematis, conuenienter proponat.

II.

Quid eſt liber?

Liber ſcripto (calamo an typis confectus ſit, paucis multisque foliis conſignatus, hoc loco nihil intereſt) orationem repraeſentante, quam quis ſignis linguae, quae ſub adſpectum cadunt, ad populum recitat, continetur. — Is, qui ad hunc ſuo ipſius nomine *loquitur*, vocatur *auctor*. Is, qui per ſcriptum nomine alterius (auctoris) palam dicit, *redemtor* adpellatur. Hic, ſi illud facit cum eius permiſſione, legitimus eſt; quodſi ſine illius venia efficit, redemtor eſt illegitimus, hoc eſt, *adulterinus*. Summa omnium exemplorum archetypi eſt *redemtio*.

Impreſſio librorum adulterina iure prohibita eſt.

Scriptura haud proxime in notatione *conceptus* (vti forte figura aenea, quae vt *imago*, aut effigies e gypſo, vt *prototoma* certam perſonam repraeſentans) ſed *oratione* ad populum cernitur, hoc eſt, auctor per redemtorem palam *verba facit*. — Hic vero, quippe *redemtor*, (per operarium ſuum, typographum) non ſuo ipſius nomine (alias enim ſe auctorem profiteretur), ſed nomine auctoris loquitur, cuius quidem rei non niſi ex huius *mandato* poteſtatem habet. — Atqui impreſſor adulterinus redemtione ſua arbitria quidem etiam auctoris nomine loquitur, ſed non ex auctoritate mandati ab illo accepti (gerit ſe mandatarium absque mandato); ergo contra redemtorem ab auctore conſtitutum (proinde vnice legitimum) crimen commodi ablati, quod hic ex vſu iuris ſui et voluit capere et debuit (furtum vſus) committit; ergo *impreſſio librorum adulterina iure prohibita eſt*.

Cur iniuſtitiae primo ſtatim adſpectu adeo offendentis, qualis furtiua librorum impreſſio eſt, ſpecies iuſta videatur, in cauſſa eſt, quod liber *partim in opere mechanico* corporeo verſatur, quod poteſt effingi (ab eo, qui eius exemplar aliquod legitime poſſidet) proinde in *ius reale* locum habet: *partim* vero liber etiam mera oratio eſt redemtoris ad populum, quam huic, nullo ab auctore accepto mandato, palam haud licet repetere (praeſtatio operae) *ius perſonale*, et nunc vtroque inuicem permutando peccatur.

* * *

Permutatio iuris perſonalis cum reali etiam in alia cauſſa, ſub pacto de locatione comprehenſo (B. II. *α*), in iure *incolatus*, materiam praebet concertationum. — Scilicet quaeritur: vtrum dominus, cum domum ſuam (aut fundum) cuipiam locatum tempore conductionis nondum elapſo alii cuidam vendit, tenetur obſtrictus conditionem conductionis perdurantis pacto venditionis adiungendam, an dici poteſt: emtio rumpit conductionem (ſed intra tempus renuntiationis vſu conſtitutum)? — Caſu priori illo domus reapſe *onere* premeretur, iure in re, a conductore in ea (domo) acquiſito; quod etiam vtique fieri poteſt (pacto conditionis ad domum ipſam dilatato), tum vero haud merum pactum conductionis foret, ſed tale ad quod aliud pactum (ad quod haud ita multi locatores ſeſe adcommodauerint) addere oporteret. Ergo locum habet pronuntiatum hoc: „emtio conductionem rumpit," hoc eſt, ius plenum in re (dominium) vniuerſum ius perſonale, quod cum eo non poteſt conſiſtere, praeponderat; in quo tamen conductori actionem ex iure perſonali licet inſtituere, vt damni ex rupto pacto orti expers praeſtetur.

SECTIO INTERCALARIS

De adquiſitione ideali rei externae arbitrio ſubiectae.

§. 32.

Adquiſitionem *idealem* dico eam, quae nullam in tempore cauſſalitatem continet, et cui proinde mera idea rationis purae fundamento ſubſtrata videtur. Quae nihilominus vera, nec putatitia, adquiſitio eſt, atque idcirco ſolum haud realis vocatur, quia actus adquirendi haud empiricus eſt, propterea quod ſubiectum ab alio quodam, quod vel *nondum* exſtat (quod eſſe duntaxat poſſe ſumitur), aut, dum hoc ipſum *eſſe deſinit*, aut, cum *haud amplius eſt*, adquirit, proinde poſſeſſionis acceſſus in mera idea rationis practica verſatur. — Sunt tria illa adquiſitionis genera: 1) *vſucapione*, 2) *hereditate*, 3) *merito immortali*, hoc eſt, iure bonae poſt mortem famae. Cuncta quidem tria non niſi in ſtatu iuridico publico vim ſuam queunt exſerere, verum non modo in conſtitutione illius ſtatutisque arbitrariis nituntur, ſed quoque ex anticipatione in ſtatu naturali, et quidem neceſſario ante, cogitari poſſunt, ad leges deinde conſtitutione ciuili ad ea conformandas (ſunt iuris naturae).

I.

Modus adquirendi vſucapione.

§. 33.

Dominium alterius ſolum *vſucapione* adquiro; non per conſenſum illius praeſumtum, nec quia, cum haud repugnet, ſumere poſſum, eum rem ſuam *dereliquiſſe*, ſed quoniam, etiamſi quis vere hanc rem vt dominus poſtularet, eum tamen ſolum poſſeſſione mea diuturna *ſegregari*, et huc vsque exſtitiſſe

ignorari, atque etiam, quaſi tempore poſſeſſionis meae duntaxat vt ens rationis fuerit, agi licet: quamvis de actualitate eius perinde ac iure poſthac certior factus fuerim. — Atque hic adquirendi modus minus recte adquiſitio per *praeſcriptionem* vocatur; namque reiectio tantummodo vt conſequens illius ſpecta da eſt; adquiſitio antegreſſa ſit, oportebit. — Iam poſſibilitas hoc modo adquirendi, probanda videtur.

Is, qui haud perpetuum *actum poſſeſſorium* rei externae, vt ſuae exercet, iure, vt qui neutiquam exſtet, conſideratur; neque enim de laeſione queri poteſt, quamdiu titulo poſſeſſoris potitur, et etiamſi poſthac cum iam alius eam adprehendit, pro eo ſeſe declararet, tamen olim iam ſeſe dominum fuiſſe, non vero etiamnum eſſe declarat, poſſeſſionemque ſine actu legitimo continuo interruptam manſiſſe. Igitur non niſi actu iuridico et quidem continuo ſeruato documentis adprobato, ſuum ſibi, diu haud vſurpatum, cauere poteſt.

Fac enim: ex huiusce actus poſſeſſorii neglectione haud conſequi, vt alius quis in poſſeſſione ſua bonae fidei poſſeſſionem irrefragabilem conſtituat, et rem, quam poſſidet, vt ab ſe adquiſitam conſideret, nulla omnino adquiſitio peremtoria, ſed vniuerſa duntaxat prouiſoria (ad interim) foret; quoniam hiſtoria inueſtigationem ſuam non poteſt a poſſeſſore primo eiusque adquirendi actu repetere. — Praeſumtio, qua vſucapio nititur, proinde non ſolum *iuſta* (licita) eſt vt *coniectura* ac ſuſpicio, verum etiam, vt ſuppoſitio legalis, praeſumtio iuris et de iure videtur: qui actum poſſeſſorium ſuum documentis inſtruere negligit, is ius ſuum in poſſeſſore praeſente perdidit, in quo diuturnitas temporis neglectionis (quae nullo modo nec poteſt definire nec debet) duntaxat pro certitudine huius omiſſionis adducitur. At poſſeſſorem huc vsque ignotum, actu illo poſſeſſorio (quamuis haud per culpam ſuam) interrupto, rem

Digitized by Google

'emper vindicare poſſe (dominia rerum incerta fa-
:ere), poſtulato rationis iuridico practicae ſuperiori
epugnat.

Iam vero illi, ſi membrum rei publicae ſit, hoc
:ſt, in ſtatu ciuili, vtique poteſt ciuitas poſſeſſionem
modo vicario) tueri, quamquam haec vt poſſeſſio pri-
'ata interrupta fuit, nec poſſeſſori praeſenti titulum
idquiſitionis vsque ad primam probare licet, neque
itulo vſucapionis inniti. Verum in ſtatu naturali
iic poſterior iuſtus eſt, non quidem ad rem eo reapſe
:dquirendam, ſed ad ſeſe ſine actu iuridico in eius
)oſſeſſione conſeruandum: quae liberatio a petitioni-
)us tum quoque ſolet adquiſitio vocari. — Ergo
)raeſcriptio poſſeſſionis vetuſtioris eſt iuris naturae.

II.

Adquiſitio hereditatis.

§. 34.

Adquiſitio hereditatis cernitur in translatione
acultatum bonorumque cuiusdam moribundi ad ſuper-
item per conuenientiam voluntatis vtriusque. —
Adquiſitio *heredis inſtituti*, et hereditas relicta *teſta-
oris*, hoc eſt, haec mutatio mei tuique articulo mor-
is efficitur, quippe quo hicce eſſe deſinit, ideoque
)roprie nulla translatio eſt ſenſu empirico, quae
.ctus duos ſupponit continuos, ſcilicet quibus primo
'nus poſſeſſionem derelinquat, et alter deinde in eam
equatur; verum adquiſitio idealis. — Cum adqui-
itio hereditatis ſine *diſpoſitione vltimae voluntatis* in
latu naturali nequeat cogitari, et, vtrum *pactum
ucceſſorium* ſit, an *teſtamentum*, in quaeſtione, an et
uomodo eo ipſo temporis articulo, quo ſubiectum
ſſe deſinit, mei tuique transitio eſſe poſſit, agatur,
uaeſtio: qui adquirendi modus per adquiſitionem
ereditatis fieri poteſt? a variis, quae eſſe poſſunt,
)rmis tractationis illius (quae non niſi in republica
)cum habent) libere anquirenda videtur.

Fieri poteſt, vt ex teſtamento adquiratur? — Namque teſtator *Caius* promittit vltimamque voluntatem ſuam *Titio*, illius promiſſi ignaro, declarat facultates ſuas, ſi moriatur, ad hunc transire debere, ideoque, dum viuit, earum vnicus dominus manet. Iam ſola quidem voluntate vnilaterali nihil poteſt quidquam ad alterum transferri; ſed praeter promiſſionem etiam acceptatione partis alterius opus eſt et voluntate ſimultanea, quae tamen hic deeſt; quamdiu enim Caius viuit, Titius non poteſt diſerte acceptare, vt eo adquirat; ſiquidem ille non niſi, ſi moreretur promiſit (alioquin enim dominium temporis articulo commune foret, quae non eſt teſtatoris voluntas). — Hic vero tamen tacite ius proprium in hereditate vt ius reale adquirit, quippe ius in re iacente, proinde haec illo temporis articulo hereditatis iacens adpellatur. Cum igitur quisque homo neceſſario (quia ea quidem ſane adquirere poteſt, non vero perdere) eiusmodi iure vtatur, proinde quoque tacite acceptet, Titiusque poſt mortem Caii in hac cauſſa verſetur, hereditas acceptata promiſſione adquiri poteſt, neque ea forte interea res nullius, ſed modo *res vacua* fuit; propterea quod vnice iure gaudebat optionis, an facultates derelictas reddere ſuas vellet, nec ne.

Ergo teſtamenta etiam ſunt iuris naturae; quae ſententia vel ſic intelligenda eſt, ea fieri poſſe atque etiam digna eſſe, quae in ſtatu ciuili (cum hic aliquando incipit) introducantur. Nam ſic ſolum (voluntatis in eo vniverſalis) poſſeſſionem hereditatis cuſtodit, dum haec inter acceptationem et reiectionem verſatur, et proprie ad nullam pertinet.

III.

Bona fama defuncti.

§. 35.

Mortuum poſt mortem (cum proinde non amplius exſtat) aliquid poſſe poſſidere, abſurda cogitatio foret, ſi relictum in rebus eſſet. Iam vero *bona fama*

Digitized by Google

in meo tuoque verſatur externo connato, quamquam ſolum ideali, quod ſubiecto, vt perſonae, inhaeret, a cuius natura, vtrum cum morte prorſus eſſe deſinat, an etiam nunc vt talis reliqua ſit, memet et possum continere et debeo, quoniam reſpectu aliorum iuridico, vnam quamque perſonam ſolum ſecundum naturam illius humanam, proinde vt hominem noumenon vere contemplor, atque ita quiuis conatus, falſam illi poſt mortem infamiam adſpergendi, ſemper anceps videtur; etſi adcuſatio illius vera vtique locum habet (proinde principium iſtud: de mortuis nil niſi bene, falſum eſt), quoniam contra abſentem, qui ſe haud defendere poteſt, opprobria diuulgare, niſi certiſſime de iis perſuaſum tibi habeas, certe illiberale videtur.

Vita innocente et morte illam finiente hominem famam (negatiue) bonam vt ſuum, ſibi relictum, adquirere, cum vt homo phaenomenon haud amplius exſtat, et ſuperſtites (cognatos aut alienos) poteſtatem habere etiam coram iure eius defendendi (quoniam adcuſatio haud demonſtrata eos cunctos de ſimili tractatione in morte periculo exponit) eum, igitur, tale ius poſſe adquirere, mirum eſt, et nihilominus manifeſtum phaenomenon rationis eſt anticipatione legislatoriae praeceptum ſuum et vetitum etiam vltra vitae terminos dilatantis. — Quodſi quis de mortuo quodam crimen diuulgat, quo hic, dum in viuis eſſet, infamis factus, aut ſaltem in contemtum adductus foret; cuiuis, qui poteſt euincere, criminationem illam de induſtria falſam eſſe fictamque, eum, qui illi malam famam creat, palam licet pro calumniatore declarare, proinde illum ipſum infamem reddere; quod illi haud liceret, niſi iure ſupponeret, demortuum eo offenſum eſſe, quamuis mortuus ſit, et huic illa defenſione ſatis fieri, etſi haud amplius exſtet. *)

*) In quo quidem noli ad praeſenſionem vitae futurae rationesque ad animas corporibus ſolutas adſpectui inacceſſas fanatice concludere; neque enim niſi de relatione pure morali et iuridico, quae in hominibus etiam in vita locum

Nec ius partis defenſoris pro defuncto agendi huic probandum videtur; nam quisque ſibi homo neceſſario eas vindicat, vt non ſolum ad officium virtutis (ethice ſpectatas) verum etiam adeo ad ius humanae naturae in genere pertinentes: quo quidem nullis ſingularibus detrimentis perſonalibus opus videtur, quae forte ad amicos cognatosque ex hac macula defuncti redundauerint, quae illi eiusmodi dicae poteſtatem facerent. — Talem igitur adquiſitionem idealem et ius hominis poſt mortem erga ſuperſtites veram eſſe, poſitum extra controuerſiam videtur, quamquam poſſibilitas illius non poteſt plenius exponi.

CAPUT TERTIUM

DE ADQUISITIONE SUBIECTIVE HYPOTHETICA PER SENTENTIAM IURISDICTIONIS PUBLICAE.

§. 36.

Si modo iure naturali non ſtatutarium, proinde tantummodo ius ex anticipatione per cuiusuis hominis rationem cognoſcibile, non ſolum *iuſtitia* commutatiua, verum etiam distributiua, vti ea ex lege ſua

habet, hic ſermo eſt; in qua vt naturae intelligibiles verſantur: propterea quod vniuerſam rationem phyſicam (ad exiſtentiam illorum in ſpatio et tempore pertinentem) *legis* ab ea *ſeparamus*, id eſt *abſtrahimus*, non vero homines hanc naturam ſuam exſuere facimus atque in ſpiritus conuerti, in quo ſtatu offenſionem per calumniatores ſuos perſentiſcant. — Is qui centum annis poſt falſo de me maledice contumelioſeque dicit, iam nunc memet offendit; namque in relatione iuridica pura, quae tota intellectualis eſt, ab vniverſis conditionibus phyſicis (temporis) nosmet continemus, et calumniator pariter vituperabilis eſt, ac ſi me viuo feciſſet, non quidem iudicio capitali, verum eo duntaxat, quod illi, ex iure talionis, opinione publica eadem honoris iactura infligitur, quem alii cuidam detraxit. — Ipſe *plagiatus*, quem auctor in demortuos committit, quamquam honorem defuncti minus commaculat, verum huic modo eius partem detrahit, tamen iure vt laeſio illius punitur.

Digitized by Google

poteſt ex anticipatione cognoſci, ſententiam ferre ſuam debeat, pariter ad ius naturae pertinebit.

Perſona moralis, quae iuſtitiae praeeſt, *forum* eſt, et, in ſtatu muneris adminiſtrandi, *iudicium*: cunctis duntaxat ſecundum conditiones iuris anticipatione cogitatis, nec modo, quo eiusmodi conſtitutio reapſe inſtituenda ſit et inſtrumentis ornanda (quo ſtatutis, ideoque principiis empiricis, opus eſt) ſpectato.

Quamobrem hoc loco non ſolum quaeritur: quid *per ſe rectum*, quomodo ſcilicet hac de re quisque homo per ſe iudicare debeat, ſed: quid coram foro rectum, hoc eſt, iuris eſt? Vbi tum *quatuor* cauſſae ſunt, in quibus vtraque iudicia varie atque contrarie eueniunt, et tamen iuxta ſe inuicem poſſunt conſtare, quia ex duplici reſpectu vario, vtroque vero, feruntur: altero ſecundum ius priuatum, altero ad ideam iuris publici, — qua ſunt 1) *pactum donationis.* 2) *commodatum.* 3) *vindicatio.* 4) *iuramentum.*

Conſuetum iuris doctorum vitium eſt *ſubreptionis*, vt illud principium iuridicum, quod forum quoddam, in ſuam rem (proinde reſpectu ſubiectiuo) accipiendi poteſtatem habet, atque adeo obligationem, vt de quouis iure vni quidam competenti ſententia pronuntietur, etiam obiectiue, quo eo, quod per ſe ipſum rectum eſt, accipiant; cum tamen illud ab hoc maxime abhorreat. — Igitur haud parum vtile erit, hanc varietatem ſpecialem explanari.

A.

§. 37.

De pacto donationis.

Hoc pacto (donationis), quo meum, rem meam (vel ius meum) *gratis alieno*, adfectio continetur mei, donantis, ad alium, donatarium, ex iure priuato, quo meum ad hunc per acceptationem doni transfertur. — Nec vero animo praeſumendum videtur, me-

met in eo velle, vt ad promiſſum ſeruandum cogar, ideoque etiam *libertatem* meam temere tradam, quaſique memet ipſum abiiciam (nemo ſuum iactare praeſumitur) quod tamen ex iure in ſtatu ciuili futurum foret; ibi enim donatarius poteſt memet ad faciendum promiſſum cogere. Igitur, ſi cauſſa ad iudicium deferretur, hoc eſt, ad ius publicum, aut praeſumendum foret, donantem ad hunc coactum conſentire, quod abſurdum eſt, aut forum in ſententia ſua minime reſpiceret, an ille libertatem, promiſſi mittendi, reſeruare ſibi voluerit, nec ne, verum id, quod certum eſt, promiſſum acceptationemque promiſſarii. Quamquam igitur promittens, vti ſane poteſt coniici, cogitauit, ſe, ſi iam, ante ſolutionem, promiſſi poenituerit, eo non poſſe adſtringi; tamen iudicium ponit, eum ſibi iſtud diſerte oportuiſſe reſeruari, et, ſi haud fecerit, ad promiſſum ſeruandum vi poſſe adigi, idque principium idcirco forum accipit, quia alioquin dicendae ſententiae difficultas adferretur, aut plane impoſſibilis redderetur.

B.

§. 38.

De commodato.

In pacto de commodato, quo cuipiam vſum mei gratuitum concedo: vbi, ſi hoc in rebus eſt, paciſcentes in eo conueniunt, vt hic mihi *eamdem* rem rurſum in poteſtatem meam reducat, commodatarius haud ſtatim praeſumere poteſt, commodantem etiam omne periculum iacturae rei poſſibilis aut qualitatis ſibi vtilis in ſe recipere, quae inde, quod in manum commodatarii tradiderit, oriri queat. Neque enim per ſe intelligitur, commodantem praeter vſum rei, quem commodatario concedit (detrimentum cum eo arctiſſime coniunctum) etiam *cautionem* contra vniuerſum damnum, quod inde ad ſe redundare poſſit, quod eam e cuſtodia ſua miſerit, remiſiſſe; ſed ea de re

Digitized by Google

ſingulare pactum faciendum foret. Igitur tantummodo queri poteſt: vtri, commodanti an commodatario, conueniat, vt conditionem ſuscipiendi periculi, quod rei poſſit accidere, pacto de commodato diſerte adiiciat; aut ſi hoc non ſiat, a quonam *conſenſus* ad dominium commodantis cauendum (redditione illius aut re paris dignitatis) *praeſumi* queat? Non a commodante; quippe qui non poteſt praeſumi, plus gratis, quam merum rei vſum (nimirum haud item inſuper cautionem ipſius dominii in ſe recipiendam) conceſſiſſe, ſed vtique a commodatario; quia tum nihil quidquam amplius praeſtat, quam quod ipſo pacto continetur.

Quodſi, exempli gratia, orta pluuia domum ſubeo, paenulamque commodandam rogo, quae vero, forte materiis calorem facile mittentibus imprudenter de feneſtra effuſis, tota corrupta eſt, aut, ſi dum eam in alia domo, quam ſubeo, depoſita, mihi furto aufertur, tamen cuiuis homini abſurdum videatur, neceſſe eſt, ſi diceres, mihi nihil quidquam faciendum eſſe, niſi vt paenulam, ſicut eſt, rem remitterem, aut furtum factum tantummodo denuntiarem; ad ſummum, eſſe officioſum, ſi commodantem de hac iactura dolerem, cum ex iure quidpiam nequeat poſtulare. — Longe aliter foret, ſi in vſu iſtud rogando ſimul in caſum, ſi forte ea res in manibus meis quidquam detrimenti captura ſit, ante, hoc quoque periculum vt commodans in ſe reciperet, rogarem, ſi quidem pauper eſſem atque ad damnum reſarciendum inops. Quod poſterius nemo ſuperuacaneum ridiculumque iudicaret, niſi forte ſi commodans homo opulentus atque humanus eſſet, quia tum propemodum in offenſione foret, ſi remiſſionem debiti liberalem hac in cauſſa haud praeſumerem.

* * *

Cum igitur de meo tuoque ex pacto de commodato, ſi, (quemadmodum natura huius pacti poſtulat)

de caſu aduerſo poſſibili, qui rei acciderit, nihil conſtitutum ſit, illud ergo, quia conſenſus tantum praeſumtus eſt, pactum incertum ſit, iudicium de eo, hoc eſt, disceptatio, ad quem caſum pertinere deberet, non ex conditionibus pacti per ſe ipſius, verum vti *ſolum coram foro*, quod certum duntaxat in illo ſequi ſolet (quod hoc loco poſſeſſio rei vt dominium eſt) disceptari poteſt, ſententia in *ſtatu naturali*, hoc eſt, pro natura rei interna haec erit: caſum ſentit *commodatarius*; contra in *ſtatu ciuili*, proinde coram foro, ſententia ſic pronuntiabitur: caſum ſentit *dominus*, et quidem idcirco a iudicato ſolius rationis ſanae diverſa, quia iudex publicus non poteſt ad praeſumtiones eorum, quae vna alteraue pars cogitauerit, deſcendere, verum is, qui de immunitate ab omni damno rei commodatae haud ſeparatim pactus eſt, illud ipſe ſubire debet. — Ergo discrimen inter ſententiam, quae foro pronuntianda foret, et eam, quam ratio cuiusuis priuata pro ſe ferre poteſt, in corrigendis iuris ſententiis minime negligendum videtur.

C.

De vindicatione rei amiſſae.

§. 39.

Rem perdurantem, quae mea eſt, meam manere, quamquam non in detentione illius perdurante videor, nec ſponte ſine actu iuridico (derelictionis vel alienationis) meam eſſe deſinere, mihique ius in ea re (ius reale), proinde contra *quemuis* poſſeſſorem, non ſolum contra perſonam certam (ius perſonale) competere, ex iis, quae ſupra disputauimus, planum eſt. An vero hocce ius etiam *a quouis alio* pro dominio per ſe perdurante accipiendum ſit, ſi illud *modo haud renuntiaverim*, et res in poſſeſſione alterius teneatur, id nunc quidem quaeritur.

Quodſi res fuerit amiſſa atque ab alio *bona fide* vt inuentum putatitium, aut ſolenni alienatione poſ-

ſeſſoris, qui ſeſe vt dominum gerit, quamuis dominus non ſit, ad me transierit, quaeritur, an, cum *a non-domino* rem nequeam adquirere, ego illo ab omni iure in hac re excludar, ſolumque ius perſonale contra poſſeſſorem iniuſtum mihi relinquatur. — Manifeſtum eſt, hoc poſterius vſu venire, ſi adquiſitio non ſolum ex rationibus internis ius tribuentibus (in ſtatu naturali) non vero ex conuenientia fori diiudicetur.

Omne enim, quod alienari poteſt, neceſſe eſt ab vllo quopiam poſſe adquiri. Sed legalitas adquiſitionis tota pendet ex forma, qua id, quod alterius poſſeſſione tenetur, ad me translatum a me acceptatur, hoc eſt, ex ſolemnitate actus iuridici commercii (ex commutatione) inter poſſeſſorem rei et adquirentem, nec mihi licet quaerere, quomodo ille ea potitus ſit; quippe quod iam in laeſione poſitum foret (quilibet praeſumitur bonus, donec probetur contrarium). Iam fingamus, poſthac cognoſci, non illum, ſed alium, dominum eſſe, non licet perhiberi, hunc recta ab me rem petere poſſe (vti quoque a quouis alio, qui rem detinuerit). Neque enim illi quidquam abstuli, ſed, velut equum, qui in foro publico venum dabatur, legi conuenienter (titulo emti venditi) emi: ſiquidem titulus adquiſitionis ex mea parte haud controuerſus eſt, ego vero (vt emtor) ad titulum poſſeſſionis alterius (venditoris) anquirendum, — cum haec iuueſtigatio in ſerie adſcendente in infinitum pergeret, — haud obligatus ſum, quin adeo ne poteſtate quidem polleo. Ergo emtione tituli iuſti non ſolum dominus equi *putatitius*, ſed *verus*, factus ſum.

Huic vero rationes iuris obſiſtunt quae ſequuntur. Omnis adquiſitio ex eo, qui haud rei dominus eſt, vana eſt atque irrita. De bonis alterius nihil quidquam poſſum amplius, quam quod ipſe iuſto modo habuit, ad me deriuare, et quamquam, quod formam adquiſitionis (adquirendi modum) attingit,

vtique legitime ago, ſi equum furto ablatum, qui in foro venalis eſt, emo, tamen titulus adquiſitionis deeſt; equus enim non in bonis fuit venditoris veri. Vtcumque *bonae fidei* poſſeſſor fuerim, tamen non niſi dominus *putatitius* ſum, et dominus verus iure gaudet rem ſuam *vindicandi*.

Si quaeritur, quid (in ſtatu naturali) inter homines, ex principiis iuſtitiae commutatiuae, in adquirendis rebus externis *per ſe* iuris videatur, fatendum eſt: illum, cui hoc propoſitum ſit, neceſſario oportere anquirere, an res, quam adquirere vult, haud iam cuiuspiam alius ſit; ſcilicet, etſi conditiones formales rei a bonis alterius deriuandae adcurate ſecutus ſit (equum in foro rite emerit), eum tamen ad ſummum duntaxat *ius perſonale* reſpectu rei (ius ad rem) adquirere potuiſſe, quam diu adhuc ignoret, anne alius quis (quam venditor) verus illius dominus videatur; ita vt, ſi quis inueniatur, qui dominium ſuum antegreſſum docere argumentis poſſit, nouo domino putatitio nihil relinquatur, quam vt vtilitatem, quam, vt poſſeſſor bonae fidei, adhuc inde percepit, vsque ad hoc tempus iuſte perceperit. — Cum igitur plerumque fieri nequeat, vt in ſerie dominorum putatitiorum ius ſuum ex ſe inuicem derivantium ſimpliciter primus inueniatur: nullum commercium rerum externarum, vt maxime illud cum conditionibus formalibus huiuscemodi iuſtitiae (commutatiuae) conuenerit, adquiſitionem poteſt certam praeſtare.

* * *

Iam hoc loco ratio iuridice legislatoria rurſus cum principio *iuſtitiae diſtributiuae* accedit, vt iuſtitiam poſſeſſionis, non vti *per ſe* reſpectu voluntatis cuiusque hominis priuatae (in ſtatu naturali), ſed modo vti coram *foro* in ſtatu per voluntatem vniuerſo coniunctam (in ciuili) disceptaretur, pro norma accipiamus: vbi tum conuenientia cum conditionibus

Digitized by Google

adquiſitionis formalibus, quibus per ſe duntaxat ius perſonale conſtituitur, ad compenſendas rationes materiales (quae deriuationem ex bonis domini antegreſſi petentis conſtituunt) vt idonea poſtulatur, et ius *per ſe* perſonale, *ad forum delatum*, valet pro iure reali, veluti, vt equus, in foro publico lege publica conſtituto cuique venalis, cunctis emtionis venditionisque regulis diligenter obſeruatis, in dominium meum cedat, (ita tamen, vt domino vero ius relinquatur, a venditore de poſſeſſione vetuſtiori, cuius iacturam haud meruerit, petendi) meumque ius alioquin perſonale in ius reale, quo rem meam, vbi inuenerim, mihi vindicare licet, conuertatur, neque ad modum, quo ea venditor potitus fuerit, deſcendam.

Igitur non fit niſi in fauorem iuſtitiae distributiuae, vt ius reſpectu rei non, *vti per ſe eſt*, (vt perſonale) verum vti *facillime* certiſſimeque de illo *decerni* poteſt, (vt ius reale) ſed ex principio puro ex anticipatione, accipiatur ac tractetur. — In quo vero poſtea variae leges ſtatutariae (conſtitutiones) nituntur, quibus potiſſimum propoſitum eſt, vt conditiones, quibus ſolis adquirendi actus eſſe legitimus debeat, ita collocentur, *vt iudex* ſuum cuique *facillime* poſſit et *certiſſime* adiudicare: veluti in enuntiato hoc: emtio rumpit conductionem, vbi id, quod per naturam pacti, hoc eſt, per ſe, ius reale eſt, (conductio) pro iure ſolum perſonali et vice verſa, vti in ſuperiori cauſſa, quod per ſe merum ius perſonale eſt pro iure reali valet; cum quaeritur, ad quaenam principia forum in ſtatu ciuili delegandum ſit, quo in pronuntiatis ſuis, de iure cuiuis competente ſibi maxime proſpiciat.

D.

De cautione iuratoria.

§. 40.

Nulla poteſt ratio alia adferri, qua homines iuridice ad *credendos* profitendos deos queant obligari,

quam haec, vt iusiurandum dicere possint, metuque potentiae supremae omniscIae, cuius vindictam solemniter contra se prouocat, si falsum dixerint, cogi, vt in loquendo veri fidique in promittendo videantur. In quo quidem haud moralitatis harum duarum partium, sed solum superstitionis eorum caecae rationem haberi, inde patet, quod *solius* illorum coram iudicio *indicii solemnis* in causis forensibus nulla spes esset, quamuis officium veracitatis in causa, vbi de eo, quod in hominibus esse sanctissimum potest, (de iure hominum) agitur, cuiuis maxime in aprico est, proinde meris fabulis momentum efficitur: quemadmodum, vt hoc vtar, in *Reiaugis*, populo pagano Sumatrae, qui teste *Marsdenio* per ossa cognatorum mortuorum iurant, quamuis minime credant, vitam post mortem esse, aut iusiurandum *Aethiopum Guineae* per *fetissum* suum, pennam auis, quam sancte adseuerant sibi cervicem fracturam, et quae sunt generis eiusdem. Vim quamdam putant haud adspectabilem, siue mente praedita sit, siue non, iam per naturam suam, hacce vi magica pollere, quae tali prouocatione excitetur. — Eiusmodi fides autem, quae religio dicitur, sed proprie superstitio dici deberet, administrationi iuris necessaria est, quoniam, ea neglecta, *forum* non satis posset facta occultata aperire, sententiamque ferre. Igitur manifestum est, legem, quae ad eam rem obligat, non nisi in gratiam potestatis iudicantis latam videri.

Sed nunc quidem quaeritur: qua re obligatio nitatur, qua quis coram iudicio teneatur, vt iusiurandum alterius pro argumento veritatis orationis illius iure valido, quo omnis controuersia finiatur, accipiat, hoc est, quo iure obligor, vt credam, alium (iurantem) omnino religionem colere, vt ius meum ex iureiurando eius patiar pendere. Item vice versa: an omnino obligari possum ad iurandum? Vtrumque per se iniustum est.

Digitized by Google

Verum reſpectu fori mei, ergo in ſtatu ciuili, ſi ſumſeris, nullum eſſe adiumentum aliud, quibusdam temporibus veri aperiendi, praeter iusiurandum, religionem a quouis coli ſupponendum eſt, vt ea in caſu neceſſitatis in gratiam rationis iuridicae coram *foro* vtamur, quod hanc torturam ſpiritualem pro inſtrumento celeriori propenſionique hominum ſuperſtitioſae conſentaneo ea, quae occultata ſunt, aperiendi agnoſcit, eoque iure ſeſe vti poſſe arbitratur. — Sed poteſtas legislatoria reapſe iniuſte agit, quod poteſtati iudiciariae hanc copiam facit, ſiquidem in ipſo ſtatu ciuili coactus ad iusiurandum dicendum libertati humanae, quae numquam amitti poteſt, adverſatur.

Quodſi iusiurandum in auſpicando munere publico dicendum, quod ſolet *promiſſorium* eſſe, ita vt tibi ſeuere *propoſitum* ſit, munere tuo officio conuenienter defungi, in *adſertorium* conuerteretur, vt ſcilicet munere fungens forte anno exeunte (vel pluribus annis peractis) teneretur obſtrictus, munus fideliter adminiſtratum iurare: ea res partim religionem plus excitaret, quam iusiurandum promiſſorium, quod poſthac ſemper praetextum internum relinquit, te, animo optimo, moleſtias haud praeuidiſſe, quas poſtea in defungendo munere expertus ſis, transgreſſionesque officiorum, ſi computatio illorum per animaduerſorem futura foret, metum quoque adcuſationis excitarent, quam ſi ſolum ſingulae (priſtinis oblivioni datis) punirentur. — Ac iusiurandum quidem de *credulitate* nullo modo poteſt a iudicio poſtulari. Primo enim iſtud in ſe ipſum cohibet repugnantiam: hoc medium opinionem inter et ſcientiam, quoniam quidpiam eſt, de quo pretio quidem *certari* poſſit; non vero *iurari*. Deinde iudex, eiusmodi iusiurandum de credulitate a partibus litigantibus poſtulans, vt aliquid conſilio ſuo conſentaneum, etiamſi ſalus publica foret, inueniat, maxime impingit in religionem iurantium, partim leuitate animi, ad quam ducit, et qua iudex ſua ipſius conſilia irrita reddit, partim morſibus conſcientiae, quibus hominem neceſſe eſt pungi, qui hodie rem certo quodam reſpectu conſideratam, maxime probabilem, crâs vero, alio reſpectu prorſus improbabilem iudicare poteſt, ideoque eum, quem ad eiusmodi iusiurandum cogit, laedit.

Transitio ab meo tuoque in ſtatu naturali ad meum tuumque in ſtatu iuridico in genere.

§. 41.

Status iuridicus in ea hominum ad ſe iuuicem adfectione, qua conditiones continentur, quibus ſolis efficitur, vt ſui quisque iuris *particeps* fieri poſſit, principiumque poſſibilitatis eius formale, ex idea voluntatis vniuerſe legislatioriae conſideratum, iuſtitia publica dicitur, quae reſpectu aut poſſibilitatis, aut actualitatis, aut neceſſitatis poſſeſſionis rerum (vt materiae arbitrii) ſecundum leges, in iuſtitiam *tutatricem*, *commutatiuam*, et *distributiuam* deſcribi poteſt — In quo quidem lex *primo* iudicat, duntaxat quaenam ratio interne ſecundum formam *iuſta* ſit (lex iuſti); *deinde*, quid vt materia etiam praeterea extrinſecus ſub legem cadat, id eſt, cuiusnam poſſeſſio *iuridica* ſit (lex iuridica); *tertio*, quid et de quo ſententia coram foro in cauſſa ſingulari ſub legibus latis huic conſentaneum, hoc eſt, *iuris* ſit (lex iuſtitiae), vbi tum forum illud ipſum *iuſtitiam* regionis vocamus, et vtrum talis ſit nec ne, omnium rerum iuridicarum grauiſſima quaeri poteſt.

Status non iuridicus, hoc eſt, is, in qua nulla iuſtitia distributiua eſt, ſtatus naturalis adpellatur. Cui quidem haud ſtatus *ſocialis* (vti Achenuallius putat) et qui ſtatus artificialis dici poſſet, ſed ſtatus *ciuilis* ſocietatis iuſtitiae distributiuae ſubiectae opponitur; namque in ſtatu quoque naturali ſocietates legitimae (veluti maritales, patriae, domeſticae omnino aliaeque plures) eſſe poſſunt, de quibus nulla lex ex anticipatione locum habet: „in hunc ſtatum ingreditor“, quod tamen dici de ſtatu iuridico poteſt, omnes homines, quorum eſſe rationes iuridicae (etiam involuntarie) poſſint, in hunc ſtatum ſeſe conferre debere.

Digitized by Google

Primus alterque ſtatus dici *iuris priuati*, ſed poſtremus *iuris publici* poteſt. Quod quidem haud plura, neque alia officia hominum erga ſe inuicem, quam in illo cogitari poſſunt, complectitur; materia iuris priuata eadem in vtroque eſt. Leges poſtremi igitur duntaxat formam iuridicam conuictus (conſtitutionis) illorum attingunt, cuius reſpectu leges iſtae neceſſario ſunt vt publicae cogitandae.

Ipſa *vnio ciuilis* vix poteſt *ſocietas* adpellari; namque *imperantem* inter et *ſubditum* nulla conſortio eſt; non ſocii ſunt et ſodales, ſed inuicem *ſubordinati*, non vero *coordinati*, et qui ſe inuicem coordinant, ob eam ipſam cauſſam ſe debent ſibi invicem aequales ſpectare, quatenus legibus communibus ſubſunt. Illa igitur vnio non tam *eſt* ſocietas, quam ſocietatem *efficit*.

§. 42.

Atque ex iure priuato in ſtatu naturali nunc poſtulatum iuris publici proficiſcitur hocce: in adfectione coëxſiſtentiae neceſſariae, ad omnes alios, ne ex illo in ſtatum iuridicum, hoc eſt, iuſtitiae distributiuae, transgrediare. — Cuius quidem ratio analytice poteſt ex conceptu *iuris*, in relatione externa, cum *violentia* comparati explicari.

Nemo tenetur obſtrictus ad ſeſe a poſſeſſione alterius violenta continendum, niſi hic itidem illi de eadem erga eum abstinentia ſeruanda caueat. Quamobrem illi non exſpectandum eſt, donec forte triſti experientia de mente huius contraria edoceatur; quid enim eum obligaret, vt demum damno ſuo ſapere deſineret, cum ſtudium hominum generatim aliis ſeſe gerendi ſuperiores (ne dicam ſuperiorem iuris rationem aliorum, cum ſe per potentiam aſtutiamue ſentiunt ſe hisce ſuperiores) in ſe ipſo poſſit ſatis animadvertere, neque neceſſe eſt, vt veras inimicitias exſpectet; poteſtatem habet eum cogendi, qui iam per

naturam ſuam illi coactum minatur. (Quilibet praeſumitur malus, donec ſecuritatem dederit oppoſiti).

In propoſito, vt in hoc ſtatu libertatis extrinſecus ex lege et ſint et maneant, ſe *inuicem* quoque haud iniuria adficiunt cum ſe inuicem infeſtant; quod enim ad vnum pertinet, mutuo etiam pertinet ad alterum, quaſi per conuentionem (vti partes de iure ſuo disponunt, ita ius eſt): verum omnino in eo maxime peccant, *) quod et eſſe in ſtatu volunt, et manere, qui haud iuridicus eſt, hoc eſt, in quo nemini de bonis ſuis contra violentiam cautum videtur.

*) Iſtius discriminis inter id quod ſolum formaliter, et id, quod etiam materialiter iniuſtum eſt, varius in doctrina iuris vſus videtur. Hoſtis, qui, cum pactum cum praeſidio caſtelli oppugnati contractum perficere deberet, milites in egreſſu vexat, alioue modo pactum rumpit, queri haud de iniuria poteſt, cum aduerſarius occaſione data, par pari refert. Verum omnino peccant maxime, quoniam conceptum iuris ipſi omni vi atque efficacitate priuant, omniaque potentiae indomitae, quaſi legibus conuenienter, tradunt, atque ita ius hominum omnino euertunt.

Digitized by Google

DOCTRINAE IURIS

PARS POSTERIOR.

IUS PUBLICUM.

SECTIO PRIMA.

IUS CIVITATIS.

§. 43.

Complexus legum, vniuerſalis promulgationis indigentium ad producendum ſtatum iuridicum, eſt *ius publicum*. — Hoc igitur cernitur in ſyſtemate legum cuidam populo, hoc eſt, hominum multitudini aut multitudini populorum, qui in contagione cum ſe inuicem mutua conſtituti, ſtatus iuridici sub voluntate eos coniungentis, *conſtitutionis*, indigent, vt eius, quid iuris ſit, participes fiant. — Hic ſtatus ſingulorum in populo in adiectione ad ſe inuicem, dicitur *ſtatus ciuilis*, totumque reſpectu membrorum proprio, *ciuitas* adpellatur, quae, ob formam ſuam, vt communi vtilitate omnium obſtricta eſt, vt in ſtatu iuridico verſetur, *res publica* latius ſic dicta vocatur, ratione vero aliorum populorum *potentia* ſimpliciter vocatur, (vnde vocabulum *potentium*), qui etiam propter coniunctionem (arroganter) haereditariam gens dicitur, atque ita anſam praebet, in conceptu vniuerſali iuris publici, non ſolum ius ciuitatis, verum etiam *ius gentium* cogitandi: quo quidem, quid terrarum orbis haud in planitie immenſa, ſed ſe ipſam finiente verſatur, vtroque coniunctim ad ideam *iuris gentium*, ſiue *iuris coſmopolitici* neceſſario ducimur: ita, vt, ſi in hisce tribus formis ſtatus iuridici poſſibilibus vni modo principium deſit libertatem externam legibus circumſcribens, aedificium reliquorum omnium neceſſario ſuffoſſum tandem ruet.

§. 44.

Haud forſan experientia eſt, per quam de norma violentiae hominum edocemur, de illorumque improbitate, qua, priusquam legislatio potens externa prodit, ſe inuicem infeſtant, ergo haud forte factum, quod coactum publice legalem neceſſarium reddit, verum vt maxime probi iuſtitiaeque amantes cogitentur, tamen ex anticipatione in idea rationali eiusmodi ſtatus (haud iuridici) ineſt, vt, antequam ſtatus publice legalis condatur, homines populique et ciuitates ſingulares a violentia erga ſe inuicem tuti eſſe queant, et quidem ex ſuo cuiusque iure proprio, *quod ſibi rectum bonumque videtur*, faciendi in eoque ex ſententia alterius haud pendendi, proinde primum quod illi decernendum conuenit, niſi vniuerſos iuris conceptus renuntiare velit, principium hoc ſit: ex ſtatu naturali, in quo ſuo quisque ingenio obtemperat, te egredi oportere cum omnibusque aliis (quibuscum in commercium mutuum ne incidas, euitari non poteſt) eo coniungare, vt coactui externo publice legali te ſubiicias, proinde in ſtatum transeas, in quo cuiuis quoad eius agnoſci debeat, *legaliter* definiatur, per idoneamque potentiam (quae haud eius, verum externa eſt) obueniat, hoc eſt, inprimis eſſe in ſtatum ciuilem transeundum.

Atque eius quidem ſtatus naturalis haud ob eam ipſam cauſſam ſtatus *iniuſtus* fuerit, quo pro ſolo potentiae modulo homines ſe inuicem tractarent; ſed tamen ſtatus fuit *iuſtitia vacuus*, vbi, ſi ius *controuerſum* eſſet, nullus index conueniens fuit, qui legitime ſententiam ferret, ex quo nunc vt in iuridicum transeat, cuiuis licet alium vi adigere; quoniam, quamuis ex ſuis cuiusque *iuris conceptibus* quidpiam externum occupatione pactoue adquiri poteſt, haec adquiſitio tamen duntaxat *prouiſoria* eſt, quam diu illi nondum ſanctio legis publicae patrocinetur, ſiquidem ea nulla iuſtitia publica (diſtributiua) definita eſt, eique nulla poteſtate ius exercente proſpectum videtur.

Digitized by Google

Quodſi ante ingreſſum in ſtatum ciuilem nullam omnino adquiſitionem, ne prouiſoriam quidem pro iuridica agnoſcere velis ille ipſe fieri non poſſet. Namque, quoad formam, leges de meo tuoque in ſtatu naturali idem continent, quod leges in ſtatu ciuili praecipiunt, quatenus hic ſolum ex conceptibus rationalibus puris cogitatur: praeterquam quod in hoc conditiones indicantur, quibus illae ad effectum (iuſtitiae diſtributiuae conuenienter) perducuntur. — Ergo, niſi in ſtatu naturali etiam *proviſorie*, meum tuumque externum eſſet, etiam nulla iuris officia reſpectu illius, proinde quoque nullum praeceptum foret, vt ex ſtatu illo egrediare.

§. 45.

Ciuitas coniunctione multitudinis hominum ſub legibus iuris continetur. Quatenus hae vt leges ex anticipatione neceſſariae ſunt, hoc eſt, ex conceptibus iuris externi in genere ſponte efficiuntur (haud ſtatutaria ſunt) forma eius in forma ciuitatis in genere verſatur, hoc eſt, eſt ciuitas *in idea*, vti ex principiis iuris puris eſſe debet, quae cuiuis verae ad rem publicam coniunctioni (proinde in interno) pro norma videtur.

Quaeuis ciuitas tres in ſeſe *poteſtates* cohibet, hoc eſt, voluntatem vniuerſe coniunctam in perſona triplici (triade politica: *poteſtatem imperatoriam* in poteſtate legislatoris, *poteſtatem exſecutiuam* in perſona rectoria (ſecundum legem) et *poteſtatem iudiciariam* (vt adiudicationem ſui cuiusque ſecundum legem) in perſona iudicis, inſtar trium enuntiationum in ratiocinatione practica: enuntiationis ſuperioris ſeu propoſitionis, quae *legem* illius voluntatis continet, enuntiationis inferioris, ſeu adſumtionis, quae *praeceptum* rationis ſecundum legem, hoc eſt, principium adſumtionis ad eam complectitur, et concluſionis, quae ſententiam cohibet, quid in caſibus obuiis iuris videatur.

§. 46.

Poteſtas legislatorum non niſi voluntati populi coniunctae competere poteſt. Cum enim ab ea omne

Digitized by Google

ius debeat proficiſci, neceſſe eſt vt lege ſua in neminem *queat* iniurioſa videri. Atqui, ſi quis contra *alium* quidpiam ſtatuit, ſemper fieri poteſt, vt eo illi inferat iniuriam, numquam vero in iis, quae de ſe ipſo decernit. (Namque volenti non fit iniuria.) Ergo non niſi voluntas conſpirans et coniuncta omnium, quatenus quisque de omnibus omnesque de vnoquouis idem decernunt, proinde voluntas vniuerſe coniuncta populi eſſe legislatoria poteſt.

Membra eiusmodi ſocietatis (ciuilis) hoc eſt, ciuitatis, ad legislationem coniuncta *ciues* dicuntur, atque attributa illorum iuridica a natura illorum (vt tali) inſeparabilia, verſantur in *libertate* legali, nulli legi alii, quam ad quam ſuffragatus ſit, obediendi — in *aequalitate* ciuili, nullum *in populo* ſuperiorem agnoſcendi, niſi quem pariter iuridice obligandi facultate polleat morali, atque hic ſe poſſit obſtringere: tertio in attributo *ſibi ſufficientiae* ciuilis, qua exſiſtentiam ſuam conſeruationemque haud arbitrio alius cuiusdam in populo, ſed ſui ipſius iuribus ac viribus, vt membrum rei publicae acceptam ferre queat, proinde in perſonalitate ciuili, ita vt in cauſſis iuridicis per nullum alium poſſit repraeſentari.

Solum facultate ſuffragandi dignitas ciuis abſoluitur; ſed illa ſibi ſufficientiam illius in populo ſupponit, qui non ſolum pars reipublicae eſſe vult, verum etiam membrum, id eſt, pars eius ſuo ipſius arbitrio cum aliis communiter agens. Hac vero poſteriori virtute diſtinctio ciuis *actiui* et *paſſiui* neceſſaria redditur: quamuis conceptus huiusce poſterioris cum definitione conceptus de ciue in genere pugnare videatur. — Atque vt haec difficultas tollatur, exemplis licet, vim rei, qualis ſit, cognoſcamus: famulus mercatoris, vel opificis: miniſter (non is, qui ciuitati operam praeſtat): pupillus (naturaliter vel ciuiliter): omnes mulierculae omninoque quisque qui haud ſuo ipſius impulſu, ſed ex praecepto aliorum (niſi ex decreto ciuitatis) ad exſiſtentiam ſuam (quaeſtumque et tutelam) conſeruandam cogitur, perſonalitate ciuili caret, eiusque exſiſtentia duntaxat quaſi quaedam inhaerentia videtur. — Lignicida, quem in impluuio meo conſtituo, faber ferrarius in India, qui cum malleo,

Digitized by Google

incude et folle oſtiatim ambulat, vt ferrum cudat, cum ſcriniario fabroue ferrario Europaeo comparatus, qui opera ſua vt mercem venum exponere poteſt, praeceptor domeſticus, cum ludimagiſtro collatus, ruſticus vectigalis cum conductore comparatus et ſic porro ſolum miniſtratores ſunt rei publicae, quoniam ab aliis hominibus ſingularibus iubendi ſunt tuendique, proinde nulla ſibi ſufficientia ciuili gaudent.

Haec dependentia ab aliorum voluntate atque inaequalitas, nihilominus libertati aequalitatique illorum *vt hominum*, coniunctim populum conſtituentium, efficit: potiusque conditionibus illorum conuenienter, hic populus conuerti in ciuitatem poteſt, in conſtitutionemque ciuilem transire. Vt vero hoc ſtatu iure ſuffragandi vtantur, hoc eſt, ciues ſint, non ſolum ſocii ciuiles, non omnes pari iure apti videntur. Inde enim, quod poſtulare poſſunt, vt ab aliis ſecundum leges libertatis naturalis atque aequalitatis vt partes ciuitatis *paſſiuae* tractentur, haud ſequitur, ius, etiam vt membra *actiua* ciuitatem ipſam tractandi, inſtrumentisque ad regendum ornandi, aut certarum quarumdam legum introductionem adiuvandi: verum hoc modo, vt ne leges poſitiuae, qualescumque fuerint, quibus ſuffragium ferant, legibus libertatis naturalibus aequalitatique huic conſentaneae omnium in populo, quippe vt ex hoc ſtatu paſſiuo poſſint ad actiuum ſtudio ſuo emergere, aduerſari videantur.

§. 47.

Omnes illae tres poteſtates in ciuitate ſunt dignitates, atque vt eſſentiales ex idea ciuitatis in genere ad conſtitutionem illius neceſſario promanantes, *dignitates publicae*. Quibus adfectio continetur *ſuperioris* cuiusdam vniuerſalis (qui, ſecundum leges libertatis ſpectatus, nullus alius quam ipſe populus coniunctus eſſe poteſt) ad multitudinem eiusdem ſeparatam vt *ſubditum*, hoc eſt *imperantis* ad *dicto audientem*. — Actus, quo populus ipſe ciuitatem conſtituit, reapſe vero duntaxat idea illius, ex qua iuſta eius ratio ſola cogitari poteſt, cernitur in *pacto originario*, quo omnes et ſinguli in *populo* libertatem ſuam externam renuntiant, vt eam velut membra rei publicae, id eſt, populi tamquam ciuitatis conſiderati (vniuerſi,

continuo recipiant, nec dici poteſt: ciuitatem, hominem in ciuitate, *partem* libertatis externae ſuae connatae fini cuidam dicaſſe: verum libertatem indomitam ac diſſolutam prorſus reliquit, vt libertatem ſuam omnino in dependentia legali, hoc eſt, in ſtatu iuridico integram denuo inueniret; ſiquidem haec dependentia ex ſua ipſius voluntate legislatoria oritur.

§. 48.

Tres illae poteſtates in ciuitate igitur *primo* ſibi inuicem, vt totidem perſonae, (poteſtates) morales *coordinatae* ſunt, id eſt, vna complementum eſt alterius ad ſufficientiam conſtitutionis; verum *deinde* etiam *ſubordinatae*, ita, vt vna haud ſimul functionem alterius, cui miniſtrat, vſurpare queat, ſed ſuo ipſius principio proprio vtatur, hoc eſt, vt perſona quidem ſingularis, ſed tamen ſub conditione voluntatis cuiusdam ſuperioris praecipit; *tertio*, vt vtraque coniungenda ſuum cuique ſubdito ius tribuatur.

De hisce poteſtatibus in dignitate ſua conſideratis dicendum erit: voluntas *legislatoris*, reſpectu eorum, quae meum tuumque externum attingunt, *irreprehenſibilis* eſt, facultasque exſecutoria *ſummi rectoris irreſiſtibilis*, et ſententia ſupremi iudicis *inadpellabilis*.

§. 49.

Rex ſeu princeps ciuitatis ea perſona (morali aut phyſica) continetur, cui poteſtas exſecutoria competit: *procurator* ciuitatis magiſtratus inſtituit, populoque regulas praeſcribit, quibus quisque in ea legi conuenienter (adſumendo caſu quodam ad eam) aliquid adquirere poſſit, ſuumue conſeruare. Vt perſona moralis ſpectatus vocatur *directorium*, regimen. Cuius *iuſſa* ad populum et magiſtratus eorumque ſuperiores (comites conſiſtorianos), quibus *gubernatio* conuenit, verſantur in ordinationibus ſeu *decretis* (non

Digitized by Google

legibus); namque deciſionem ſpectant in caſu quodam ſingulari, atque vt immutabilia ſtatuuntur. *Regimen*, quod idem legislatorium eſſet, nimis imperioſum *(despoticum)* dicendum foret, collatum cum *patriae beniuolo*, in quo vero haud regimen *paternale*, vt omnium maxime deſpoticum (ciues pro paruulis tractandi), ſed regimen *ciuitatis et patriae* intelligitur, vbi ciuitas ipſa ſubditos ſuos vt membra quidem familiae, ſimul tamen vt ciues, hoc eſt, ſecundum leges ſuae ipſius ſufficientiae tractat, ſe quisque ipſum tenet, neque ex voluntate abſoluta alterius vel iuxta ſe vel ſupra conſtituti pendet.

Is qui populum in poteſtate habet, (legislator) proinde non idem *rector* eſſe poteſt, quippe qui legi ſubeſt, per eamque, proinde ab *alio*, ſummo imperante, obligatur. Ille hunc etiam poteſtate priuare, et a munere mouere, adminiſtrationemue eius corrigere poteſt, non vero *punire*; (idque ſolum oratio in Anglia conſueta denotat: rex, hoc eſt, ſuprema poteſtas exſecutoria, non poteſt iniuſte agere) quippe quod rurſus in actu foret poteſtatis exſecutoriae, cui in primis quidem facultas legi conuenienter *cogendi* competit, quae tamen ipſa coactui obnoxia foret; id quod pugnat.

Tandem neque imperans, nec rector, *iudicare* poteſt, ſed modo iudices, vt magiſtratus, inſtituere. Populus ſe ipſum iudicat per eos ex ciuibus ſuis, qui electione libera, vt vicarii eius, et quidem cuiuis actui ſingulatim deſignantur. Namque ſententia in actu ſingulari iuſtitiae publicae (distributiuae) per adminiſtratorem publicum (iudicem aut forum) in ſubditum; hoc eſt, aliquem ex populo, verſatur, qui proinde nulla poteſtate ornatus eſt, illi, quod eius eſt, adiudicandi (tribuendi). Cum igitur quisque ex populo ſecundum hanc (ad magiſtratum) adfectionem mere paſſiuus ſit, quaeuis duarum poteſtatum illarum in eo, quod de ſubdito in cauſſa de ſuo cuiusque

Digitized by Google

controuerſa decernunt, illi facere iniuſte poſſet; quoniam haud populus ipſe faceret, et *nocenter* an *innocenter*, de ciuibus ſuis pronuntiaret; ad quam facti inuentionem in actione proinde forum legem adplicare debet, et, per poteſtatem exſecutoriam ſuam cuique tribuendi poteſtatem iudiciariam habet. Ergo non niſi *populus*, vicariis ſuis ab ſe ipſo delegatis (*Jury*) de vnoquoque in eo poteſt, quamuis modo remote, iudicare. — Foret etiam infra dignitatem principis, iudicem agere, hoc eſt, ſeſe ad poſſibilitatem adducere iniuſte agendi, atque ita in caſum incidere prouocatiouis (a rege male informato ad regem melius informandum).

Ergo tres poteſtates diuerſae ſunt (poteſtas legislatoria, exſecutoria, et iudiciaria), quibus fit, vt ciuitas autonomia vtatur, hoc eſt, ſi ipſam ex legibus libertatis informet at tueatur. — Quibus coniungendis *ſalus* ciuitatis efficitur (ſalus reipublicae ſuprema lex eſt); in qua quidem haud *ſalus* ciuium eorumque *felicitas* intelligenda eſt; quippe quae haud ſcio an in ſtatu naturali (vti Ruſſauius quoque adfirmat), vel etiam ſub regimine deſpotico, longe ſuauior eſſe atque exoptatior poteſt, ſed ſtatus ſummae conuenientiae conſtitutionis cum principiis iuris intelligitur, ad quem quippe expetendum ratio nos *per imperatiuam categoricam* obſtringit.

SCHOLION GENERALE

De effectis iuridicis ex natura vnionis ciuilis.

A.

Origo poteſtatis ſupremae populo, qui illi ſubeſt, reſpectu practico *nimis abscondita* videtur: hoc eſt, ſubdito *haud licet* de hac origine, vt iure reſpectu obedientiae illi debitae controuerſo, re *argutari*. Cum

Digitized by Google

enim populus, vt rite queat de ſummo imperio iudicare, iam vt ſub vna voluntate legislatoria viniuerſali coniunctus conſiderandus ſit, aliter nec poteſt iudicare nec debet, atque praeſenti ſummo imperanti placet. — Vtrum originarie pactum ſubiectionis ciuilis verum vt factum antegreſſum ſit, an poteſtas anteceſſerit, et lex modo poſthac acceſſerit, aut etiam hoc ſe ordine ſequi debuerit: populo, qui nunc quidem iam legibus ciuilibus ſubeſt, argutationes inanes et temerariae ſunt, et tamen ciuitati periculum minitantes; quodſi enim ſubditus, qui originem poſtremam, nunc perſcrutatus eſſet, auctoritati illi, quae nunc quidem obtinet, reſiſtere vellet; ex legibus illius, hoc eſt, omni iure puniretur, et deleretur, vel (vt exlex) expelleretur. — Lex, quae adeo ſancta (inviolabilis) eſt, vt, *practice*, eam duntaxat in dubium vocare, proinde effectum eius ad temporis articulum cohibere, in crimine ſit, ſic repraeſentatur, quaſi non ab hominibus, ſed tamen ab illo quodam legislatore ſummo integro ſanctoque debeat proficiſci, eaque vis eſt illius pronuntiati: omnis magiſtratus a deo profectus eſt, quod hoc *rationem hiſtoricam* conſtitutionis ciuilis, verum ideam, vt principium rationale practicum enuntiat: vt poteſtati legislatoriae praeſenti debeamus obedire; qualis illius cumque origo videatur.

Ex quo cogitur haec enuntiatio: imperantis in ciuitate erga ſubditum mera ſunt, ſed nulla (perfecta) officia. — Porro, etiamſi imperantis organon, *rector*, etiam contra leges ageret, veluti vectigalibus, nouisque ſcribendis militibus et id genus aliis, contra legem aequalitatis in distribuendis oneribus publicis, ſubdito quidem licet huic iniuſtitiae *grauamina*, non vero vim opponere.

Quin adeo vel in conſtitutione ipſa nullus ineſſe articulus poteſt, quo fieri poſſit, vt quaedam in ciuitate poteſtas summo imperanti, qui leges conſtitu-

tionales migraſſet, obſiſtat, eamque proinde circumſcribat. Namque is, qui poteſtatem publicam circumſcribere debet, vtique maiorem, vel certe parem poteſtatem habeat, neceſſe eſt, quam is, qui circumſcribitur, atque vt dominus legitimus, qui ſubditos iuberet, vt reſiſterent, eos etiam *tueri* poſſit, et in quauis cauſſa obuia valide iudicare, proinde publice vim iubere queat. Tum vero non ille, ſed hic, ſummus imperans erit; id quod pugnat. Summus imperans tum per comitem conſiſtorianum ſimul vt rector agit, proinde deſpotice, et praeſtigiis, quaſi populus per delegatos poteſtatem limitantem repraeſentet (cum reapſe non niſi legislatoriam habeat) deſpotia haud ita occultari poteſt, vt ne ex inſtrumentis, quibus comes conſiſtorianus vtitur, conſpiciatur. Populus in delegatis, per quos, (in ſenatu regni) repraeſentatur, quaſi auctoribus libertatis et iurium viros habet, qui pro ſe et familiis ſuis, earumque ex comite conſiſtoriano pendente ſuſtentatione, in exercitu, claſſe muneribusque ciuilibus, maxime in communionem veniunt, et qui (cum reſiſtere arrogationi imperii debeant, cuius profeſſio publica praeterea conſpirationis iam praeparatae in populo indiget, quae vero pacis tempore haud licere poteſt) potius ſemper parati ſunt, ſe ipſos imperio dedere. – Ergo conſtitutio publica ſic dicta moderata, vt conſtitutio iuris ciuitatis interni, nihil eſt; tantumque abeſt, vt ad ius pertineat, vt potius duntaxat principium prudentiae ſit, vt, quantum fieri poſſit, potenti iurium populi violatori contagiones cum regimine voluntarie haud adgrauentur, verum ſpecie oppoſitionis populo conceſſae tegantur.

Igitur contra ſummum imperantem ciuitatis legislatorium nulla vis populi iuſta eſt; nam non niſi ſubiectione ſub voluntatem eius vniuerſe legislatoriam fieri ſtatus iuridicus poteſt; ergo nullum ius *ſeditionis*, multo minus *rebellionis*, omnium autem minime contra illum, vt perſonam ſingularem (monarcham), ſub

Digitized by Google

praetextu male vſurpatae poteſtatis (tyrannidis) *violentia* erga perſonam, quin vitam illius (monarchomachismus ſub ſpecie tyrannicidii). Leuiſſimus iſtius rei conatus in *proditione eminenti* verſatur, et huiuscemodi proditor vt is, qui *patriam occidere* conetur (parricida), non leuiori ſupplicio quam morte puniri poteſt. — — Ratio officii populo conuenientis, vt ipſum poteſtatis ſupremae abuſum pro intolerabili declaratum, tamen ferat, in eo ſita videtur: quod vis contra legislationem ſupremam ipſam numquam ſecus, quam legi contraria, immo vt vniverſam conſtitutionem legalem euertens cogitanda videtur. Namque vt eius copia eſſet, neceſſe foret, vt lex publica exſtaret, quae hanc vim populi concederet, hoc eſt, legislatio ſuprema determinationem in ſe cohiberet, qua haud ſuprema eſſet, populusque, vt ſubditus, in vno eodemque iudicio ſummus imperans illius, cui ſubditus eſt, redderetur; id quod pugnat, cuiusque pugna ſtatim in oculos incurrit hacce quaeſtione: ecquis tandem in hac populum inter et ſummum imperantem iudex ſedere debeat (namque, iuridice ſi ſpectaueris, ſemper ſunt duae perſonae morales diuerſae); vbi tum intelligitur, populum in cauſſa propria velle iudicem ſedere. *)

*) Quoniam *remotio* principis ab imperio etiam vt abdicatio regni poteſtatisque *voluntaria*, cum redditione illius ad populum cogitari poteſt, vel etiam derelictis eius ſalua perſona ſumma, inſtituta, qua in ſtatum priuatum transferatur, crimini populi, eam extorquentis, ſaltem praetextus ſauet *ſalus neceſſitatis*, numquam vero ius minimum principem de adminiſtratione priſtina puniendi; quia cuncta, quae antea vt princeps fecit, vt extrinſecus iuſte facta, conſideranda ſunt, ipſeque, vt fons legum ſpectatus, iniuſte facere non poteſt. Omnium facinorum horrendorum, conuerſionem ex ſeditione comitantium, ipſa principis *interfectio* haud peſſimum videtur: namque cogitari poteſt, eam a populo per *metum* fieri, ne, ſi in viuis maneat, animum recolligere poſſit, populumque merita poena adficere, nec proinde eam ordinationem iuſtitiae punitiuae, ſed ſolum conſeruationis ſui ipſius eſſe debeat. *Caede* ſolemnis mentem ideis iuris humani plenam horrore percellit, quem repetitis

Igitur mutatio conſtitutionis publicae (vitioſae) quae vtique nonnumquam neceſſaria fuerit — non niſi ab ipſo ſummo imperante *emendando*, non vero

vicibus perſentiſcimus, ſimulatque quotiesque hanc ſcenam cogitatione depingimus, veluti ſortem Caroli primi aut Ludouici decimi ſexti. Quaenam vero ratio eſt huiusce ſenſus, qui hoc loco non aeſtheticus eſt (haud commiſeratio, effectumque phantaſiae, adflicti loco ſeſe cogitantis) ſed moralis, vniuerſae omnium iuris conceptuum conuerſionis? Inſtar criminis immortalis atque inexpiabilis ſpectatur, illiusque ſimile, quod theologi peccatum vocant, nec in hac nec in altera vita condonandum. Cuius quidem phaenomeni explicatio in mente humana ex contemplationibus de ſe ipſa ſequentibus, quibus ipſa iuris publici principia illuſtrantur, proficiſci videtur.

Quaeuis legis transgreſſio nec poteſt aliter nec debet quam ſic explicari, quaſi ex norma delinquentis (eiusmodi facinus ſibi pro regula conſtituendi) oriatur; illud enim, ſi ab impulſione quadam ſenſitiua deriuaretur, non ab eo, vt natura *libera*, commiſſum eſſet, nec poſſet illi imputari; quomodo autem fieri poſſit, vt ſubiectum talem normam contra manifeſtum rationis legislatoriae interdictum capiat, nullo modo poteſt explanari; ſola quippe euenta ex mechaniſmo naturae enodari queunt. Atqui maleficus poteſt facinus vel ad normam regulae cuiusdam obiectiuae adoptatae (vt quae vniuerſe valeat), vel modo vt exceptionem a regula (ad ſeſe occaſione data ab ea liberandum) committere; *poſteriori* loco *tantummodo* (quum quis de induſtria a lege *declinat*) propriam transgreſſionem ſuam ſimul deteſtari poteſt, neque vt legi vere obedientiam deneget, ſed eam vitare velit; *ſuperiori* loco vero auctoritatem ipſius legis reiicit, cuius tamen valorem non poteſt ſibi coram ratione ſua abnegare, ſibique regulam ſtatuit, vt contra illam agat; igitur norma eius non ſolum *negatiue*, verum adeo *contrarie*, aut, quod dicunt, *diametraliter*, vt repugnantia (quaſi hoſtilter) legi aduerſatur. Quantum intelligimus, eiusmodi facinus malitiae verae (vnde nulla prorſus vtilitas redundet) ab hominibus fieri non poteſt, et tamen (quamquam vt mera idea ſummae peruerſitatis) in ſyſtemate philoſophiae moralis haud praetereundum videtur.

Cauſſa igitur horroris in cogitanda occaſione principis *per eius populum* cernitur in eo, quod *homicidium* non niſi vt *exceptio* a regula, quae iſtud ſibi pro norma ſtatuebat, *occiſio* vero vt plena *conuerſio* principiorum rationis ſummum imperantem inter et populum (qua hic, qui exiſtentiam ſuam duntaxat legislationi illius debet, dominus illius conſtituitur) cogitari debet, atque ita violentia fronte perfricta atque ex principiis ſupra ius ſanctiſſimum euehitur: quod, inſtar voraginis cuncta ſine reditu abſorbentis, vt autochi-

Digitized by Google

a populo proinde *conuertendo* effici poteſt, et quae, ſi accidat, duntaxat *poteſtatem exſecutoriam*, non vero legislatoriam, attingere poteſt. — In conſtitutione publica, ita comparata, vt populus per vicarios ſuos (in comitiis) illi illiusque vicario (comiti conſiſtoriano) legaliter *reſiſtere* queat, — quae tum conſtitutio limitata dicitur — nihilominus tamen nullus reniſus actiuus (coniunctionis populi arbitrariae ad regimen ad certam quamdam rationem actiuam cogendum, proinde ſponte actum poteſtatis exſecutoriae exſerendum) ſed modo reniſus *negatiuus*, hoc eſt, *recuſatio* populi (in comitiis) illique in poſtulationibus, quibus ad adminiſtrationem publicam indigeri perhibet, haud ſemper obſequi concedit; potiusque, ſi hoc fieret, ſignum foret certiſſimum, populum deprauatum, vicariosque illius venales et principem in gubernatione per comites conſiſtorianos deſpoticum, hos vero ipſos populi proditores videri.

Caeterum, ſi conuerſio reipublicae ſemel ſucceſſerit, nouaque conſtitutio ſtabilita, in iuſtitia initii illius abſolutionisque, ſubditos ab obligatione ad nouum rerum ordinem ſeſe, vt bonos ciues, adcommodandi, haud poteſt liberare, iique non poſſunt ſe recuſare, quo minus magiſtratui probe obtemperent, nunc poteſtatem tenenti. Princeps regno priuatus (conuerſioni illi ſuperſtes) de priſtina adminiſtratione ſua non poteſt accuſari, multoque minus puniri, cum in ciuium ordinem rediit, et ſuam reique publicae tranquillitatem auſo praefert, ex hac discedere, quo

ria a ciuitate in illo perpetrata, crimen eſſe nulla expiatione dignum videtur. Eſt ergo, quod ſumas, conſenſionem in tales caedes reuera ex principio putatitie legali, verum prae metu vindictae ciuitatis aliquando fortaſſe reuiuiſcentis in populo, manare, illamque ſolemnitatem tantummodo inſtitutam eſſe, vt facinori iſti poenae, proinde *rationis legalis* (cuiusmodi homicidium haud foret,) induceretur, qui color vero perit, quoniam talis populi adrogatio ipſo homicidio peior videtur, cum haec principium contineat, quo efficeretur, vt ipſa regeneratio ciuitatis conuerſae fieri non poſſet.

vt aemulus regni illud aliquando recuperet, ſiue conuerſione contraria clam inſtituta, ſiue aliorum potentium auxilio adiutus. Quodſi autem hoc poſterius praeferat, illi, quoniam ſeditio, qua poſſeſſione pellebatur, iniuſta fuit, ius integrum manet. An vero alii in principes iure gaudeant, commodo huiusce principis perditi, foedere ſeſe coniungendi, vt ſolum crimen iſtud a populo commiſſum haud inultum, neque vt offendiculum vniuerſis ciuitatibus conſiſtere patiendi, proinde quamque conſtitutionem in quauis alia ciuitate *per conuerſionem* confectam vi ad priſtinam reuocare et poſſint iure et debeant, in iure gentium disputatur.

B.

Poteſtne imperans vt dominus (fundi) ſupremus, an debet non niſi ſummus praefectus reſpectu populi per leges conſiderari? Cum fundus ſuprema conditio ſit, qua ſola fieri poteſt, vt res externas queas, vt tuas habere, quarum poſſeſſione vſuque poſſibili ius primum parabile efficitur, ab ſummo imperante, vt *territorii domino* vniuerſum tale ius deriuandum erit. Populus, vt multitudo ſubditorum, eius etiam eſt (populus eius eſt), non vero illi eſt, vt domino (ex iure reali), ſed vt imperanti ſummo (ex iure perſonali). — Sed iſtud dominium ſupremum duntaxat idea eſt vnionis ciuilis, vt coniunctio neceſſaria dominii priuati omnium in populo ſub poſſeſſore publico generali, ad definiendum dominium ſingulare, non ex principiis *congregationis* (a partibus ad totum empirice progredientis), verum ex principio formali neceſſario *diuiſionis* (fundi) ex iuris conceptibus depingatur. Secundum hos domino ſupremo nullum poteſt dominium priuatum illius cuiusdam fundi eſſe, (alias enim ſeſe perſonam faceret priuatam), verum hoc tantummodo populi eſt (et quidem haud collectiue, ſed distributiue, ſumti); a quo tamen populus nomadice in poteſtate habitus excipiendus eſt, quippe in quo nullum omnino dominium fundi priuatum locum habet. — Igitur ſummus imperans nulla

Digitized by Google

praedia, hoc eſt, agros poteſt, in vſum ſuum priuatum, (ad ſuſtentandam aulam) habere. Quoniam enim tum ex ſuo ipſius arbitrio penderet, quam late illa patere debeant, ciuitas ventura in periculum foret, omne fundi dominium in poteſtate regiminis videndi, omnesque ſubditi vt *glebe adſcripti*, poſſeſſoresque illius, quod ſemper tantum dominium eſt alterius, proinde omni libertate priuati (ſerui) iudicarentur. — Princeps dici poteſt *nihil* (proprium) praeter ſe ipſum, poſſidere; nam ſi iuxta alium quempiam in republica quiddam proprium haberet, cum hoc controverſia fieri poſſet, cuius dirimendae nemo iudex ſederet. Sed dici quoque poteſt *vniuerſa poſſidere*; quoniam ius imperii in populum habet (ſuum cuique tribuendi), cuius omnes res externae (diuiſim) ſunt.

Ex quo ſequitur, vt nulla quoque corporatio in republica, nullusque ſtatus nec ordo eſſe poſſit, qui vt dominus fundum vſui vnico generationibus ſequentibus (in infinitum) ex certis quibusdam ſtatutis tradere queat. Respublica quouis eas tempore tollere poteſt, modo ſub conditione, vt ſuperſtitibus damnum reſarciatur. *Ordo equeſter* (vt corporatio, aut etiam ſolum ordo perſonarum ſingularium, praecipue honoratarum); ordo *cleri*, quem eccleſiam vocant, numquam priuilegiis, quibus ornati ſunt, dominium fundi ad ſucceſſores transferendum, ſed modo vſum illius ad interim poteſt adquirere. Praefecturae ex vna parte, ex altera bona eccleſiaſtica, ſi opinio publica de inſtrumentis, per *gloriam bellicam* ciuitatem contra languorem in ea defendenda tuendi, hominesue in ea ſacris piacularibus, precibusque et multitudine clericorum, ad eos ab igni aeterno ſeruandos, impellendi, exſpirauit, audacter (ſed ſub ſuperioribus conditionibus) tolli poſſunt. Illi, qui hic in mutationem incidunt, queri haud poſſunt, ſuum ſibi dominium eripi; nam ratio poſſeſſionis, quam hucusque obtinuerant, ſita modo fuit in *opinione populi*, et donec haec perduraret, neceſſe fuit, valeret. Simulatque haec vero exſpiraſſet, et quidem etiam non niſi ex ſententia eo-

rum, qui eius ducendae per merita ſua maximo iure gaudent, quaſi quadam eius prouocatione ad rempublicam (a rege male informato ad regem melius informandum) dominium putatitium cogebatur ceſſare.

In hoc dominio fundi originarie adquiſito ius poſitum eſt ſummi imperantis, vt domini ſummi (principis) dominiis fundi priuatis *tributum imperandi*, hoc eſt, vectigalia per aeſtimationem publicam, cenſumque rerum fungibilium et portoria vel operas (cuiusmodi exhibitio iuuentutis eſt ad militiam) exigendi: ita tamen, vt populus ſibi ipſe tributam imperet, quoniam hoc vno modo ex legibus iuris agitur, ſi per collegium delegatorum illius fiat, etiam vt pecunia mutua inuito (a lege huc vsque rata recedens) data, ex iure maieſtatis, velut in cauſſa, cum respublica in periculum reſolutionis ſuae venit, licet.

Quo etiam nititur ius rei familiaris publicaeque, vectigalis et politiae, quae poſterior *ſecuritati publicae commoditatique et decentiae* proſpicit, nam (ne ſenſus decori, vt guſtus negatiuus, mendicatione, tumultuque in plateis, et foetore ac venere volgiuaga, vt laeſionibus ſenſus moralis, hebetetur), regimini admodum negotium leuat, populum legibus gubernandi.

Ad conſeruationem reipublicae etiam tertium quiddam opus eſt: quippe *ius inſpectionis*, vt illi ſcilicet nulla coniunctio, cuius cum ſalute *publica* ſocietatis aliqua eſſe contagio poſſit, (illuminatorum politicorum et religioſorum) occultetur, ſed, cum a politia poſtulatur, manifeſtatio conſtitutionis eius ne accuſetur. Sed perueſtigatio conſtitutionis cuiuscumque non niſi in caſu neceſſitatis politiae licet, quo auctoritate ſuperiore in quauis cauſſa ſingulari illi poteſtas facienda videtur.

C.

Praefecto ſupremo *indirecte*, hoc eſt, vt ſuscep-
tori officiorum populi, ius competit, hunc vectigali-

Digitized by Google

ius ad eius (populi) ipsius conseruationem onerandi, huo pertinet *cura publica pauperum*, *hospitia infantum expositorum*, et *res ecclesiastica*, quae alias benigna liaue legata dicuntur.

Scilicet voluntas populi vniuersalis ad societatem sese coniunxit, quae perpetuo se conseruare debet, et hunc in finem potestati publicae internae se subiecit, vt membra huius societatis, quae ipsa non valent, sustentarentur. Quamobrem propter rem publicam regimen iure gaudet, opulentiores cogendi, vt alimenta iis, quibus ipsae summae naturae necessitates desint, suppeditent; quoniam exsistentia illorum simul vt actus subiectionis sub tutelam curamque reipublicae ad exsistentiam illorum necessariam illud est, ad quod sese obstrinxerunt, in qua nunc respublica ius suum constituit, ad alendos ciues suum conferendi. Id quod autem fieri potest, onerandis ciuium bonis aut commerciis, aut sortibus conditis earumque vsuris: non ad necessitates reipublicae (nam haec opulenta est), sed populi, verum haud solum collationibus *voluntariis* (quoniam hoc loco duntaxat de iure reipublicae erga populum sermo est) in quibus sunt quaedam quaestus cupidae (velut sortitiones, quibus plures egeni, publicoque dominio pernicioſi efficiuntur, quam alias forent, et quae proinde haud licere deberent), sed cogendo, vt oneribus publicis. Verum hic quaeritur: vtrum sustentatio pauperum *symbolis ambulatoriis*, ita vt suos quaeque aetas alat, an per summas paullatim collectas omninoque legata *pia* (cuiusmodi domus publicae viduarum, nosocomia, et id genus alia sunt) et illas quidem non per mendicationem, quae praedationi propinqua est, sed per irrogationem legalem effici debeat. — Prior ordinatio illa pro vnica iuri ciuitatis consentanea, quam nemo defugere possit, qui habet, vnde vitam toleret, habenda est; quoniam haud (quod de legatis piis vereno dum est), si cum numero pauperum accrescant, homi-

nibus pigris paupertatem inſtrumentum quaeſtus facere, atque ita populo per regimen oneri *iniuſte* cederent.

Ac reſpectu quidem infantum neceſſario aut per pudorem expoſitorum alendorum, vel adeo iisdem de cauſſis interfectorum, reipublicae ius eſt, populum onerandi officio, vt ne hanc, quamuis ingratam, opum publicarum acceſſionem de induſtria perire patiatur. Quod vero vtrum tributo ſenibus caelibibus vtriusque ſexus (in quibus caelibes *opulenti* intelliguntur), vt iis, qui partim tamen eius culpam ſustinent, per aedificia alendis infantibus expoſitis condenda, an alio modo iure fieri poſſit (vix alia via fuerit iſti rei proſpiciendi) quaeſtio eſt, cuius enodatio, vel iure illaeſo, vel moralitate ſalua, huc vsque nondum ſucceſſit.

Cum etiam *res eccleſiaſtica*, quae ab religione, vt ſenſu interno, prorſus extra ambitum efficientiae potentiae ciuilis poſito diligenter diſtinguenda eſt (vt inſtitutum *cultus diuini* in gratiam populi, vnde hic quoque ortus eſt, ſiue in opinione, ſiue in perſuaſione firma verſetur) vera neceſſitas publica euadat, ſe quoque vt ſubditos potentiae ſummae *haud adſpectabilis*, cui dici ſacramentum oporteat, et quae cum ciuili in contentionem poſſit maxime imparem venire, conſiderandi: respublica, iure gaudet, haud forte legislationi conſtitutionali internae rem eccleſiaſticam ex ſenſu ſuo, vti commodum videatur, ordinandi, fidemque et formas religioſas (ritus) populo praeſcribendi, vel imperandi (quippe quod penitus doctoribus atque antiſtitibus, quos ſponte ſibi delegit, relinqui debet) verum duntaxat iure *negatiuo* contagionem doctorum publicorum cum republica politica *adſpectabili*, quae tranquillitati publicae perniciosa fuerit, arcendi, proinde in contentione interna, aut concertatione variarum eccleſiarum inter ſe inuicem, concordiam ciuilem adduci in discrimen, haud patiendi, quod igitur us eſt politiae. Certam quamdam cuipiam eccleſiae

fidem esse debere, eamque sine vlla mutatione retinere, nec se ipsam emendare illi licere, id quidem a potestate magistratus temere se immiscente praecipitur, quod *infra eius dignitatem* videtur; quoniam ea in re, vt concertatione scholastica, ad modum aequalitatis sese ad subditos demittit (princeps sacerdotem agit) qui illi simpliciter aperire possunt, earum rerum illam ignaram esse; praesertim respectu interdictae emendationis internae; — quidquid enim populus vniuersus non potest de se ipse decernere, illud quoque legislator de populo decernere non potest. Atqui nullus populus decernere potest, vt in cognitionibus ad fidem suam pertinentibus (colluſtratione) numquam progrediatur vlterius, proinde quoque ratione rei ecclesiasticae numquam sese emendet; quippe quod naturae humanae in sua ipsius persona, proinde iuri summo suo aduersaretur. Ergo nulla quoque magistratus potestas de populo istud decernere potest. — Ac sumtus quidem conseruandae rei ecclesiasticae, ob eamdem ipsam causam, non a ciuitate possunt, sed ab illa parte populi, quae hanc illamue doctrinam profitetur, id est, non nisi ab coetu ferri debent.

D.

Ius summi imperantis in ciuitate spectat etiam 1) distributionem *munerum*, vt procurationum cum salario coniunctarum; 2) *dignitatum*, quae, vt amplificationes ordinis sine salario, hoc est, distributiones loci ab superiori (ad imperandum) respectu inferiorum (quamuis liberorum et non nisi lege publica obligatorum, tamen ad illis obediendum ante destinatorum) factae, solum in honore constitutae sunt — et 3) praeter hocce ius (benignum) etiam *ius punitiuum*.

Ratione muneris ciuilis hoc loco quaeritur: an princeps iure gaudeat, cuipiam munus concessum pro arbitrio suo (nullo ab hoc crimine commisso) rursum adimendi? Quod equidem nego. Quidquid enim

voluntas coniuncta populi de miniſtris ſuis ciuilibus numquam decernet, illud etiam ciuitatis princeps de illo decernere non poteſt. Atqui populus (qui ſumtus ferre debet ex conſtituendo miniſtro profecturos) ſine dubio vult, vt hic negotio impoſito par ſit; quod vero fieri non poteſt, niſi praeparatione illius ſtudioque per tempus idoneum continuata, quo illud negligit, quod ad addiſcendum negotium aliud ſibi alimenta praebens impendere potuiſſet; proinde plerumque munus inſtrueretur hominibus, qui nullam facultatem ad illud neceſſariam, iudiciumque vſu maturatum ſibi comparaſſent; id quod fini reipublicae propoſito contrarium eſt, quippe quo etiam pertinet, vt quisque ab inferiori munere ad ſuperius (quae alias meris inertibus obuentura forent) adſcendere poſſit, proinde quoque victum ad dies vitae ſperare.

Ac *dignitas* quidem, non ſolum ea, quae munus attulerit, verum ea quoque, qua quis ad altiorem ordinem euehitur, cernitur in *nobilitate*, quae, ab ordine ciuili, quem populus obtinet, diuerſa ad poſteros maſculos hereditate transfertur, per hos quoque ſubinde ad feminas loci ignobilis venit, ita tamen, vt nobili loco nata marito ignobili haud rurſus retro hunc ordinem impertiat, ſed ipſa in ordinem ciuilem (populi) recidat. — Iam quaeritur: an princeps nobilitatem, vt ordinem medium *hereditarium*, inter ſe et caeteros ciues, iure queat conſtituere? In qua quidem quaeſtione non id ſpectatur, an prudentiae principis propter ſuam populiue vtilitatem, ſed modo, an iuri populo conſentaneum ſit, vt ordinem perſonarum videant ſeſe ſuperiorum, quae ipſae quidem in ſubditis, ſed tamen, reſpectu populi, imperantes *nati* (certe priuilegiati) videantur. — Cuius quidem explicatio hoc loco, perinde atque antea, ab hocce principio proficiſcitur: quidquid populus (moles ſubditorum vniuerſa) non de ſe ipſe poteſt ſociisque ſuis decernere, illud etiam princeps non poteſt de populo decernere? Atqui nobilitas *hereditate accepta* in

Digitized by Google

ordine cernitur, quem meritum antecedit, et hoc etiam nulla ratione ſperari poteſt, in ente rationis, omni realitate deſtituto. Namque pater, ſi meritis inclaruit, ea tamen non potuit ad poſteros hereditate transferre, verum hos oportuit ſibi ipſi meriti laudem parere; cum dotes voluntasque, quibus efficitur, vt merita de republica eſſe queant, natura haud *natiuitate veniant*. Quoniam igitur nullum hominem ſumi poteſt libertatem ſuam abiecturum fore, fieri non poteſt, vt voluntas populi vniuerſa eiusmodi principatum inanem ſuffragiis adiuuet, nec proinde princeps pretium illi poteſt ſtatuere. — Interim eiusmodi anomalia in mechaniſmum regiminis inde ab antiquis temporibus (rei feudalis propemodum penitus ad bellum compoſitae) irrepſerit, ſubditorum, qui ciuibus ſuperiores, hoc eſt, praefecti nati (vti forte profeſſor hereditarius) eſſe volunt, respublica hoc peccatum abs ſe commiſſum principatus hereditarii iniuſte attributi non poteſt, niſi locis vel abolendis vel non reſiciendis ſubinde compenſare, atque ita prouiſorie iure gaudet hanc dignitatem quoad titulum retinendi, donec in ipſa ſententia publica deſcriptio in principem, nobilitatem et populum, vnicae naturali in principem et populum conceſſerit.

Sine vlla dignitate ſane nemo homo poteſt in ciuitate eſſe, namque certe dignitatem ſustinet ciuis, niſi *crimine* ſuo ea ſeſe priuauerit, vbi tum quidem in viuis ſeruatur, ſed in merum inſtrumentum arbitrii alterius (vel reipublicae, vel alius cuiusdam ciuis) conuertitur. Qui igitur tale inſtrumentum ciuis cuiusdam eſt, is dicitur *ſeruus* in ſenſu ſtricto, pertinetque ad *dominium* alterius, qui proinde non ſolum eius herus eſt, verum etiam *dominus*, qui illum tamquam rem alienare, atque, vti placet (nec vero ad res turpes) eo vti, *de eiusque viribus*, quamuis haud de vita et membris *conſtituere* poteſt. Nemo ad eiusmodi dependentiam pacto ſe poteſt obſtringere, qua perſona eſſe deſinat; ſolum enim vt perſona paciſci poteſt.

Digitized by Google

Iam videtur quidem homo se ad certos quosdam labores, qualitate concessos, sed magnitudine *indefinitos* alii (pro mercede, ciboque vel tutela) posse obstringere pacto locationis et conductionis, eoque solum subiectum fieri, non seruum; verum haec species falsa est. Quodsi enim hero licet, viribus subiecti, vti placuerit, vti, eas etiam (id quod Aethiopibus in insulis sacchariciis accidit) exhaurire potest, vsque ad mortem aut desperationem, atque ille domino suo reapse vt dominium tradidit; quod fieri non potest. — Igitur tantummodo ad labores, et qualitate et magnitudine definitos, sese elocare potest: vel vt operarius, vel subiectus possessiones habens; atque vt hic quidem, partim vt, pro vsu fundi domini, loco mercedis seruitia eodem in fundo, partim pro vsu eius proximo certa tributa (fenora) ex locatione praestet, quamuis in eo haud se reddat glebae adscriptum, quippe quo personalitatem suam perderet, proinde redemtionem temporariam vel hereditariam constituere possit. Sed etiamsi crimine suo subiectus personalis factus fuerit, tamen haec subiectio illi *hereditaria* fieri non potest; quoniam illam sibi duntaxat per suam ipsius culpam contraxit, atque aeque minus ex seruo procreatus, de sumtibus in educationem erogatis peti potest, siquidem educatio in officiis parentum naturalibus absolutis, et hi si serui fuerint, dominorum, qui vna cum possessione subditorum etiam officia illorum in sese receperunt.

E.

De iure puniendi et aggratiandi.

I.

Ius puniendi iure continetur imperantis subditum de crimine dolore adficiendi. Quocirca supremus in republica non potest puniri, sed eius imperio duntaxat nosmet possumus subtrahere. — Ea legis publicae transgressio, qua is, qui eam committit,

Digitized by Google

ciuitatis iure priuatur, ſimpliciter *crimen* dicitur, ſed crimen publicum; proinde crimen priuatum ad iuſtitium ciuilem, ſed publicum ad capitalem defertur. — *Interceptio*, hoc eſt, interuerſio pecuniarum merciumue ad commercium concreditarum, defraudatio in emtione et venditione, altero vidente, in criminibus priuatis verſantur: contra adulteratio pecuniae vel ſyngrapharum furta et rapinae et id genus alia crimina publica ſunt, propterea quod res publica, non ſolum homo ſingularis damnum iis accipit. — Eaque in crimina *indolis abiectae* poſſunt et indolis violentae deſcribi.

Poena forenſis, quae ab *naturali* diſtat eo, quod vitium ſe ipſum punit et cuius nullam rationem legislator habet, numquam ſolum vt inſtrumentum poteſt alius cuiusdam boni promouendi, malefico ipſi, aut ſocietati ciuili, ſed ſemper idcirco duntaxat contra illum decerni debet, *quia deliquit*; neque enim vmquam homo pro inſtrumento poteſt conſiliorum alius cuiuspiam tractari, nec rebus iuri reali obnoxiis immiſceri, contra quod a perſonalitate connata tutatur, quamquam vtique ad amittendam ciuilem poteſt condemnari. Ante *poena dignus* iudicatus ſit, neceſſe eſt, quam de vtilitate quadam vel illi ipſi vel ciuibus ſuis ex hac poena elicienda cogitari queat. Lex punitiua in imperatiua categorica cernitur, et vae illi! qui flexus tortuoſos doctrinae felicitatis perrepſerit, vt aliquid inueniret, quod per vtilitatem, quam pollicetur, a poena illum vel modo gradu eius quodam liberaret, ſecundum dictum Phariſaeorum; „praeſtat *vnum* mori hominem, quam populum perdi vniverſum;“ ſublata enim iuſtitia, non eſt quod homines in terris viuant. — Quid igitur ſentiendum eſt de conſilio: malefico capitali vita ſeruetur, ſi ſeſe adcommodet ad experimenta periculoſa in ſe tentanda, atque ita ſaluus euadat; vt medici eo explicationem novam, reipublicae ſalutarem, diſcant? Forum collegium medicum, tale conſilium ſuadens contemtim

Digitized by Google

reiecturum foret; iuſtitia enim eſſe iuſtitia deſinit, ſimulatque vllo ſeſe pretio conceſſerit.

Ecquod vero genus poenae quemque gradum iuſtitia publica ſibi principio et normae conſtituit? Nullum aliud, quam principium aequilibrii (in ſtatu examinis in libra iuſtitiae), vt ne magis ad vnam quam alteram partem inclinet. Ergo quo malo immerito alterum ex populo adficis, eo tu te ipſe adficis; ſi ignominia eum tu notes, te ipſum ignominia notas; ſi cum expiles, te ipſum expilas; ſi caedas illum, te caedis ipſum; ſi illum neces, te ipſum necas. Solum *ius talionis*, ſed, quod bene notandum, coram carceribus iudicii (non ex ſententia tua priuata) qualitatem poenae poteſt et quantitatem certo definire; cuncta reliqua huc illuc fluctuant nec, aliis de cauſſis, convenientiam cum ſententia iuſtitiae purae ac ſeuerae continere poſſunt. — Iam quidem videtur, ac ſi varietas ordinum principium talionis paris pari haud concedat; verum, etſi haud ad verbum fieri poſſit, tamen quod effectum, reſpectu ſenſus illuſtrioris, ſemper valere poteſt. — Sic, vt hoc vtar, mulctae ob iniuriam verbalem nulla omnino ratio eſt ad offenſionem; is enim, qui pecunia abundat, vtique ſibi iſtud per iocum poteſt concedere, verum vexatio ambitionis vnius tamen ad dolorem ſuperbiae alterius prope poteſt accedere: ſi hoc ex ſententia iudicis cogeretur, vt non ſolum palam delicti veniam peteret, verum etiam illi, licet inferiori, ſimul manum deoſcularetur. Pariter, ſi illuſtris violentus ob plagas, ciui inferiori ſed immerito inflictas, praeter deprecationem, etiam ad cuſtodiam ſolitariam et moleſtam damnaretur, quoniam ea re, praeter incommodum, etiam vanitas auctoris dolore adficeretur, atque ita iniecto pudore par pari referretur. — Quid vero ſibi vult iſtud: „ſi illum expiles, te ipſum expilas?“ Is qui furatur atque expilat, aliorum omnium dominium incertum reddit; proinde ſe ipſum (ex iure talionis) ſecuritate priuat omnis, quod eſſe poſſit, dominii; nihil quidquam ha-

Digitized by Google

bet, nec quidquam adquirere poteſt, ſed tamen vult vitam tolerare; id quod nunc fieri aliter non poteſt, quam vt alii illum ſustentent. Quod cum respublica facere nolit gratis, huic vires ſuas ad labores, qui placebunt, (ad carrus agitandos, ad opera ergaſtuli), neceſſe eſt, concedat, ad certumque tempus, aut, pro re nata, etiam ſempiternum, in ordinem ſeruorum deiicitur. — Sin autem caedem fecerit, ei *moriendum* videtur. In ea re nihil quidquam poteſt ſatisfactioni iuſtitiae ſurrogari. Nulla *ſimilitudo* eſt inter vitam aerumnoſiſſimam et mortem, ergo etiam haud par ratio criminis et talionis, quam quae morte in auctore ex iure confecta, ſed ab omni vexatione, qua natura humana in perſona perpetientis reddi horrori poſſet, liberata. — Tum adeo, cum ſocietas ciuilis omnium membrorum conſenſu diſſolueretur, (velut ſi populus inſulam inhabitans decerneret, vt discederent, et vbique ſeſe diſſiparent) vltimus homicida in carcere retentus ante occidendus foret, vt cuiuis id accidat, quod eius facinora meruerunt, nec culpa caedis in populo haereret, qui hanc poenam neglexit; propterea quod vt particeps huius iuſtitiae palam laeſae conſiderari poteſt.

Atque haec poenarum aequalitas, quae ſolum fieri ex ſeuero talionis iure per iudicis de morte ſententiam poteſt, adparet in eo, quod illo ſolo poteſt iudicium damnatorium *malitiae internae* maleficorum apte de vniuerſis (ſi vel haud homicidium, ſed aliud quoddam morte luendum crimen publicum ſpectaret) pronuntiatur. — Fac, vti in nupera rebellione Scotica, cum varii eius ſocii (velut *Poalmerino* aliique) rebellione ſua non niſi officium genti *Stuarticae* debitum facere ſe exiſtimarent, alii contra conſilia priuata fouerent, a iudicio ſummo ſic pronuntiatum eſſe: cuiuis optionem liberam mortem inter et poenam carrus agitandi concedi; equidem cenſeo, virum probum mortem eligere, ſed nebulonem carrum; ita fert animi humani natura. Ille enim nouit quidpiam, quod ipſa vita

ſibi carius eſt, quippe *famam;* ſed alter vitam infamia oppletam etiamnum meliorem, quam ſi omnino haud exſtet (animam praeferre pudori. *Iuuenal.*) Ille aperte minus, quam alter, poena dignus videtur, atque ita morte de omnibus pariter decreta aptiſſime puniuntur, ille leniter, ex ſenſu ſuo, hic grauiter, item ex ſenſu ſuo; cum e contrario, ſi omnino poena carnus agitandi decerneretur, ille durius, hic, ob facinus abiectum et illiberale, lenius punitus foret, atque ita etiam hoc loco in ſententia de multitudine maleficorum in conſpiratione coniuncta optimus exaequator coram iuſtitia publica, *mors* videtur. — Iam vero inauditum eſt, quempiam propter caedem ad mortem damnatum queſtum fuiſſe, poenam in ſe modum excedere, ideoque illa iniuſte adfici; quiuis illi rideret in faciem, ſi ſic loqueretur. — Alioquin ſumendum eſſet, etiamſi maleficus ex lege haud iniuria adficiatur, tamen poteſtati legislatoriae in republica hoc genus poenae decernere haud licere, et, ſi decernat, ſecum ipſam pugnare.

Quot igitur interfectorum ſunt, qui homicidium commiſerint, aut etiam iuſſerint, vel adiuuerint, totidem etiam morte adficiendi ſunt; ſic vult iuſtitia vt idea poteſtatis iudiciariae ex legibus vniuerſalibus ex anticipatione conſtitutis. — Quodſi vero numerus correorum eiusmodi facti adeo magnus ſit, vt respublica, ne eiusmodi maleficos haberet, breui eo deuenire poſſet, vt nullos amplius ſubditos retineret, neque tamen ſe diſſolui, hoc eſt, in ſtatum naturalem longe peiorem, omni iuſtitia externa deſtitutum transferri (praeſertim ſpectaculo caedis ſenſum populi hebetari) velit, etiam penes ſummum imperantem eſſe oportebit, vt in hoc caſu neceſſitatis ipſe iudicem agat (repraeſentet), ſententiamque ferat, pro vitae ſupplicio aliud maleficis adiudicantem, in qua populi frequentia conſeruetur; cuiusmodi deportatio eſt: illud ipſum autem non vt ad legem publicam, verum per auctoritatem, id eſt, actum iuris maieſtatici, qui,

Digitized by Google

vt poenae remiſſio, ſemper non niſi in cauſſis ſingularibus exerceri poteſt.

Contra hanc igitur ſententiam *Beccaria*, marchio, per compaſſibilitatem putidam omne vitae ſupplicium eſſe cenſuit *iniuſtum*; propterea, quod illud in pacto ciuili originario nequeat ineſſe; tum enim quemuis ex populo oportuiſſet conſentire, vt vitam amitteret, ſi quem forte alium (ex populo) necaſſet; hunc vero conſenſum fieri non poſſe, quoniam nemo queat de vita ſua ſtatuere. Quae cuncta argutias olent et calumnias.

Poenam nemo idcirco luit, quia *eam*, ſed quoniam actionem *poena dignam* voluit: neque enim poena eſt, cum cui fit, quod vult, nec fieri poteſt, vt puniri *velit*. — Si dicas: puniri me volo, ſi quem interfecero, idem eſt ac dixeris: memet cum cunctis reliquis legibus ſubiicio, quae per naturam rei, ſi malefici in populo ſint, etiam leges punitiuae erunt. Ego, vt legum ferendarum ſocius, qui *legem punitiuam* dictat, fieri non poteſt, vt eadem perſona ſim, quae, vt ſubditus, ſecundum legem punitur: namque vt talis, ſcilicet vt maleficus fieri non poteſt, vt ſuffragio in legislatione vtar (legislator eſt ſanctus). Cum igitur legem punitiuam contra me, vt maleficum, fero, ratione iuridice legislatoria pura in me (homine noumeno), homo maleficii cupax, proinde vt perſona alia (homo phaenomenon), cum omnibus reliquis in vnione ciuili legi punitiuae ſubiicior. Vt breuius dicam: non populus (quisque ſingularis homo ex illo), ſed iudicium (iuſtitia publica), proinde alius, quam maleficus, poenam capitis irrogat, contractuque ſociali minime continetur promiſſum, te velle puniri, atque ita de te ipſo vitaque tua conſtitui. Quodſi enim poteſtati puniendi promiſſum ſubeſſe *malefici* oporteret, ſeſe puniri: *velle*, huic etiam relinqui oporteret, an poena dignum ſe agnoſceret, et maleficus ſui ipſius iudex foret. — *πρῶτον ψεῦδος* huius ſophiſmatis verſatur in eo: quod proprium malefici

iudicium (quod *rationi* illius neceſſario tribuendum videtur), vita ſeſe priuandum eſſe, pro decreto *voluntatis* accipit, ſe ipſum ea priuandi, atque ita exſecutionem iuris, a diiudicatione iuris in vna eademque perſona coniunctam proponit.

Interim duo crimina ſunt morte digna, quorum reſpectu an *legislationi* etiam ius competat, morte illa punienda, in medio relinquitur. Ad vtrumque ſenſus honoris ſeducit. Vnus eſt ſenſus *honoris ſexus*, alter *hominis militaris*, et quidem honoris veri, cuique iſtorum duorum ordinum humanorum vt officium conuenientis. Vnum maleficium et *infanticidium maternale*, alterum *commilitonicidium*, *certamen ſingulare*. — Cum legislatio ignominiam partus extra matrimonium tollere nequeat, et tantumdem maculam, ex ſuſpicione ignauiae duci ſubordinato adhaereſcentem, qui contumeliae acceptae vim propriam metu mortis ſuperiorem haud opponit, delere poſſit; videtur, homines in talibus cauſſis verſari in ſtatu naturali, et *homicidium*, quod tum ne *homicidium* quidem *doloſum* dicendum eſſet, in vtroque omnino quidem poena dignum eſſe, a poteſtate ſuprema vero non poſſe morte puniri. Infans extra matrimonium natus extra legem (hoc enim ſibi vult matrimonium) eſt, proinde quoque extra tutelam illius editus. In rem publicam quaſi irrepſit (inſtar mercis illicitae), ita vt haec exiſtentiam eius (quoniam merito ſic non debuiſſet exſtare), proinde quoque euerſionem illius ignorare poſſit, et matris ignominia, ſi partus extra matrimonium innotuerit, nulla conſtitutione auferri. — Moles dux conſtitutus inferior, qui contumelia adficitur, opinione publica ſociorum ordinis ſui pariter ſeſe ſentit coactum, ad ſatisfactionem ſibi, non per legem, coram foro, ſed per *certamen ſingulare*, in quo ſe ipſum vitae discrimini exponit, comparandam, vt animum fortem probet, quippe in quo honor ordinis illius neceſſario poſitus videtur, etiamſi cum *nece* aduerſarii coniunctum ſit, quae in hoc certamine, quod palam ſit

Digitized by Google

et vtriusque partis conſenſu, quamuis etiam inuito, reapſe haud *homicidium doloſum* adpellari poteſt. — — Ecquid igitur in vtraque cauſſa (iuſtitiam capitalem ſpectante) iuris videtur? — Atque hic quidem iuſtitia punitiua admodum in anguſtiis verſatur, vt aut conceptum honoris (qui hic non in opinionis errore cernitur) per legem pro vano atque irrito declaret, atque ita morte puniat, aut de crimine poenam capitis conſentaneam demat, atque ita vel crudelis ſit vel indulgens. Qui nodus ſic ſoluitur: imperatiuam quippe categoricam iuſtitiae punitiuae (occiſionem alterius iniuſtam morte puniendam eſſe) manere, legislationem ipſam autem (proinde etiam conſtitutionem ciuilem) tam diu adhuc vt barbaram ac rudem, in culpa verſari, quod elateres honoris in populo (ſubiectiue) haud cum conſiliis conuenire velint, quae (obiectiue) cum fine congruunt, ita vt iuſtitia publica, ab republica proficiſcens reſpectu iuſtitiae a populo profectae in *iniuſtitiam* conuertatur.

II.

Ius aggratiandi malefico vel leniendae poenae vel prorſus remittendae, inter omnia iura ſummi imperantis ſane maxime lubricum eſt, vt ſplendorem excellentiae faciat, eoque tamen maxime iniuſte agat. — Reſpectu criminum *ſubditorum* erga ſe inuicem nullo illi modo competit vt illud exerceat; hic enim impunitas criminis in ſumma iniuſtitia erga ſubditos verſatur. Ergo tantummodo in laeſione, quae *ſibi ipſi* accidit (crimine laeſae maieſtatis) illo vti poteſt. Verum ibi quoque ne quidem, ſi impunitate ipſi populo reſpectu ſecuritatis naſci periculum poſſet. — Hoc ius vnum nomine iuris maieſtatici dignum videtur.

De adfectione iuridica ciuis ad patriam et terram exteram.

§. 50.

Territorium, cuius incolae iam per conſtitutionem, id eſt ſine actu quodam iuridico neceſſario (pro-

inde per natales) ciues vnius eiusdemque reipublicae sunt, *patria* adpellatur; illud, in qua sine hac lege ciues non sunt, *terra extera* dicitur, et haec, si partem summae potestatis terrae in vniuersum absoluit, *prouincia* (sensu Romanis vsitato) vocatur, quae quoniam nullam partem imperii coniunctam vt *sedem* cuidam, sed modo vt *possessionem* illius vt *curiae* cuiusdam *inferioris* constituit fundum reipublicae imperium tenentis, vt *regionem dominam*, colere debet.

1) *Subditus* (etiam vt ciuis spectatus) iure gaudet emigrationis; neque enim ab republica vt dominium posset retineri. Sed tamen facultates mobiles, non vero immobiles, exportare potest, quod tum tamen futurum foret, si fundum huc vsque possessum venderet, pecuniamque inde quaesitam secum ferre, sibi competeret.

2) *Princeps* iure gaudet *incolatus* peregrinorum (colonorum) adiuuandi, indigenis quamquam inuitis; si modo illis dominium fundi priuatum contrahatur.

3) Idem etiam, si subditus crimen commiserit, quo vniuersa ciuium cum illo communio perniciosa redditur, iure vtitur *relegationis* in prouinciam terrae exterae, vbi nullorum ciuis rurium particeps fit, id est, *deportationis*.

4) Etiam iure fruitur *exsilii* in genere, quo in terram exteram maleficum generatim mittit, id quod, quia princeps illi nunc praesidium recusat, idem denotat, quam intra terminos suos proscribere.

§. 51.

Tres illae potestates in republica, quae ex conceptu *rei publicae* latius dictae proficiscuntur, non nisi totidem relationes voluntatis populi coniunctae, ex anticipatione ab ratione descendentis ideaque puri principis in genere, realitatem practicam obiectiuam habentes, videntur. Hic autem princeps (summus im-

Digitized by Google

perans) non niſi *ens rationis* (vniuerſum populum repraeſentans) eſt, quatenus adhuc perſona phyſica deſit, quae ſummam reipublicae poteſtatem repraeſentet, huicque ideae efficacitatem in populi voluntate impertiat. Iam ratio ſuperioris ad poſteriorem tribus poteſt modis variis cogitari: ita nimirum, vt vel *vnus* in republica imperet vniuerſos, vel vt *nonnulli*, inter ſe inuicem aequales, coniuncti, omnibus reliquis, vel vt *omnes* coniunctim ſingulis, proinde quoque ſibi ipſis praecipiant, hoc eſt, *forma reipublicae* aut *autocratica* eſt, aut *ariſtocratica*, aut *democratica*. (Vocabulum *monarchica* pro autocratica, conceptui, quem hic volumus, parum conſentaneum videtur; *monarcha* enim dicitur is, penes quem ſumma poteſtas eſt, ſed *autocrator*, ſeu *ipſe imperans*, qui *omnem* poteſtatem tenet; hic *princeps* eſt, ille duntaxat eum repraeſentat.) — Facile intelligitur, formam reipublicae autocraticam eſſe *ſimpliciſſimam*, nimirum ab vno (rege), ad populum, proinde vbi tantum vnus legislator eſt. Sed ariſtocratica iam ex duabus relationibus *compoſita* videtur, quippe ex ratione illuſtrium (legislatorum) ad ſe inuicem, ad principem conſtituendum, et tum huius principis ad populum; democratica autem omnium maxime compoſita eſt, ſcilicet ad voluntatem omnium primo coniungendam, vt inde populus formetur, tum ciuium vt res publica effingatur, et tum huic reipublicae vt princips, qui in hac ipſa voluntate coniuncta verſatur, praefigatur. *) Atque *adminiſtratio* iuris quidem in ciuitate ſimpliciſſima vtique eadem optima videtur; ſed reſpectu ipſius *iuris*, populo periculoſiſſima, ratione deſpotiſmi, ad quem ea tantopere inuitat. In mechaniſmo populi legibus coactiuis coniungendi norma rationi conſentanea, vt omnia ad rationem ſimplicem reuocentur: cum ſcili-

*) Quarum formarum per potentes iniuſtos ſeſe obtrudentes (*oligarchiae* et *ochlocratiae*) adulterandarum, itemque conſtitutionum ciuilium, quas vocant, *mixtarum* hoc loco nullam mentionem facio, quoniam ea re longius a propoſito abducerer.

cet omnes in populo paſſiui ſunt, vnique, illis ſuperiori, obediant; verum inde nulli ſubditi vt *ciues* efficiuntur. Ac dictum illud quidem, quo populus deleniri debet: ſcilicet monarchiam (hic reapſe autocratiam) optimam reipublicae conſtitutionem eſſe, *ſi monarcha probus ſit* (hoc eſt, non ſolum voluntate, verum etiam intellectu rerum ornatus ſit); ad dicta ſapientiae pertinet tautologica, nec vim maiorem habet quam hanc: optima conſtitutio ea eſt, *qua* adminiſtrator reipublicae optimus imperans redditur, id eſt, ea optima eſt, quae optima eſt.

§. 52.

Cuius quidem mechaniſmi *teſtimonium hiſtoriae fruſtra* inueſtigatur, hoc eſt, non poteſt ad tempus primordiorum ſocietatis ciuilis perueniri (ſiquidem feri nullas condunt tabulas ſubiectionis ſuae. Sub legem, et iam per naturam hominum incultorum intelligitur, vi eos inſtituiſſe). Hanc vero inueſtigationem eo conſilio ſuscipere, vt forte conſtitutio praeſens vi immutetur, improbum eſt. Haec enim mutatio per factionem populi, nec proinde per legislationem, fieret, neceſſe foret; ſed factio in conſtitutione iam conſiſtente eſt interitus relationum omnium ciuiliter iuridicorum, proinde iuris vniuerſi, id eſt, haud mutatio conſtitutionis ciuilis, ſed diſſolutio, et tum transitio in meliorem, haud metamorphoſis, ſed palingeneſia, quae nouum pactum ſociale poſtulat, quocum priſtini (nunc ſublati) nulla contagio videtur. — Sed fieri poſſe, neceſſe eſt, vt princeps conſtitutionem conſiſtentem immutet, ſi cum idea pacti originarii haud facile queat conciliari, et praeterea eam tamen formam conſitere patiatur, quae eo, vt populus rempublicam conſtituat, neceſſario poſtulatur. Haec vero mutatio non ſic fieri poteſt, vt respublica ab vna harum trium formarum ad vnam ex duabus reliquis ſe ipſa conſtituat, veluti vt ariſtocratici ſtatuant, autocratiae ſeſe ſubiiciendos, aut vt in democratiam liqueſce-

Digitized by Google

re velint, et ſic vice verſa; quaſi ex optione libera arbitrioque principis pendeat, cui conſtitutioni populum velit ſubiicere. Namque vel tum, cum ſeſe in democratiam conuertendum decerneret, tamen populo facere iniuriam poſſet, quoniam ipſe poſſet hanc conſtitutionem auerſari, vnamque ex duabus reliquis ſibi vtiliorem iudicaret.

Formae reipublicae non niſi *litera* ſunt legislationis originariae in ſtatu ciuili, quae proinde maneant, donec, ad mechaniſmum conſtitutionis ciuilis neceſſariae, vetere longaque conſuetudine (ergo tantum ſubiectiue) neceſſariae habentur. Sed *anima* pacti illius originarii, obligationem poteſtatis conſtituentis in ſe cohibet, *modum imperii* ideae illi aptandi, atque ita illam, ſin minus vno impetu fieri queat, ſubinde tamen et continuo eam ſic immutandi, vt cum conſtitutione vnice legitima, nempe reipublicae purae, *quoad effectum*, conſpiret, illaeque formae veteres empiricae (ſtatutariae), quae ſolum ad *obedientiam* populi efficiendam fecerunt, in originariam (rationem) reſolvantur, quae ſola *libertatem* principio ſtatuit, adeoque conditione vniuerſi *coactus*, ad conſtitutionem iuridicam, ſenſu reipublicae proprio, neceſſarii, qui eo quoque quoad literam tandem ducet. — Atque haec vna reipublicae conſtitutio perpetua eſt, in qua *lex* ipſa imperat, neque vlli perſonae ſingulari adhaeret; finis vltimus vniuerſi iuris publici, ſtatus, in quo ſolo ſuum cuique poteſt *peremtorie* tribui; cum e contrario, quam diu illae reipublicae formae quoad literam totidem perſonis moralibus diuerſis, ſumma poteſtate indutis, repraeſentari debeant, non niſi ius internum *prouiſorium*, ſed nullus ſtatus abſolute iuridicus, ſocietati ciuili poſſit concedi.

Omnis autem respublica vera non eſt nec aliter eſſe poteſt, niſi ſyſtema populi *repraeſentatiuum*, vt nomine illius, ciuibus vniuerſis coniunctis, per delegatos iura illorum curentur. Simulac vero ſummus im-

perans, ſecundum perſonam (ſiue rex ſit, ſiue ordo nobilium, ſiue populus vniuerſus, vnio democratica) ſe quoque repraeſentari ſinit, populus coniunctus non ſolum principem *repraeſentat*, verum is ipſe princeps *eſt*; in eo enim (populo) originarie ſuprema poteſtas ineſt, a qua omnia iura ſingulorum, vt ſubditorum ſolorum, (forte vt miniſtrorum publicorum) deriuanda ſunt, et reipublicae nunc conſtitutae haud amplius opus eſt, regiminis habenas e manibus mittere, easque illis rurſum tradere, qui illud antea adminiſtrauerant, et qui nunc omnes ordinationes nouas arbitrio abſoluto poſſent iterum tollere.

Quamobrem grauiſſimus lapſus iudicii fuit cuiusdam regis potentiſſimi hac noſtra aetate, qui, vt ex difficultate de aere alieno publico ingente expediret, populo committeret hoc onus pro ipſius arbitrio ſuscipiendum distribuendumque; vbi tum per naturam rei non ſolum poteſtatem legislatoriam ratione tributi ſubditis imponendi, verum etiam reſpectu regiminis accepit; quippe vt hoc impediretur, quo minus effuſione belloue noua nomina contraheret, proinde poteſtas imperatoria monarchae penitus euaneſceret (non ſolum cohiberetur), atque ad populum transferretur, cuius voluntati legislatoriae nunc facultates cuiusuis ſubditi ſubiicerentur. Nec vero dici poteſt: in eo forte promiſſum conuentus nationis tacitum, ſed tamen pactitium, de ſe haud pro principe conſtituendi, ſed modo de principis negotiis adminiſtrandis, confecto vero negotio de habenis regiminis monarchae rurſum tradendis, accipiendum eſſe; quippe tale pactum per ſe vanum eſt atque irritum. Ius legislationis ſupremae in republica, non in iis eſt, quae poſſunt alienari, ſed in iure perſonaliſſimo verſatur. Quo qui vtitur, non niſi per vniuerſam populi de populo voluntatem, non vero de vniuerſa populi voluntate ipſa, primo quippe omnium pactorum publicorum fundamento, decernere poteſt. Pactum, quod populum obligaret, vt poteſtatem ſuam redderet, ei non vt poteſtati legislatoriae competeret, et tamen populum obſtringeret, quod ex dicto illo: nemo duobus ſeruire dominis poteſt, pugnat.

IVRIS PVBLICI

SECTIO POSTERIOR.

IVS GENTIVM.

§. 53.

Homines, populum conſtituentes, vt indigeni, ſecundum analogiam propagationis *a ſtirpe parentum* communi (congeniti) cogitari poſſunt, quamuis haud ſint: tamen, ſignificatione intellectuali et iuridica, vt a matre communi (republica) nati, quaſi familiam (gentem, nationem) conſtituant, cuius membra (ciues) omnes eiusdem originis ſint, cum iisque, qui iuxta ſe in ſtatu naturali vixerint, vt ignobilibus, non miſceantur, quamuis hi (feri) pro ſe rurſum de libertate legibus vacua, quam elegerunt, ſeſe putant praeſtantiores, qui itidem populos, non vero respublicas conſtituant. Ius *ciuitatum* reſpectu ſui ipſorum (quod haud ſatis recte *ius gentium* vocatur, ſed potius ius publicum ciuitatum dici deberet) illud eſt, quod nobis nomine iuris gentium ſub contemplationem cadit: vbi ciuitas, vt perſona moralis, erga aliam quamdam in ſtatu libertatis naturalis, proinde quoque belli perpetui ſpectata, partim ius belli *faciendi*, partim ius *in* bello, partim ius ſe mutuo cogendi, vt ex hoc belli ſtatu exeant, proinde conſtitutionem pacem perpetuam ſtabilientem, id eſt, ius *poſt* bellum anquirendum proponit, discrimenque ſtatus naturalis hominum familiarumue ſingularium (in adfectione mutua) et ſtatus gentium in ſeſe ſic cohibet, vt in iure gentium non ſolum adfectio cuiusdam ciuitatis ad aliam in vniuerſum, verum etiam perſonarum ſingularium vnius erga ſingulos alterius, item ad vniuerſam ciuitatem alteram ipſam conſideranda eſt; quod vero discrimen iuris ſingulorum in ſolo ſtatu naturali earum modo determinationum indiget, quae facile poſſint ex huius conceptu conſecutione effici.

§. 54.

Elementa iuris gentium ſunt: 1) ciuitates, in adfectione ad ſe inuicem externa conſideratas (velut feri exleges) natura in ſtatu non iuridico verſari; 2) hunc ſtatum eſſe *ſtatum* belli (iuris fortioris), etſi haud bellum verum perpetuaque hoſtilitas vera ſit, quae (quoniam vtrique ſic placet), quamquam eo nemini iniuria fiat, tamen per ſe ipſum, maxime iniuſtum eſſe, atque quem ciuitates, ſibi inuicem vicinae, relinquere teneantur; 3) pactum gentium, ſecundum ideam pacti ſocialis originarii, neceſſarium eſſe, de ſeſe non quidem in discordias earum inteſtinas miſcendis, ſed tamen contra impetus externos tuendis; 4) coniunctionem nullam tamen poteſtatem ſummam (velut in conſtitutione ciuili, ſed modo *foederalitatem* continere oportere; confoederationem, quae omni tempore renuntiari poſſit, proinde de die in diem debeat renouari, — ius, in ſubſidium alius cuiusdam iuris et originarii, lapſum in ſtatum belli veri eorum cum ſe inuicem abs ſe arcendi (foedus Amphyctionum.)

§. 55.

In iure illo belli faciendi originario ciuitatum liberarum erga ſe inuicem in ſtatu naturali (fere ad ſtatum condendum ad iuridicum prope accedentem) primo oritur quaeſtio: quid iuris eſt ciuitati erga *ſuos ſubditos proprios* iis ad bellum cum aliis ciuitatibus gerendum vtendi, eorum bona, immo vitam adeo in eo impendendi, aut aleae exponendi: ita, vt haud ex horum voluntate propria pendeat, ad militiam proficiſci velit nec ne, ſed ſummum imperium principis eos mittere poſſit?

Quod quidem ius facile videtur poſſe euinci, ſcilicet ex iure rebus ſuis, vti placet, vtendi. Quidquid autem aliquis quoad ſubſtantiam ipſe *fecit*, eius illi dominium eſt indubitatum. — En igitur

Digitized by Google

deductionem, vti iureconsultus merus eam concepturus foret.

Varia in regione *producta naturalia* sunt, quae tamen respectu *multitudinis* illorum certi cuiusdam generis, simul vt *arte facta* ciuitatis spectanda sunt, quia regio ea tanta copia haud suppeditaret, nisi ciuitas imperiumque verum potestatem tenens esset, verum incolae in statu naturali versarentur. — Gallinae domesticae (genus alitum vtilissimum), oues, sues, tauri, id genus alia, aut pabuli penuria, aut propter bestias rapaces, in regione, in qua equidem dego, vel minime, vel parcissime inuenirentur, nisi regimen in ea esset, quae adquisitionem illarum possessionemque incolis caueret. — Idem quoque de hominum numero valet, qui, perinde atque in desertis Americanis, vel tum adeo, cum his maximam industriam (qua illi penitus carent) tribueres, non nisi tenuis esse potest. Incolae admodum rari sati forent, propterea quod nullus illorum vna cum famulis in fundo haud late sese posset extendere, qui semper periculo obnoxius est, vt ab hominibus ferisue et bestiis rapacibus vastetur; proinde tantae hominum multitudini, quanta nunc in terra vivit, nullum alimentum idoneum suppeteret. — — Quemadmodum igitur dici potest, plantas (velut fructus solani tuberosi) bestiasque domesticas, quia, respectu multitudinis in *arte factis* hominum sunt, vsurpari posse et consumi (occidi): ita videtur etiam dici posse, potestatem in ciuitate supremam, principem, iure frui, subditos, maximam partem eius productum, in militiam, velut ad venatum in pugnamque, velut ad iter voluptarium, ducendi.

Verum haec iuris ratio (quae sine dubio monarchae quoque obscure obuersabitur) vtique quidem ratione bestiarum valet, quae possunt in hominis *dominio* esse, sed tamen nullo modo ad hominem, praesertim vt ciuem, transferri potest, qui in ciuitate semper vt membrum legislationis particeps contemplan-

Digitized by Google

dus eſt (non ſolum vt inſtrumentum, verum etiam ſimul vt finis per ſe ipſe), et qui proinde ad gerendum bellum non modo in vniuerſum, verum etiam ad vnam quamque clarigationem ſingularem, per vicarios ſuos ſuffragium ferre liberum debet, qua ſola lege limitante ciuitas de periculoſo miniſterio eius poteſt decernere.

Igitur hoc ius ſine dubio ab *officio* principis ergo populum (non rurſus retro) deriuandum erit; in quo hic ſic ſpectandus eſt, quaſi ſuffragium tulerit, atque eatenus, quamquam paſſiuus eſt, ſed tamen etiam actiuus, principemque ipſe repraeſentat.

§. 56.

In ſtatu ciuitatum naturali *ius faciendi bi* (hoſtilitatum) in modo licito cernitur, quo ciuitas ius ſuum contra ciuitatem aliam proſequitur, nimirum ſi ab hac ſe laeſam putet, *vi* propria; quoniam *hi* (quippe qua ſola discordiae in ſtatu iuridico compo poſſunt) in illo ſtatu fieri non poteſt. — Praeter laeſionem actiuam (adgreſſum primum, ab hoſtilitate prima diuerſum) *minitatio* eſt. Ad quam aut *adparat* primum inſtituta pertinet, qua ius *praeuentionis* nititur, aut etiam accreſcens *potentia tremenda* (ex terris adquiſitis). Quae laeſio eſt minus potentis, ſolum per *ſtatum* ante vniuerſum *factum potentia ſuperioris* in ſtatuque naturali haec adgreſſio vtique licet. Quo proinde ius nititur aequilibrii omnium ciuitatum ſe inuicem actiue contingentium.

Atque ad *laeſionem* quidem *actiuam*, vnde *ius faciendi belli* oritur, pertinet ſatisfactio ſponte ſibi data pro offenſione populi vnius per populum ciuitatis alterius, *retorſio*, nulla reſtitutione (in viis pacificis) ab altera ciuitate petita, cuius quoad ſolemnitatem origo belli, nulla denuntiatione praeuia, ſimilis videtur; quoniam, ſi ſemel ius in ſtatu belli inuenies,

Digitized by Google

quiddam pacti ſimile ſumendum eſt, quippe *atteptatio* declarationis partis alterius, vtramque ius ſuum quaerere hoc modo velle.

§. 57.

Ius in bello ipſum illud eſt in iure gentium, in quo plurima difficultas ineſt, vt cogitatio modo de illo informetur, et lex in hoc ſtatu ex lege mente concipiatur (inter arma ſilent leges), niſi tecum ipſe pugnes; ſin forte haec foret: vt bellum ex eiusmodi principiis geratur, quibus etiamnum fieri queat, vt ex illo ſtatu naturali ciuitatum (in adfectione ad ſe inuicem externa) exeas, in iuridicumque transeas.

Bellum ciuitatum liberarum contra ſe inuicem eſſe *bellum punitiuum* poteſt. Etenim poenae nullus locus eſt niſi reſpectu ſuperioris (imperantis) erga ſubditum, quae ratio non eſt ciuitatum ad ſe inuicem: — verum etiam nec *bellum internecinum*, nec *bellum ſubiugatorium*, quod exſtinctio moralis ciuitatis (cuius populus nunc cum populo victoris vel in vnam molem liqueſcit, vel in ſeruitutem incidit) foret. Non quaſi hic caſus neceſſitatis ciuitatis ſtatu pacis potiundi, per ſe cum iure ciuitatis pugnaret, ſed quia idea iuris gentium ſolum conceptum antagoniſmi ex principiis libertatis externae in ſe cohibet, vt in bonis ſeſe obtineat, non vero modum adquirendi, quippe qui, amplificanda potentia ciuitatis vnius, alteri comminatorius eſſe poteſt.

Inſtrumenta defenſionis omnis generis ciuitati bello laceſſitae licita ſunt, nec ea vero, quorum vſu ſubditi illius inhabiles redderentur, ad ciues reipublicae; tum enim ſe ipſam redderet inhabilem, quo minus in ratione ſtatuum ex iure gentium valorem perſonae obtineret (iurium aequalium cum aliis participis). Quo quidem pertinet: propriis ſuis ſubditis vti

pro exploratoribus, his porro, atque etiam exteris pro ſicariis, veneficis (quo etiam in glandibus feriendis ſolertes, qui ſingulos ex inſidiis obſeruant, pertinuerint), vel etiam ad dispergendos falſos rumores: verbo, eiusmodi viis vti ſubdolis, quibus fiducia, ad futuram pacis conſtantis conſtitutionem neceſſaria, euerteretur.

Ac bello quidem licet, hoſti victo penſiones ac tributa imperari, non vero populum expilari, id eſt, hominibus ſingularibus bona extorqueri (quod quidem in rapina foret; ſi quidem haud populus victus, ſed ciuitas, cuius ſub imperio fuit, *per illum* bellum geſſit): verum per *indictiones* pro literarum teſtimoniis; vt inſecuta pace onus regioni vel prouinciae impoſitum apte distribuatur.

§. 58.

Ius *poſt bellum*, id eſt, tempore pacti de pace facienda et reſpectu eorum, quae illud conſequuntur, cernitur in eo: vt victor *conditiones* proponat, de quibus cum victis vt conueniatur et pax componatur, *pactiones* fiant, et quidem haud illi iuri forte obtendendo conuenienter, quod ſibi ob laeſionem aduerſariis opinatam competat, ſed, dum hanc quaeſtionem in medio relinquit, potentiae ſuae innitatur. Idcirco victor non ſumptus belli reſtituendos poſtulare poteſt; quoniam tum bellum aduerſarii pro iniuſto declarare cogeretur; verum, etſi hoc argumentum cogitatione ſibi informet, tamen non licet iſtud in medium adferri, quia alioquin bellum pro punitiuo declararet, atque ita denuo laeſionem illi adferret. Quo etiam permutatio captiuorum (nullo redemtionis pretio ſoluendo) pertinet, non habita ratione aequalitatis numeri.

Ciuitas victa eiusue ſubditi occupatione regionis non libertatem ciuilem omittunt, ita, vt illa ad coloniam hi ad ſeruos deminuerentur; alias enim bellum

Digitized by Google

unitiuum fuiſſet, quod per ſe ipſum pugnat. — *Co-mia* vero vel prouincia cernitur in populo, qui pro-ria quidem conſtitutione et legislatione et fundo gau-et, in quo, qui alii ciuitati adſcripti ſunt, tantum eregrini videntur, quae tamen in illam poteſtate vti-ur ſuprema *exſecutoria*. Haec poſterior *ciuitas mater-alis* adpellatur. Ciuitas filialis ab illa imperio tene-ur, ſed tamen ab ſe ipſa (propriis comitiis ſuis, forte tiam praeſide rege vicario) regitur (ciuitas hybrida). alis fuerunt *Athenae* reſpectu variarum inſularum, t nunc Britannia Magna reſpectu Hiberniae.

Multo minus *ſeruitus* eiusque iuſtitia a populo er bellum victo deriuari poteſt, quoniam eam in eam umi bellum punitiuum oporteret. Omnium autem ninime ſeruitus haereditaria, quae omnino abſurda eſt, uia culpa ex cuiuspiam crimine non poteſt haereditate ransferri.

Cum compoſitione *amneſtiam* quoque coniunctam ſſe, iam ineſt in illius conceptu.

§. 59.

Ius pacis ſpectat eo 1) vt pace vtare, cum in icinia bellum geritur, ius *ſtudii neutrius partis*; 2) vt ontinuatio pacis factae tibi praeſtetur, ius *guarantiae*; ;) vt *coniunctio* mutua (ſocietas foederis) ciuitatum lurium ſtabiliatur, ad ſeſe contra omnes externos in-ernosque impetus fortuitos communiter *defendendum*; on vero foedus inuaſionis atque amplificationis in-eſtinae.

§. 60.

Iuris cuiuspiam ciuitatis contra hoſtem *iniuſtum* ulli termini ſunt (ſane quoad qualitatem, ſed non uantitatem, hoc eſt, magnitudinem quaſique gradum): oc eſt, ciuitati iniuria adfectae non quidem licet, viis *mnibus* vti, ſed tamen conceſſis, ad ſua tuenda, pro eo c vires permittunt. — Ecquis autem ex principiis

iuris gentium, in quo, vti omnino in ſtatu naturali, quaeuis ciuitas ſuam ipſius cauſſam iudicat, *hoſtis iniuſtus* videtur? Is, cuius voluntas palam (verbo vel re) declarata normam prodit, ex qua ſi pro regula vniverſali ſtabiliretur, nullus in populis pacis ſtatus fieri poſſet, ſed ſtatus naturalis reddi ſempiternus deberet. Cuiusmodi eſt laeſio pactorum publicorum, quam ſupponi poteſt cauſſam omnium populorum attingere, quorum libertas ea tentatur, et qui ea prouocantur, vt contra eiusmodi iniuriam ſeſe coniungant, eique eius vim adimant; — nec vero tamen *vt terram illius inter ſe diuidant*, quaſique ciuitatem de terra deleant; id enim iniuſtitia foret erga populum, qui ius ſuum originarium, ſeſe ad rem publicam conformandi, non poteſt amittere verum nouam illi conſtitutionem induere, per naturam ſuam belli cupiditati inimicam.

Caeterum verbum hoſtis iniuſti in ſtatu naturali, *abundat*: ſtatus enim naturalis ipſe eſt ſtatus iniuſtitiae. Hoſtis iuſtus is foret, cui quidem per iniuriam reſiſterem; hic vero tum etiam non hoſtis meus foret.

§. 61.

Cum ſtatus naturalis populorum, pariter atque hominum ſingularium, ſtatus ſit, quem relinquere debeamus, vt in legalem transeamus: ante quam hoc accidit, omne ius populorum omneque meum tuumque externum ciuitatum quod bello adquiri poteſt vel ſervari, duntaxat *prouiſorium*, nec niſi in *vnione ciuitatum* vniuerſali (ſecundum analogiam, qua populus in ciuitatem transit) *peremtorie* valere poteſt, verusque *pacis ſtatus* euadere. Quoniam autem, in tali gentium ciuitate nimium per amplos terrarum tractus dilatata, gubernatio illius, proinde quoque tutela cuiusuis membri tandem neceſſario redditur impoſſibilis, multitudo eiusmodi ſocietatum vero rurſus

ſtatum belli adducit: *pax aeterna* (ſummus finis iuris gentium vniuerſae) vtique eſt idea inexplicabilis. Sed principia politica, quae eo ſpectant, nempe vt tales ciuitatum coniunctiones ineantur, quae ad *adpropinquationem* ad illam continuam faciunt, minime ſunt, verum, quemadmodum haec quaeſtio in officio, proinde quoque in iure hominum ac ciuitatum conſtituta eſt, vtique explicari poteſt.

Eiusmodi quarumdam *ciuitatum vnio*, ad tuendam pacem, *congreſſus ciuitatum permanens* dici poteſt, ad quam vt ſeſe adiungat, cuiuis vicino liberum eſt; quod (certe quoad ſolemnitates iuris gentium reſpectu pacis conſeruandae) priori huiusce ſeculi dimidio in conuentu ordinum generalium Batauiae Hagae Comitum adhuc locum habuit; vbi comites conſiſtoriani plerarumque aularum Europaearum ipſarumque rerum publicarum minimarum, de hoſtilitatibus, quibus vna ab altera adfecta eſſet, detulerunt, atque ita vniuerſam Europam vt ciuitatem vnam foederatam cogitatione ſibi informarunt, quam in illius controverſiis publicis quaſi pro arbitra agnoſcerent, cum e contrario poſthac ius gentium ſolum in liberis relictum, e cubiculis ſecretioribus euanuerit, vel, violentia iam patrata, in forma deductionum, tenebris tabellariorum creditum ſit.

Sed hoc loco in *congreſſu* conſociatio multarum ciuitatum dunt axat arbitraria, omni tempore *ſolubilis*, non vero talis coniunctio intelligitur, quae (velut civitatum Americanarum) in conſtitutione publica fundata, et proinde indisſolubilis videtur; — qua ſola idea iuris gentium publici conſtituendi, controuerſias modo ciuili, quaſi per litem, non vero barbaro (more ferorum) quippe per bellum decidendi, poteſt ad effectum perduci.

Digitized by Google

IURIS PUBLICI

SECTIO TERTIA.

IUS COSMOPOLITICUM.

§. 62.

Atque haec idea communionis *pacificae*, etsi nondum amicae, populorum omnium in terris perpetuae, inter quos rationes actiuae intercedere possint, haud forte in principio philantropico (ethico) sed *iuridico* versatur. Natura omnes (per formam domicilii rotundam, vt globum terraqueum) terminis definitis inclusit, et, cum possessio fundi, in quo incola terrae degere potest, non nisi vt possessio partis ex toto quodam definito, proinde vt ea, in qua suum cuique illorum originarie ius est, cogitari queat: omnes gentes *originarie* in communione fundi, non vero in communione fundi *iuridica*, et sic vsus aut dominii illius, sed in *commercio* physico possibili, hoc est, in relatione perpetua vnius ad alios vniuersos, sese ad *negotiationem* mutuam *offerendi*, et iure gaudent, eius rei periculum faciendi, neque tamen propterea peregrino eum vt hostem tractare licet. — Quod ius, quatenus coniunctionem gentium omnium possibilem, respectu certarum quarumdam legum vniuersalium negationis eorum possibilis, spectat, potest *ius cosmopoliticum* vocari.

Mariã videri possunt gentes omni communione inter se inuicem priuare, quae tamen, ope nauigationis, in ipsis initiis naturalibus maxime opportunis sunt negotiationis illorum, quae, quo plures orae sibi inuicem vicinae sunt, (velut maris, mediterranei), eo esse vigentior potest, quarum frequentatio, magis vero collocatio domicilii in illis, quo cum regione maternali coniungantur, simul in causa est, vt mala at-

Digitized by Google

que iniuriae in vno globi noſtri loco, ſentiantur in vniverſis. Quo vero abuſu poſſibili ius cosmopolitae non poteſt tolli, communionis *experiendae* cum omnibus, atque hoc conſilio omnes terrae regiones *luſtrandi*, quamuis haud ius ſit *incolatus* in fundo gentis alterius, quippe ad quod pactum ſingulare requiritur.

At vero quaeritur: an genti alicui in terris recens apertis *adcolatum* liceat adprehenſionemque in vicinia gentis, quae in eiusmodi tractu iam loca occupauit, etiam ſine illius conſenſu tentare?

Quodſi adcolatus in ea diſtantia a ſede ſuperioris eueniat, vt neutra in fundo ſuo vtendo quidpiam detrahat, ius illius indubitatum videtur: ſin vero gentes ſint paſtoritiae aut venatores (veluti Hottentotti, Tunguſi et pleraeque nationes Americanae), quarum victus ex magnis deſertisque terrarum tractibus pendet, iſtud haud vi, ſed tantum pacto, et hoc ipſum vtenda illorum incolarum imperitia reſpectu talium terrarum concedendarum fieri poſſet; quamquam rationibus ſatis ſpecioſis, eiusmodi vim ſaluti terrarum orbis cedere poſſit oſtendi, partim gentibus rudibus excolendis (veluti praetextus, quo ipſe *Bueſchingius* religionis chriſtianae in Germaniam introductionem cruentam excuſare vult), partim vt purgandam ab hominibus deprauatis ſuam ipſius regionem, eosque emendandos, aut eorum poſteros in alia quadam mundi parte (velut in Neo-Hollandia); vniuerſis enim his conſiliis bonis putatitiis macula iniuſtiae in viis eo fine adhibitis ablui haud poteſt. — Quodſi obiicias: in eiusmodi cunctatione vi initia conſtituendi ſtatus legalis capiendi, fortaſſe vniuerſum terrarum orbem in ſtatu exlege adhuc verſaturum eſſe: eo aequo minus conditio iuris illa tolli poteſt, quam praetextu ciuitates conuertentium, populo quoque, ſi conſtitutiones degeneratae fuerint, competere, vt ſi eas conuertant, omninoque ſemel pro ſemper iniuſto

agatur, vt posthac iustitia eo certius constituatur atque efflorescat.

* * *

Conclusio.

Si quis, rem esse, haud probari queat, eam non esse, euincat. Quodsi neutrum sibi succedat (quod frequenter euenit), etiam quaerere potest: an sua *interfit*, vnam alteramue (per hypothesin) *sumi*, idque respectu vel theoretico, vel practico, hoc est, vt aut sibi duntaxat certum quoddam visum (velut astronomo, regressum institionemque planetarum) explanet, aut certum quemdam finem consequatur, qui vicissim vel *pragmaticus* (merus finis technicus) vel *moralis*, hoc est, is esse potest, cuius sibi proponendi norma ipsa in officio est. — Per se planum est: haud *suppositionem* explicabilitatis illius finis, quae solum in iudicio theoretico et quidem problematico versatur, hoc loco officio statui; nulla enim credendi obligatio est, sed agendi ad ideam finis illius, etiamsi ne minima quidem probabilitas theoretica adpareat, illum explicari posse, nec vero tamen impossibilitas illius pariter queat demonstrari, id est, cuius nobis officium incumbit.

Iam ratio moraliter practica in nobis necessario: *nullum esto bellum*; vetat; nec illud inter me et te in statu naturali, nec inter nos vt ciuitates, quae, quamquam interne in statu legali, extrinsecus tamen (in relatione ad se inuicem) in statu exlege versantur; — neque enim is modus est, quo suum quisque ius quaerere debet. Ergo haud amplius quaeritur: pax aeterna vtrum res an nihilum videatur, atque an in iudicio theoretico nostro fallamus, si illud sumamus, verum nosmet sic agere oportet, quasi res sit, quae fortasse non est, ad constituendamque illam

Digitized by Google

eamque conſtitutionem tendere, quae nobis aptiſſima videtur (fortaſſe ciuitatum omnium et ſingularum republicanismum), vt illum arceſſamus, bellisque exſecrandis, quae, vt finem primarium, huc vsque ciuitatum omnium, excepta nulla, inſtituta interna ſpectant, finis imponatur. Atque, etiamſi hoc, reſpectu huius finis abſoluendi, in piis deſideriis relinqueretur, tamen profecto haud fallimur in adoptanda norma eo perpetuo tendendi; quippe quae in officio eſt; ſed ſi legem moralem in nobis ipſis fallacem poneremus, deſiderium naſceretur horrorem excitans, vt potius ratione careres, mallesque, ex principiis tuis, cum reliquis animantibus in parem naturae mechanismum tete coniectum conſpicere.

Ac dici quidem poteſt, hanc compoſitionem vniverſalem et continuam non ſolum ad partem quamdam, verum ad vniuerſum ſcopum doctrinae iuris pertinere; ſiquidem ſtatus pacis ſolus eſt ſtatu ſub *legibus* munitus mei tuique in hominum frequentia ſibi inuicem vicinorum, qui proinde in conſtitutione quadam ſimul ſunt, cuius vero regula haud pendet ab experientia illorum, quibus adhuc in ea optime fuit, tamquam norma aliis, verum quae per rationem ex anticipatione ab ideali coniunctionis hominum iuridicae ſub legibus publicis in genere depromenda eſt, quia vniuerſa exempla (quippe quae tantummodo illuſtare poſſunt, nihil vero euincere) fallacia ſunt, atque ita vtique metaphyſices indigent, cuius neceſſitatem illi, qui hanc ludibrio habent, tamen imprudenter ipſi concedunt, cum, vt hoc vtar, velut ſolent, dicunt: „conſtitutio optima ea eſt, vbi haud homines, ſed leges poteſtatem tenent.“ Quid enim magis metaphyſice poteſt ſublimatum eſſe, quam haec ipſa idea, quae nihilominus, ex illorum ſententia propria realitate obiectiua gaudet exploratiſſima, quae etiam in cauſſis obuiis facile poteſt exhiberi, et quae ſola, niſi ad modum conuerſionum, per ſaltum euer-

ſione violenta vitioſae, quae adhuc fuit — (tum enim in medio momentum vniuerſi ſtatus iuridici exſtinguendi eueniret), verum emendatione ſucceſſiua ex principiis fixis tentatur atque abſoluitur, in adpropinquatione continua ad ſummum bonum politicum, pacem aeternam, ducere poteſt.

INITIA METAPHYSICA ETHICES.

PRAEFATIO.

Si vllius cuiuspiam rei propoſitae *philoſophia* (ſyſtema cognitionis rationalis) ex conceptibus ſit, huic etiam philoſophiae ſyſtema quoddam ſit conceptuum rationalium purorum, ab omni viſionum conditione vacuorum, hoc eſt, *metaphyſicam* eſſe oportebit. — Quaeritur tantum: an cuique philoſophiae *practicae*, vt officiorum doctrinae, proinde quoque *Ethicae*, opus ſit *initiis metaphyſicis*, quo vt vera ſcientia poſſit (ſyſtematice), non ſolum vt congregatio doctrinam ſingulatim conquiſitarum (fragmentarie) proponi. — Doctrinam iuris parum ea re indigere, nemo erit, qui dubitet; quippe quae tantum *formale* attingit arbitrii ex legibus libertatis in relatione externa circumſcribendi; nullo reſpectu habito cuiusque *finis* (vt materiae illi ſubiectae). Ergo doctrina officiorum hoc loco non eſt niſi *doctrina ſcientiae.* *)

*) Is, qui *philoſophiae practicae gnarus* eſt, idcirco non eſt *philoſophus practicus*. Hic ſcilicet is eſt, qui *ſuopum rationalem* principium conſtituit *actionum ſuarum*, dum ſimul cum eo ſcientiam neceſſariam coniungit: quae propterea quod actionem ſpectat, haud fere ad fila metaphyſices ſubtiliſſima pertexi debet, niſi forte officium quoddam iuris attineat — quippe in quo in libra iuſtitiae *poſſeſſio*, ex principio aequalitatis actionis et reactionis, adcurate definiri debet, atque idcirco diligentiae mathematicae analoga eſſe; — ſed me-

Digitized by Google

Atque in hac philoſophia (doctrina virtutis) ideae illius ipſum eſſe contrarium videtur, vt vsque ad *initia metaphyſica* regrediare, quo conceptus officii ab omni ratione empyrica (tactu) purgatus, tamen pro elatere ſtatuatur. Ecquam enim fingere cogitationem de vi et robore Herculeo, ad propenſiones vitiis fecundas ſuperandum, ſi virtuti arma ſint ex armario metaphyſices depromenda? quippe quae ſubiecta contemplationi eſt, quam pauci tantum homines ſciunt inſtituere. Idcirco quoque omnes doctrinae virtutis, in auditoriis, ſuggeſtibusque ſacris et libris popularibus, ſententiis metaphyſicis exornatae, abeunt in ridiculum.—Nec vero propterea inutile eſt, multo minus ridiculum, prima initia doctrinae virtutis in metaphyſica inueſtigari; namque vllus quispiam nihilominus vt philoſophus prima huius conceptus officii petat, neceſſe eſt: ſi quidem alias nec firmitas nec puritas doctrinae virtutis omnino exſpectanda foret. Si tum in certo quodam *tactu*, quem propter effectum inde exſpectandum, *moralem* vocaueris, nitaris, id quidem doctori populari ſatis eſſe poteſt: propterea quod hic pro lupide Lydio officii virtutis, vtrum illud ſit nec ne, quaeſtionem vult perpendi: „quid, ſi quis„que in quauis cauſſa normam tuam conſtitueret legem

rum officium virtutis attingit. Ibi enim non ſolum id agitur, vt ſcias, *quid* in officio ſit (quod, propter fines, qui neceſſario omnibus hominibus propoſiti ſunt, facile poteſt indicari): verum in primis de principio voluntatis interno, ſcilicet vt conſcientia huius officii ſimul pro *elatere* actionum ſit, vt is, qui cum ſcientia ſua hoc principium ſapientiae coniungit, *philoſophus practicus*, queat adpellari.

vniuerſalem, an ea tandem ſecum ipſa poſſet conue-„nire?“ Verum, ſi ſolum tactu efficeretur, vt etiam hanc ſententiam pro lapide Lydio accipiendi nobis officium iniungeretur, hoc tamen tunc non per rationem praeceptum, ſed modo per adpetitum, proinde temere pro eo acceptum foret.

Sed nullum principium morale reapſe, vti putaveris, in vllo quopiam *tactu* nititur, verum re ipſa nihil aliud eſt, niſi *metaphyſica* obſcure cogitata, quae cuique homini in initiis rationis ineſt; vti praeceptor facile animaduertit, qui periculum facit diſcipulum de imperatiuo officii, eiusque vſu in actionibus ſuis moraliter diiudicandis *Socratice* examinandi. — *Tractatio* illius (technica) non ſemper metaphyſica, neque oratio ſcholaſtica eſſe debet, niſi forte ille diſcipulum informare velit philoſophum. Sed *cogitationi* vsque ad elementa metaphyſices regrediendum eſt, ſine quibus nulla firmitas et puritas, quin ne vis quidem mouens poteſt in doctrina officiorum virtutis ſperari.

Quod principium ſi reliqueris atque a pathologico, vel aeſthetico puro, aut etiam a *tactu* morali (ſubiectiue practico pro obiectiuo), id eſt, ab materia voluntati ſubiecta, *fine*, non vero ab eius forma, hoc eſt, ab *lege* inſtitueris, vt inde officia definias: tum ſane quidem *initiis metaphyſicis* doctrinae virtutis nullus locus eſt.— Siquidem tactus, qua re cumque excitetur, ſemper *phyſicus* videtur. — Sed doctrina officiorum virtutis tum quoque in fonte ſuo, ſiue in ſcholis fiat, ſiue in auditoriis,

nihil impedit, corrumpitur. Neque enim nihil interest, quibus elateribus vt adiumentis ad finem bonum (omne officium faciendum) perducaris. — — Vt igitur maxime doctores sapientiae putatitios instar *oraculi*, vel etiam *ingeniorum* modo de doctrina officiorum decernentes *metaphysices* taedium capiat: tamen iis, qui sese tales profitentur, necessario in officio est, vt ipsa doctrina officiorum virtutis ad principia illius regrediantur, atque in subselliis suis primo ipsi tirones agant.

* * *

In quo quidem merito mirandum est: qui tandem fieri potuerit, vt, principio officii huc vsque tantopere illustrato, quatenus ex ratione pura deriuatur, rursus illud ad *doctrinam felicitatis* reuocaretur: ita tamen, vt certa quaedam felicitas *moralis*, quae haud niteretur caussis empiricis, eo consilio excogitaretur, quae in figmento secum ipso pugnante versatur. — Scilicet homo cogitans cum incitamentis vitii superatis suum se, saepenumero molestum, officium feciſſe sibi conscius est, in statu versatur tranquillitatis animi et iucunditatis, quem commodo possis felicitatem adpellare, in quo virtus sibimet ipsa praemio est. — Iam patronus *εὐδαιμονίας*, hanc voluptatem, ait, hanc felicitatem verum momentum esse caussamque, cur honeste agat. Non conceptu officii *proxime* voluntatem suam determinari, sed *ope* felicitatis spe praeuisae sese, vt suum officium

faciat, commoueri. — Iam vero perſpicuum eſt, quoniam hoc praemium virtutis non poteſt niſi ex conſcientia facti officii ſperari, tamen oportere officium antecedere; hoc eſt, oportet illum ſeſe ad faciendum officium ſentire obligatum, antequam cogitet, neque meminerit, felicitatem ex officio facto promanaturam fore. Cum *aetiologia* ſua in *orbem* agitur. Siquidem tantummodo ſperare poteſt ſeſe *felicem* (ſiue interne beatum) fore, ſi officium ſeſe feciſſe ſibi conſcius ſit: verum ad officium faciendum tantummodo moueri poteſt, ſi praeuiderit, eo ſe redditum felicem iri. — At vero in hac argutatione ineſt quoque *repugnantia*. Partim enim illi officium ſeruandum eſt, antequam interroget, quae inde ad felicitatem ſuam redundatura ſint, proinde ex ratione *morali:* partim vero tamen non poteſt quidpiam pro officio agnoſcere, niſi ſperare felicitatem queat, inde ad ſe redundaturam, proinde ex principio *pathologico*, quod ipſum contrarium eſt ſuperioris.

Equidem alio loco discrimen *voluptatis pathologicae* a *morali* ad verba, opinor, ſimpliciſſima reuocaui. Nimirum voluptas, *quae* antegredi debet legem ſervandam, vt huic conuenienter agatur, pathologica eſt, actioque ſequitur *ordinem naturae*; ea vero, *quam* lex antecedere debet, vt ea ſentiatur, in *ordine* eſt *morali*. — — Quo quidem discrimine neglecto: *εὐδαιμονία* (principio felicitatis) pro *ἐλευθερονομία* (principio libertatis legislationis internae) pro principio conſti-

tuto, conſequitur vniuerſae philoſophiae moralis εὐθανασία (mors placida).

Cauſſa horum errorum nulla alia, quam haec eſt: eos, qui ſolum ſe ad explicationes phyſiologicas adſueverunt, imperatiuus categoricus, vnde hae leges dictatoriae proficiſcuntur, male habet; quamquam tamen eo ſe neceſſario coactos ſentiunt. Quod vero non poſſumus nobis *enodare*, quo prorſus vltra orbem illum ſitum eſt, (*libertatem* arbitrii), vt maxime haec eadem laus hominis tollat animam atque eleuet, quod talis *idea* in eum cadat, ſuperbis rationis contemplatiuae poſtulationibus, alioquin vim ſuam in campis aliis tam vehementer ſentientis, quaſi vno agmine *euocati* ad tuendamque omnipotentiam rationis theoreticae incitati, fit, vt illi ideae reſiſtamus atque ita conceptam libertatis moralem nunc et fortaſſe diu adhuc, quamquam in fine nihilominus fruſtra impugnemus, et, ſi fieri poſſit, in ſuſpicionem vocemus.

INSTITUTIO

AD

DOCTRINAM OFFICIORUM VIRTUTIS

Priſcis temporibus *ethica philoſophiam moralem* in genere, quae et *doctrina de officiis* dicta eſt, denotauit. Sequente tempore ſatius eſſe duxerunt, hoc nomen parti cuidam philoſophiae moralis, nimirum doctrinae de officiis, quae non ſubſunt legibus externis, ſoli tribui; ita, vt nunc ſyſtema doctrinae officiorum vniverſalis in *ius*, in quod leges externae cadunt, et *ethicam* diuidatur, in quam nullae cadunt leges externae; in quo quidem etiam poſſumus adquieſcere.

I.

Expoſitio conceptus ethices.

Conceptus officii iam per ſe conceptus *coactionis* eſt libero arbitrio per legem inferendae; ſiue *externa* ſit haec coactio, ſiue a *nobis ipſis* proficiſcatur. *Imperatiuus* moralis decreto ſuo categorico (τῷ ſimpliciter debere), hanc coactionem indicat, quae proinde non ad naturas ratione praeditas (quarum forte quoque eſſe *ſanctae* poſſent) generatim pertinet, verum ad *homines* vt *naturas phyſicas* ratione indutas, qui praeterea ſatis impii ſunt, vt lubido eas facile inceſſere queat legem moralem, quamuis eius auctoritatem ipſi agnoſcant, tamen migrandi, et vel tum, cum eam ſeruant, tamem *inuiti* (et propenſione repugnante) faciunt, quippe in quo proprie *coactio* cernitur. *) —

*) Sed homo tamen vt *natura moralis* ſimul (cum obiectiue ſe, quo per rationem practicam puram ſuam determinatus eſt. ſecundum *humanitatem* in ſe ipſo ſpectat) ſatis ſe ſanctum ſentit, ad legem internam *inuito* migrandam; neque enim vllus homo eſt tam perditus ac profligatus, quin in hac transgreſſione in ſe reniſum perſentiſceret ſuique

Cum vero nihilominus homo natura *libera* (moralis) ſit, conceptus officii nullam *coactionem* aliam quam quae *a nobis ipſis* proficiſcitur (per cogitationem legis ſolum) contineret, cum determinatio voluntatis interna (elater) ſpectatur, quippe quo ſolo fieri poteſt, vt illa *coactio* (etiamſi externa foret) cum libertate arbitrii coniungatur, in quo vero tum conceptus officii foret ethicus.

Ergo incitamenta naturae *impedimenta* in ſe cohibent in animo hominis officii exſequendi, et (partim vehementer) reagentes vires, ad quas proinde vincendas per rationemque, non aliquando demum, verum extemplo (ſimul cum cogitatione) ſuperandos ſe idoneum iudicare debet: ſe ſcilicet id *valere*, quod lex ſimpliciter iubet, vt facere *debeat*.

Iam potentia propoſitumque deliberatum aduerſario graui ſed iniuſto reſiſtendi cernitur in *fortitudine*, et reſpectu aduerſarii mentis moralis *in nobis*, in *virtute* (ſeu fortitudine morali). Ergo doctrina officiorum vniuerſalis in ea parte, quae, non libertatem externam, ſed internam legibus ſubiicit, in *doctrina officiorum virtutis* (ethica) verſatur.

Doctrinam iuris vidimus ſolum in conditione *formali* libertatis externae (per conuenientiam cum ſe ipſa, ſi norma illius lex vniuerſalis euaderet) hoc eſt, in *iure* occupari. Ethica e contrario etiam *materiam* (rem libero arbitrio propoſitam), *finem* rationis purae,

ipſius auerſionem, in qua ſibi ipſi adferre coactionem tenetur. Viſum igitur: hominem in hoc trinio (quo bella fabula Herculem, virtutem inter et voluptatem collocat) maiorem propenſionem oſtendere inclinationi magis quam legi obſequendi; nullo modo fieri poteſt vt explanetur: ſiquidem tantummodo ea poſſumus, quae fiunt, explicare, propterea quod ea ab cauſſa ſecundum naturae leges derivamus; in quo vero arbitrium non vt liberum cogitaremus. — Sed haec coactio a nobis profecta mutuo oppoſita eiusque neceſſitatis tamen qualitatem *libertatis* incomprehenſam ipſa declarat.

eumdemque vt finem obiectiue neceſſarium, hoc eſt, nomini vt officium, repraeſentatum ſuppeditat. — Etenim, cum inclinationes animales ad fines (vt materiam arbitrio obnoxiam) adliciant, qui officio queant contrarii videri, ratio legislatioria contagionem illarum non poteſt aliter impedire, quam rurſum, per finem moralem oppoſitum, qui proinde ab inclinatione vacuus, neceſſe eſt, ex anticipatione datus videatur.

Finis cernitur in re arbitrio ſubiecta (naturae rationisque), cuius cogitatione hoc ad actionem huius rei producendae determinatur. — Iam quidem ad actiones, vt adiumenta finem ſpectantes, non vero vt *finem mihi propoſitum habeam* ab aliis cogi poſſum, ſed *ipſe* tantum *mihi* aliquid pro fine poſſum proponere. — Quod vero etiam obligatus ſim, quidpiam, quod in conceptibus rationis rationis practicae ineſt, pro fine mihi proponere, proinde praeter rationem arbitrii determinandi formalem (cuiusmodi ius contineat), etiam materialem, finem habere, qui fini queat ex incitamentis animalibus opponi: id quidem conceptus foret de *fine*, *qui per ſe ipſe in officio ſit*; doctrina eius vero non ad doctrinam iuris, verum ad ethicam pertineret, quippe quae ſola *coactionem a nobis ipſis profectam* ſecundum leges (morales) in conceptu suo inuoluit.

Ob hanc cauſſam ethica quoque vt ſyſtema *finium* rationis practicae purae definiri poteſt. — Et fine et officio duae partes ethices generalis diſtinguuntur. Ethicam officia continere, ad quae facienda non queas (physice) ab aliis cogi, inde ſolum promanat, quod ea in doctrina *finium* verſatur, ſiquidem eos quo habeas vt cogare ſecum ipſum pugnat.

Ethicam autem in *doctrina officiorum virtutis* cerni, ex ſuperiori virtutis definitione ſequitur, comparata cum obligatione, cuius naturam modo monstrauimus. — Nulla quippe alia arbitrii determinandi ratio eſt, quae per conceptum ſuum iam ſic infor-

mata eſſet, vt ab *arbitrio* aliorum ne *phyſice* quidem poſſet cogi, quam ratio ad *finem* determinandi. Alius quidem memet ad aliquid *faciendum* cogere potest, quod haud mihi pro fine propoſitum (ſed tantum in adiumentis ad finem alius cuiuspiam) ſit, non vero vt mihi iſtud *pro fine proponam*, neque tamen vllum quëo finem habere, niſi mihi illum ipſe proponam. Quod poſterius quidem ſecum ipſum pugnat; in actu verſatur libertatis, qui ſimul tamen haud liber videtur. — Sed ſibi ipſi finem proponere qui ſimul in officio ſit, non pugnat; qnoniam tum memet ipſum cogo, quod facile potest cum libertate conſiſtere.*) — Qui ſit autem, vt eiusmodi finis eſſe poſſit? Id quod nunc quidem quaeritur. Namque poſſibilitas conceptus de re aliqua (cum ſecum haud pugnat) nondum ſufficit ad poſſibilitatem ipſius rei (realitatem conceptus obiectiuam) ſumendam.

II.

Expoſitio conceptus de fine, qui idem in officio ſit.

Adfectio finis ad officium duplici ratione cogitari potest: vel a fine proficiſcens, norma actionum officio conuenientium, vel, vice verſa, ab hac proficiſcens, ad *finem* inueniendum, qui ſimul in officio ſit — *Doctrina officiorum iuris* in via ſuperiori incedit. Cuiusque libero arbitrio conceditur, quem finem ſibi actionis ſuae proponere velit. Sed norma illius ex anticipatione determinata eſt: vt ſcilicet libertas agentis cum libertate cuiusque alius ſecundum legem vniuerſalem ſimul poſſit conſiſtere.

*) Quo minus homo phyſice potest, quo magis e contrario moraliter (per ſolam officii cogitationem) cogi, eo liberior eſt. — Is, vt hoc vtar, qui conſilio ſatis ſedato animoque obfirmato eſt, ad oblectationem ſibi propoſitam haud omittendam, etiamſi illi innumera detrimenta, quae inde capturus ſit, ollenderis, verum ad cogitationem, ea re illum muneri ſuo deeſſe, vel partem aegrotantem negligere, a propoſito fine haeſitatione, quamquam maxime inuitus deſiſtit, eo ipſo libertatem ſuam ſummo gradu demonſtrat, quod non potest officii monito reſiſtere.

Verum *ethica* viam oppoſitam ingreditur. Quippe quae non poteſt a finibus proficiſci, quos homo ſibi proponere et poſtea de normis ſequendis, hoc eſt, de officio ſuo ſtatuere poſſit; quippe quae rationes normarum empiricae forent, quae non poſſunt conceptui ſeruire officii; quippe cuius (τοῦ debere categorici) radices ſolum in ratione pura ſunt; vti quoque, ſi normae ex illis finibus (qui omnes ab nimio ſui ſtudio profecti) capi deberent, de conceptu officii proprie nullo modo ſermo eſſe poſſet. — Ergo in ethica *conceptus officii* ad fines perducet, *normas*que reſpectu finium, quos nobis proponere *debemus*, ex principiis moralibus conſtituet.

Vt in medio relinquam, ecquinam ille finis ſit, qui per ſe ipſum in officio ſit, et qui fiat, vt talis eſſe queat, hoc loco, oportebit, vt doceam, quod et qua de cauſſa officium huiusce generis nomen habet *officii virtutis*.

Cuius officio reſpondet ius *quoddam*, vt facultas moralis generatim ſpectatum, non vero cuiuis officio *iura* reſpondent alius cuiuspiam (facultas iuridica) aliquem cogendi; verum haec ſingillatim *officia iuris* dicuntur. — Pariter cuique *obligationi* ethicae reſpondet conceptus virtutis, ſed non omnia officia ethica propterea officia virtutis ſunt. Illa ſcilicet non ſunt, quae non tam certum quemdam finem (materiam arbitrio ſubiectam), quam ſolum *formale* determinationis voluntatis moralis (velut actionem officio conſentaneam etiam *propter officium* fieri oportere) attingunt. Non niſi *finis qui ſimul in officio ſit*, poteſt *officium virtutis* adpellari. Idcirco plura ſunt poſterioris (etiam variae virtutes); contra ſuperioris non eſt niſi vnum, ſed ad omnes actiones valens (mens honeſta), cogitatur.

Officium virtutis ab officio iuris natura differt in eo, quod ad hoc coactio externa fieri moraliter poteſt,

illud vero ſolum pendet ex coactione libere ab nobis ipſis profecta. — Naturis *ſanctis* finitis (quae ad violandum officium ne tentari quidem poſſunt) nulla doctrina officiorum virtutis eſt, ſed ſolum doctrina morum, quippe quae in *αὐτονομία* cernitur rationis practicae, cum illa ſuperior e contrario ſimul *αὐτοκρατίαν* illius contineat, hoc eſt, conſcientiam *potentiae* ex imperatiuo categorico morali recte concluſam, poſſe nos inclinationes legi repugnantes ſuperare: ita, vt moralitas humana in ſummo gradu ſuo tamen nihil poſſit amplius quam virtus videri; etiamſi omnino pura (a contagione omnium elaterum heterogeneorum praeter officii elateres prorſus vacaret, vbi tum plerumque vt Ideale (cui adpropinquandum ſit) nomine *Sapientis* poetice perſona induitur.

Nec vero virtus ſolum tamquam *habitus*, atque (vti libellus, quo Cochius de praemio certauit, vult) *conſuetudo* actionum moraliter bonarum diuturna, ſua parta, definienda aeſtimandaque. Etenim haec nihil in effectis ſit principiorum ſtabilium atque in dies probatorum, velut quisque mechaniſmus alius ex ratione technice practica, neque ad omnia tempora armatus eſt, neque contra mutationem, quam noua irritamenta adferre poſſunt, ſatis munita.

Scholion.

Virtuti $= +a$ *inhoneſtum negatiuum* (infirmitas moralis) $= 0$ vt *contradictorie oppoſitum*, ſed vitium $= -a$ vt contrarie ſeu realiter oppoſitum, e regione ſtat, et quaeſtio eſt, non ſolum inutilis, verum etiam praua: an non fortaſſe ad magna *crimina* maiori animi fortitudine quam ad ipſos magnas *virtutes* opus videatur. Namque in fortitudine animi intelligimus firmitatem propoſiti in homine, vt in natura libertate praedita, proinde quatenus ſui ipſius potens eſt (mente vtitur), ergo in ſtatu hominis *ſano*. At magna crimina verſantur in paroxiſmis, quorum adſpectu mens

ominis ſani horror incutitur. Ergo quaeſtio fere eo ediret: an homo in impetu inſaniae maiori vi phy- ca vti poſſit, quam cum mentis potens eſt; id quod oncedi poteſt, neque tamen maior fortitudo animi ttribui, ſi in mente principium hominis vitale in vſu bero virium intelligas. Nam, quoniam illa ſolum in otentia inclinationum rationem *debilitantium* nitun- ur, id quod nullam animi fortitudinem euincit, haec uaeſtio fere eo rediret: an homo in impetu inſaniae aiorem fortitudinem poſſit quam in ſtatu ſano exer- ere, id quod recta poteſt negari; quandoquidem de- ectus ſtatus ſalubritatis, qui in aequilibrio omnium irium hominis corporearum cernitur, debilitatione ontinetur in ſyſtemate harum virium, ex quo ſolum oteſt ſalubritas abſoluta diiudicari.

III.

De ratione finem ſibi, qui idem in officio ſit, cogitatione informandi.

Finis cernitur in *re* libero arbitrio ſubiecta, cuius ogitatione hoc ad actionem determinatur (qua ille roducitur). Ergo ſuus cuique actioni finis pro- oſitus eſt, cumque nemini queat finis propoſitus Te, quin rem arbitrio ſuo ſubiectam *ipſam* ſibi roponat, actus eſt *libertatis* ſubiecti agentis, non vero fectum *naturae*, vt vllum quemdam finem actionum bi propoſitum habeat. Quoniam vero hic actus, quo nis definitur, in principio practico verſatur, quod on adiumenta (proinde haud cum adiunctione), ſed nem ipſum (ergo abſolute) imperat, illud in impera- uo categorico cernitur rationis practicae purae; oinde in eo, qui *conceptum officii* cum conceptu finis neratim coniungit.

Iam talis finis eique reſpondens imperatiuus ca- goricus ſit, neceſſe eſt. Nam, cum actiones libe- e ſint, cogitur etiam fines eſſe, quem, vt rem ſibi noxiam, illae ſpectent. Sed in hisce finibus quo-

que nonnulli ſint, neceſſe eſt, qui iidem (hoc eſt, ſecundum conceptum ſuum) in officiis videantur. — Quod ſi enim nulli tales forent, vniuerſi fines, eo quod nulla actio poteſt fine vacua eſſe, rationi practicae non niſi vt adiumenta ad fines alios valerent, et imperatiuus *categoricus* fieri non poſſet; id quod omnem doctrinam morum tollit.

Itaque hoc loco ſermo non eſt de finibus, quos homo ſibi ex incitamentis naturae ſuae animalibus *conſtituit*, ſed de rebus arbitrio libero ſubiectis ſub legibus illius, quas ſibi pro fine *proponere debet*. Illa poteſt teleologia technica (ſubiectiua) proprie pragmatica, regulam prudentiae in eligendis finibus complectens vocari: haec vero teleologia moralis (obiectiva) dicenda eſt; quae tamen diſtinctio hoc loco ſupernacanea eſt, quoniam doctrinam morum iam conceptu ſuo ſeſe ab doctrina naturae (hoc loco anthropologia) perſpicue ſeparat ac ſeiungit, quippe quae poſterior principiis empiricis nititur, contra teleologia moralis, quae de officiis agit, poſita eſt in principiis ex anticipatione in ratione practica pura datis atque oblatis.

IV.

Quinam ſunt illi fines, qui ſimul in officiis videntur?

Atque hi verſantur in *perfectione propria — felicitate aliena.*

Qui quidem non poſſunt inter ſe permutari, nec *felicitas propria* ex vna parte, cum *perfectione aliena* ex altera pro finibus conſtitui, qui per ſe ipſi in officiis eiusdem hominis forent.

Etenim *felicitas propria* in fine cernitur, quem omnes quidem homines (per incitamentum naturae) ſibi propoſitum habent, ſed numquam hic finis poteſt vt officium conſiderari, niſi nobismet ipſi repugnemus. Quod quisque iam ipſe neceſſario vult, illud

non pertinet ad *officii* conceptum; ſiquidem hoc *coactione* continetur ad finem inuito conſtitutum. Ergo pugnat, ſi dicitur: nos *obligatos* eſſe ad propriam felicitatem noſtram omnibus viribus promouendam.

Pariter pugnat: ſi alius cuiuspiam *perfectionem* mihi finem proponam, ad eamque promouendam memet obligatum exiſtimem. Namque in eo ipſo *perfectio* alterius hominis, vt perſonae, conſiſtit, quod *ipſe* poteſt finem ſuum ex propriis ſuis conceptibus de officio conſtituere, pugnatque, poſtulari, (mihi officio iniungi), vt aliquid agere debeam, quod nemo poſſit alius, quam is ipſe, facere.

V.

Illuſtratio horum duorum conceptuum.

A.

Perfectio propria.

Vocabulum *perfectionis* multae calumniae obnoxium videtur. Nonnumquam illud pro conceptu *omnitudinis* variorum, quibus coniunctis vna res efficitur, ad philoſophiam transſcendentalem pertinente, accipitur, — tum vero etiam, vt ad *teleologiam* pertinens, ſic intelligitur, vt conuenientiam qualitatum cuiusdam rei ad quemdam *finem* deſignet. Perfectionem ſuperiori ſignificatione *quantitatiuam* (materialem) poſſes, in hac poſteriori *qualitatiuam* (formalem) perfectionem adpellare. Illa non poteſt niſi vna eſſe (ſiquidem vniuerſitas rei cuidam propriorum cernitur in vno). Huiusce autem in re quadam plures eſſe poſſunt; et de hac poſteriori hoc loco etiam proprie agitur.

Perfectio ad hominem generatim (proprie humanitatem) pertinens, ſi dicatur, in officio eſſe per ſe, vt eam nobis finem proponamus, in eo ponenda eſt,

quod effectum esse *actionis* eius potest, non vero quod solum munus est, quod naturae acceptum fert; alias ea enim non in officio foret. Ea igitur non potest nisi in *cultura potentiae* eius (siue initiorum naturae) versari, in qua *intelligentia*, vt potentia conceptuum, proinde quoque eorum quoque, qui officium spectant, suprema est, simul vero etiam in cultura *voluntatis* (mentis moralis) omni omnino officio satisfaciendi. 1. Est illi in officio, vt ex ruditate naturae suae, ex natura animali (quoad actum) in dies magis ad humanitatem, qua sola fit, vt fines constituere possit, sese proripiat: ignorantiam suam institutione expellat, errores corrigat ac deponat, idque illi non solum ratio technice practica ad fines alios (artis) *suadet*, verum moraliter practica istud ei simpliciter *imperat*, et hunc finem illi iniungit officio, vt, quae illi inest, humanitate dignus videatur. 2) Vt in cultura *voluntatis*, vsque ad studium virtutis purissimum, vbi nimirum *lex* simul pro elatere actionum officio conuenientium sit, progrediatur, legique propter officium obediat, quo quidem perfectio moraliter practica interna continetur, quae, quoniam tactus effecti est quod voluntas in eo ipso legislatoria in potentia ad eam agendi edit, *sensum moralem* efficit, qui sane quidem saepenumero fanatice, quasi (velut Genius Socratis) rationem antecederet, vel etiam iudicio illius omnino posset supersedere, male vsurpatur, sed tamen perfectio moralis est, quemque finem singularem, qui simul in officio est, sibi, in quo occupetur, proponendi.

B.

Felicitas aliena.

Felicitas, quae, cum quis cum statu suo contentus est, quatenus de continuatione eius certus est ab natura humana et optatur necessario, et anquiritur; sed ob hanc ipsam caussam ea non in finibus est, qui simul in officiis videntur. — Cum nonnulli etiam felicitatem distinguant in moralem et physicam (quarum

ſuperior cernatur in eo, cum perſona tua tuaque vita morali, ergo iis, quae *agas*, contentus ſis, altera in eo, cum contentus ſis *illis*, quae natura miniſtrat, proinde quibus vt alieno munere *fruare*); monendum eſt, ne abuſum verbi hic reprehendam (quod iam repugnantiam inuoluit) ſuperius ſentiendi genus ſolum ad titulum priorem, ſcilicet perfectionis, pertinere. — Etenim is, qui in ſola conſcientia probitatis ſuae ſeſe ſentire felicem debet, eam perfectionem tenet, quam in ſuperiori titulo pro illo fine, qui ſimul in officio ſit, declarauimus.

Quodſi igitur de felicitate agitur, ad quam, tamquam finem mihi propoſitum, vt agendo adnitar, in officio eſſe debeat, cogitur, felicitatem *aliorum* hominum eſſe, *quorum finem* (licitum) *eo quoque meum* conſtituam. Quibus, quid ad felicitatem ſuam referant, ipſis diiudicandum relinquitur; ſed quoque penes me eſt multa recuſare, quae *illi* ad eam accenſent, quae ego vero neutiquam illuc refero, niſi alias iure gaudeant ea vt ſua a me poſtulandi. Qui illi fini autem *obligationem* putatitiam ad *propriam* felicitatem (phyſicam) item curandam opponunt, atque ita hunc finem naturalem mereque ſubiectiuum in officium (finem obiectiuum) conuertunt, obiectionem adferunt ſpecioſam, ſaepiusque vſurpatam contra ſuperiorem officiorum deſcriptionem (No. IV.), qui propterea ſunt monendi.

Calamitates, dolor atque inopia in magnis ſunt incitamentis officii migrandi. Opulentia, proinde valitudo, ſalubritas omninoque proſperitas, contagioni illi contrariae, etiam, vt videtur, vt fines, qui ſimul in officio ſint, poſſunt ſpectari; nimirum vt *propriam* felicitatem *noſtram* promoueamus, neque ſolum alienam ſpectemus. — Verum tum haec non finis eſt, ſed moralitas ſubiecti illud eſt, a quo impedimenta remouendi, adiumentum ſolum *licitum* eſt; cum nemini aliter ius competat a memet poſtulandi, vt fines meos

Digitized by Google

haud immorales mittam. Opulentiam per se ipsam quaeri directe quidem haud in officio est, sed indirecte sane esse potest, nimirum vt egestatem arceam, tamquam magnum ad flagitia incitamentum. Tum autem non felicitas mea est, sed mea moralitas, cuius vt conseruetur integritas, finis mihi propositus idemque in officio est.

VI.

Ethica leges non fert actionibus (hoc enim ius facit) sed tantum normis actionum.

Conceptus officii proxime ad *legem* refertur (etiamsi adhuc ab omni fine, vt illius materia, mihi temperem); quemadmodum principium formale officii in imperatiuo categorico: „Sic age, vt norma „actionum tuarum fieri *lex* queat vniuersalis" iam indicat; modo quod in ethica haec vt lex *tuae voluntatis* propriae cogitatur, non voluntatis in genere quae etiam voluntas aliorum esse posset: vbi tum officio inseruiret, quod non pertinet ad campum ethices. — Normae hoc loco tamquam eiusmodi principia subiectiua considerantur, quae tantum apta sint ad legislationem vniuersalem; quod principium non nisi negatiuum est (vt legi in genere ne repugnet). — Sed quomodo tandem lex esse potest normae actionum?

Conceptus *finis*, qui idem in officio sit, ethicae proprius solus normis actionum legem constituit, dum finis subiectiuus (quem sibi quisque propositum habet) obiectiuo (quem sibi quisque constituere debet) subiicitur. Imperatiuus: „hoc illudue (velut felicitatem aliorum) pro fine tibi constituito" spectat materiam arbitrio subiectam (rem oblatam). Quum autem nulla actio libera possit, nisi agens in eo simul certum quendam finem (vt materiam arbitrio subiectam spectet) cogitur, vt, si finis est, qui idem in officio sit, norma

actionum, vt adiumentorum ad impetrandum finem, tantum conditionem contineat, qua fit, vt ad legislationem vniuerſalem poſſibilem apta videatur; contra finis, qui ſimul in officio eſt, legem iubere poteſt, vt talem normam habeas, cum interim normae ipſi, ſola poſſibilitas cum legislatione vniuerſali conueniendi iam ſufficiat.

Namque actionum normae poſſunt *arbitrariae* eſſe nec niſi adiunctioni limitanti habilitatis ad legislationem vniuerſalem, vt principio actionum formali, ſubſunt. Sed *lex* rationum actionum arbitrariam tollit, in eoque ab omni *commendatione* (cum ſolum inſtrumenta ad finem aptiſſima deſiderantur) differt.

VII.

Officiorum ethicorum obligatio latior eſt, contra officiorum iuris angustior.

Haec ſententia ex ſuperioribus conſequitur; quandoquidem ſi lex tantum normam actionum, non actiones ipſas imperare poteſt, intelligitur, eam libero arbitrio latitudinem obſeruantiae concedere, hoc eſt, non definite indicare poſſe, quomodo et quantum actione ad finem, qui idem in officio ſit, debeat conferri. — Sed in officio lato non veniam intelligimus exceptionum a norma actionum, ſed modo veniam normae officii per alteram (velut amoris hominum per amorem parentum) circumſcribendae, quo reapſe campus exercendae virtutis dilatatur. — Quo latius officium, quo imperfectior proinde obligatio hominis ad actionem obeundam eſt, quo proprius nihilominus normam obſeruantiae eius (in mente) officio *angusto* (iuris) admouet, eo perfectior actio virtutis eſt.

Itaque officia imperfecta ſola ſunt *officia virtutis*. In obſeruandis illis cernitur *meritum*, =+a; ſed in migrandis iis non ſtatim *demeritum* conſiſtit = — a; ſed ſolum *vilitas* moralis = o, praeterquam cum in ſubiecti

decretis ſtatutum foret, ne ad illa ſeſe officia componeret. Firmitas propoſiti in ſuperiori proprie ſolum *virtus* vocatur, infirmitas in poſteriori non tam *vitium*, quam potius tantum *inhoneſtum*, defectus moralis, appellatur. Vnaquaeque actio officio contraria dicitur *peccatum*. Sed ſtudioſa, quae in decretum abiit, proprie id conſtituit, quod *vitium* nuncupatur.

Quamquam conuenientia actionum cum iure (vt homo iuridicus ſis) nullum meritum eſt, tamen conſpiratio normae talium actionum, vt officiorum, hoc eſt, *obſeruantia* iuris in *meritis* videtur. Ea enim homo ius humanitatis, vel etiam hominum ſibi *pro fine* conſtituit; eoque conceptum officii ſuum latius profert *officio debiti*; ſiquidem alius ex iure ſuo actiones quidem ſecundum legem poteſt, non vero vt haec etiam elaterem earum contineat, poſtulare. Paritet cum praecepto illo generali: „age officio conuenienter propter officium," comparatum eſt. Hanc mentem conſtituere in ſeſe et animare, quemadmodum ſuperior, *meritum* eſt: quoniam vltra legem officii actionum tendit legemque, per ſe, ſimul elaterem conſtituit.

Sed ob hanc ipſam cauſſam etiam haec officia obligationibus latis adnumeranda ſunt, quorum reſpectu principio ſubiectiuo *praemii* illorum ethici (et quidem vt ad conceptum obligationis anguſtae quantum fieri poſſit propius admoueantur), hoc eſt, receptiuitatis illorum ſecundum legem virtutis, locus eſt, nimirum voluptatis moralis, quae ſolam animi ſecum contenti rationem (quae ſolum poteſt negatiua eſſe) excedit, et de qua praedicunt, virtutem in hac conſcientia ſibimet ipſi praemio eſſe.

Quodſi hoc meritum in merito hominis de aliis hominibus cernitur, in fine illorum naturali ab omnibusque hominibus pro eo agnito promouendo, (in felicitate illorum in ſuam conuertenda) hoc *meritum duln*

dici poſſet, cuius conſcientia finitionem moralem parit, in qua homines gaudio communicando proni ſunt ad *luxuriandum*; cum interea *meriti acerbi*, in vera aliorum hominum ſalute, etiamſi eam pro tali haud agnoſcerent, (in difficilibus atque ingratis) tamen promouenda, talis plerumque non eſt effectio, ſed illud modo *animum* ſecum ipſo *contentum* largitur, qui poſteriori caſu etiam maior foret.

VIII.

Expoſitio officiorum virtutis vt officiorum laxorum.

1. *Perfectio propria vt finis, qui idem in officio ſit.*

a) Perfectio *phyſica*, hoc eſt, cultura *facultatum* omnium in genere, ad promouendos fines per rationem propoſitos. Hanc in officio eſſe, proinde per ſe ipſam finem, illique ſtudio, etiam nulla commodorum habita ratione, imperatiuum non hypotheticum (pragmaticum), ſed abſolutum (moralem) fundamento ſubeſſe, inde intelligitur. Facultas ſibi generatim vllum quempiam finem proponendi, eſt humanitatis inſigne (quo ab animali natura diſtinguitur). Cum fine humanitatis in noſtra propria perſona proinde quoque rationis voluntas, ideoque officium, de humanitate per culturam omnino bene promerendi coniuncta eſt, *facultatem*que ad varios obtinendos fines poſſibiles, quatenus haec in homine ipſo inuenitur, ſibi comparandam augendamue, hoc eſt, officium initiorum naturae ſuae rudium excolendorum, quippe quo animal demum ad hominem adſurgit: proinde officium per ſe ipſum.

Sed hoc officium mere ethicum eſt, ſcilicet obligationis latae. Quousque in colenda proferendaque atque emendanda intelligendi facultate, hoc eſt, in cognitionibus aut ſollertia, progredi debeas, nullum rationis principium diſerte praecipit, etiam varietate

temporum, in quae homines incidere poſſunt, ſit, vt genus ſtudii, ad quod naturae dotem colere debet, permultum pendeat ex arbitrio. — Igitur hic nulla lex rationis eſt actionibus, ſed ſolum normae actionum, quae ſic ſe habet: „et animi vires et corporis cole „ſic, vt aptae ſint atque idoneae ad fines omnes, qui „tibi poſſunt obtingere," quamuis neſcias qui aliquando ex iis poſſent ad te pertinere.

b) *Cultura moralitatis* in nobis. Maxima perfectio moralis hominis haec eſt, vt officium tuum facias idque *propter officium* (ne lex non modo regula ſed etiam elater actionum ſit). — Iam prima quidem ſpecie haec *anguſta* obligatio eſſe, principiumque cuiusque actionis non ſolum *legalitatem*, verum etiam *moralitatem*, ſententiam animi, ſeueritate legis ac rigore videtur iubere; ſed reapſe lex hoc quoque loco tantummodo imperat, vt ne *normam actionis*, nimirum rationem obligationis in incitamentis animalibus (commodo vel damno) ſed omnino in lege quaeramus — proinde non *actionem ipſam* iubet. — — Neque enim fieri poteſt, vt homo in abditos animi ſui receſſus ita inſpiciat, vt vmquam queat de puritate conſilii moralis ſui et ſinceritate mentis ſuae vel in vna tantum actione prorſus certus eſſe; quamuis de legalitate minime ambigat. Potius imbecillitas, temeritatem criminis diſſuadens, ab eodem homine virtus (quae conceptum fortitudinis parit) habetur, et quot erunt, qui vitam innocentem diuturnam agunt, quibus modo caſu obtigit, vt tot ſollicitationes ad prauitatem effugiant; quantum pretii moralis puri in quauis actione ex animi ſententia profectum ſit, illos ipſos penitus fugit.

Ergo hoc quoque officium, dignitatem pretiumque actionis non ſolum ex legalitate, verum etiam ex moralitate (animi ſententia) aeſtimandi, tantum obligationis *latae* eſt, neque lex hanc actionem internam

in animo humano ipſam imperat, ſed tantum actionis normam, vt pro viribus eo adnitaris, vt ad omnes actiones officio conſentaneas cogitatio officii per ſe ipſa ſatis ſit elateris.

2. *Felicitas aliena, vt finis qui idem in officio ſit.*

a) *Salubritas phyſica.* *Beniuolentia* poteſt illimitata eſſe: neque enim in eo quidpiam agi oportet. Sed *beneficentiae* maior difficultas eſt, praeſertim cum haud ex propenſione animi (amore) erga alios, verum propter officium, ſpreta adflictaque hac vel illa concupiſcentia benefici eſſe debemus. — Hinc beneficentiam in officio eſſe, inde efficitur, quod, quia amor noſtri ipſius non poteſt a deſiderio, vt etiam ab aliis amemur (in rebus adflictis iuuemur) ſeparari, nos proinde finem conſtituimus aliis, eaque norma numquam aliter niſi ſolum habilitate ſua ad legem vniuerſalem, ergo per voluntatem alios quoque nobis fines conſtituendi, obligari poteſt, felicitas aliena finis ſit, qui ſimul in officio videatur.

At debeo partem ſalubritatis meae propter alios negligere, ſine ſpe talionis, quandoquidem in officio eſt, et iam fieri non poteſt, vt termini definiti indicentur, quousque id poſſit progredi. Permultum refert, quid ex ſuo cuique ſenſu vera neceſſitas futurum ſit, quod cuiuis definiendum oportet relinqui. Nam ſpreta felicitate propria (ſuis neceſſitatibus veris omiſſis) aliorum felicitatem promouere, norma per ſe ipſa pugnans foret, ſi eam legem vniuerſalem conſtitueres. — Ergo hoc officium non niſi *latum* eſt, eaque *latitudine*, vt plus minusue in eo agere queas, ita vt non poſſint termini illius certo definiri. — Lex tantum ad normas valet, non ad actiones definitas.

b) Deberne mendi ei alienæ vitæ, fi fuitam perdiderit, per fuam? Quæftionem hanc ut eft, fed nimium ampliter. Dolor, quem quis ex amiffione alterius capit, vel ex eo, quod ei ad vitam non amplius opitulari poffit, vel ex ingratitudine, eo, nomine, ei quoque fatisfacere neceffitas obligat. Vt ergo ad hanc quæftionem refpondeam, diftinguo: Si mendicus, vere egenus, ab officio eft, ut ei opem ferat, quicunque; fed vere ut quod? Quod, quo carere poteft, ut ei det? Non fane. Sed ut ei, quod ipfi neceffarium eft, ut ei det? Non quidem, quia ipfe fibi poffunt. — Sed nifi veritati mori fuæ ac officio, quod ei incumbit, fatisfecerit, ut ei, quod ipfi neceffarium eft, ut ei, quod ipfi neceffarium eft, ut ei, quod ipfi neceffarium eft

ormalis ſuperioris virtus, actioque ex tali mente (oberuantia legis) oriunda actio virtutis (ethice) dici oteſt, licet lex officium iuris enuntiet. Namque *loctrina virtutis* eſt, quae ius hominum iubet ſancte uſtodiendum.

Sed quod, ſi agas, in virtute eſt, illud idcirco aud continuo proprium *virtutis officium* videtur. Illud olum *formale* normarum attingere poteſt, hoc eſt, pectat earum materiam, nimirum *finem* quemdam, ui ſimul eſſe in officio cogitatur. — Cum autem bligatio ethice ad fines, quorum eſſe plures poſſunt, antummodo lata ſit: quia tum ſolum legem *normae* ctionum continet, et finis materia ſit ſubiecta arbirio, multa officia ſunt, pro vario fine legali varia, uae *officia honeſtatis* adpellantur; ob eam ipſam cauam, quia ſolum coactioni libere a nobis profectae, non b aliis hominibus, obnoxia ſunt, et quibus finis deinitur, qui idem in officio videatur.

Virtus, vt conuenientia voluptatis cum quouis fficio in firmitate animi fundata, vti omne *formale*, antum vna eſt eademque. Sed reſpectu *finis* actioni ropoſiti, qui idem in officio eſt, hoc eſt, eius (materiae) quod tibi debeas pro fine proponere, virtutes ſſe plures poſſunt obligatioque ad normam illius diitur *officium honeſtatis*, quorum igitur multa ſunt.

Principium ethices ſupremum hoc eſt: age ſeundum normam *finium*, quos vt propoſitos tibi haeas, cuiuis lex eſſe vniuerſalis poteſt. — Ex hoc rincipio homo cum ipſe ſibi tum aliis finis eſt, nec atis eſt, illi haud licere nec ſe ipſum nec aliis vt meis adiumentis vti, (in quo tamen etiam praebere ſe nedium poteſt), verum vt hominem in genere nobis ro fine conſtituamus, per ipſum in hominis officio idetur.

Atque hoc ethices principium, vt imperatiuus ategoricus, nullam probationem patitur, ſed ſan-

quidem declinationem ac minime proclivia puta. — Ἐπὶ τὸ πλάγιον ἐκκλίνειν, in latus declinare. — Ἐπὶ τὸ πλάγιον ἐκκλίνειν τὸν ὄμβρον, in latus pluvia. — Ἐπὶ τὸ πλάγιον ἐκκλίνειν τὸν ἥλιον, in latus declinare solem. — Ἐπὶ τὸ πλάγιον ἐκκλίνειν τὸν ἄνεμον, in latus declinare ventum. — Ἐπὶ τὸ πλάγιον ἐκκλίνειν τὸν ἀστέρα, in latus declinare stellam

ſupra iuris officium euehitur, quod per *fines* proponuntur, a quibus omnino ius ſibi temperat. — In imperatiuo morali, et ſumtione libertate neceſſaria in gratiam eius, et *lege*, et *facultate* (eam implendi) et *voluntate* normas definiente omnia elementa, quae conceptum formant officii iuris, abſoluuntur. Sed in eo, qui imperat *officium honeſtatis*, praeter conceptus coactionis a nobis ipſis profectae, conceptus accedit *finis*, non quem nobis propoſitum habemus, ſed debemus habere, quem proinde ratio practica pura in ſe cohibet, cuius finis abſoiutus ſummus (qui tamen etiamnum in officio eſt) in eo ponitur, quod virtutis finis ſibi ipſi propoſitus ſit, et praeter meritum de hominibus, etiam ſibi ipſi praemio eſſe videatur. [In quo quidem, vt ideale, ita exſplendeſcit, vt, prout hominum viſus fert, *ſanctitatem* ipſam, quae numquam ad transgreſſionem ſollicitatur, obſcurare videatur; quo quidem illudimur, cum, quibus nulla nobis menſura nec gradus firmitatis, nec magnitudinis impedimentorum eſt, quae potuerunt vinci (quae in nobis propenſiones ſunt), conditiones magnitudinis aeſtimandae *ſubiectiuas*, vt pro obiectiuis, quantitate per ſe ipſa habeamus, moueri nos patimur.] Verum cum *finibus humanis* quibus cunctis impedimenta ſuperanda ſunt, comparata, patet, pretio ac dignitate virtutis ipſius, vt proprii finis ſibi propoſiti, pretium omnis vtilitatis et finium empiricorum commodorumque omnium quae illa cumque eam comitentur, longe praeponderat.

Ac ſane quidem dici poteſt: hominem ad *virtutem* (vt robur morale) teneri obſtrictum. Namque etſi facultas incitamentorum omnium ſenſitiue reagentium vincendorum ſimpliciter et poſſit *ſupponi* et debeat: tamen haec facultas vt *robur* quidpiam eſt, quod adquiri oportet, eo, vt *elater* moralis (cogitatio legis) contemplatione dignitatis legis rationalis purae in nobis, ſed ſimul etiam *exercitatione* augeatur.

Schema officiorum virtutis principiis superioribus conuenienter hoc modo delineari potest.

Materiale officii virtutis.

	1.	2.
Officium virtutis internum.	*Finis proprius.* qui idem mihi in officio est. (Propria mea *perfectio.*)	*Finis aliorum.* quem promouere mihi simul in officio est. (Aliorum *felicitas.*)
	3.	4.
	Lex quae simul in elateribus est. Qua *moralitas*	*Finis* qui simul elater est. quo *legalitas*

vniuersae determinationis liberae voluntatis nititur.

Formale officii virtutis.

XII.

Praenotiones aeſthetitae reſpectu receptiuitatis animi ad conceptus officiorum in genere.

Sunt tales qualitates morales, quibus ſi careas fit vt etiam nullum eſſe officium poſſit eas ſibi comparandi. — Atque hae ſunt *tactus moralis*, *conſcientia*, *amor* hominum, et *reuerentia* erga ſe ipſum, quas vt habeas, nulla re obligari poteris; quoniam vt conditiones *ſubiectiue* recipiendi conceptum officii, non vero vt conditiones obiectiuae moralitatis fundamento ſubſunt. Cunctae ſunt illae quidem *aeſthéticae* et praedispoſitiones naturales, quibus fit, vt conceptibus officiorum adfici queas; quas dispoſitiones vt habeas non poteſt pro officio conſiderari, ſed quibus quisque homo ornatus eſt, quacumque vi poteſt obligari. Conſcientia illarum non eſt originis empiricae; ſed tantum conſcientiam legis moralis, vt effectum illius in animo, ſequi poteſt.

A.

Tactus moralis.

Hic cernitur in prima quaſi conceptu in ſe recipiendi voluptatem taediumue ſolum ex conſcientia convenientiae vel pugna actionum noſtrarum cum lege officii. Sed omnis determinatio arbitrii a cogitatione actionis poſſibilis per tactum voluptatis taediiue, ex ea vel effecto illius inuitamentum capiendi profecta pergit *ad* factum; vbi ſtatus *aeſtheticus* (adficiendi ſenſus interni) tum aut *pathologicus* tactus eſt aut moralis. — Ille in eo tactu verſatur, qui cogitationem legis antecedit, hic vero in eo, qui non poteſt niſi hanc ſequi.

Iam nullum eſſe officium poteſt, quo iubeare, vt tactu morali vtaris, vel eum tibi compares; ſiquidem omnis conſcientia obligationis hunc tactum

Digitized by Google

fundamento conſtituit, vt coactionis, quae in conceptu officii ineſt, conſcientia potiare: verum quisque homo (vt natura moralis) originarie illum in se cohibet; ſed obligatio tantum eſſe poteſt illum *excludendi*, ipſaque admiratione illius originis haud pereſtigandae augendi: id quod eo fit, vt monſtretur, quomodo ab omni Incitamento pathologico ſeiunctus atque in puritate ſua, per ſolam cogitationem rationalem maxime excitetur.

Hic tactus minus conuenienter ſenſus moralis dicitur; ſiquidem in verbo ſenſus plerumque facultas percipiendi theoretica ad rem quamdam propoſitam relata intelligitur: cum e contrario tactus moralis (velut voluptas taediumque in genere) quidpiam mere ſubiectiuum ſit, quod nullam cognitionem largitur. — Ab omni tactu morali nemo homo vacuus eſt; nam ſi omnino huius ſenſationis in recipiendae facultate careret, moraliter mortuus foret, et, ſi (vt cum Medicis loquar) vis vitalis moralis hunc tactum non poſſet amplius ſollicitare, humanitas (quaſi ex legibus chemicis) meram naturam animalem ſoluta cum mole aliarum naturarum phyſicarum aeternum miſceretur. — Boni malique (moralis) *ſenſu* peculiari perinde ac ſenſu *veri* caremus, quamquam ſaepenumero ſic loquuntur, ſed vtimur facultate liberi arbitrii motum illius per rationem puram practicam (legemque illius) in nos recipiendi, et id eſt, quod tactum moralem adpellamus.

B.

Conſcientia animi.

Pariter conſcientia animi non poteſt adquiri, neque vllum exſtat officium, quod illam iubeat comparandam, ſed quisque homo, vt natura moralis originarie illam in ſe habet. Ad animi conſcientiam obligatum eſſe, idem foret, atque officio teneri, vt officia agnoſcas. Nam conſcientia animi cernitur in

ratione practica homine in quouis tempore legis officium ad absoluendum damnandumque praemonstrante. Itaque adfectio eius non ad rem quamdam pertinet, sed solum ad subiectum, (vt tactus moralis actu illius adficiatur); ergo res in facto posita necessaria, non vero obligatio neque officium. Cum igitur dicimus: hic homo defectu *laborat* conscientiae animi, cum dicere volumus, eum non curare dictamen illius. Nam si reuera ab omni conscientia animi (religione) vacuus foret, etiam nihil sibi quidquam vt officio consentaneum tribueret, neue vt officio contrarium exprobraret, proinde quoque officium conscientia animi vtendi nullo modo cogitatione sibi informare posset.

Varias conscientiae animi descriptiones hoc loco praetereo moneoque tantum, quod ex iis, quae modo dixi, consequitur, nimirum conscientiam animi *erroneam* esse nullam. Namque in iudicio obiectiuo, quidpiamue in officio sit nec ne, sane quidem nonnumquam possumus errare; verum in subiectiuo, an illud cum ratione practica mea (hoc loco iudicante) commodo istius iudicii comparauerim, errare nequeo, qui tum practice minime iudicassem; et tunc neque errori nec veritatati locus erit. *Neglectus conscientiae animi* non est conscientiae defectus, sed propensio iudicium illius non curandi. Si quis autem sibi conscius sit, ex animi conscientia sese egisse, ab eo, ratione culpae vel innocentiae, nihil potest amplius desiderari. Illi tantum incumbit, vt *mentem* suam de iis, quae in officio sunt vel non sunt, colligstret: cum autem ad factum venit, tum conscientia animi natura sua fertur et necessario ad pronuntianum. Ergo vt secundum animi conscientiam agas, id ipsum in officio esse non potest, quoniam alias et alteram animi conscientiam esse oporteret, vt tibi conscius fieres actus conscientiae illius alterius.

Hic tantum in officio est animi conscientiam excolere, attentionemque ad dictamen iudicis in-

terioris acuere omnibusque adiumentis vti (proinde tantum modo in officio indirecto) vt queat audiri.

C.

De amore hominum.

Amor ex *motu animi* proficiscitur, non a voluntate, nec amare queo, quoniam *volo*, sed multo magis quia *debeo*, (ad amorem cogi); proinde *officium amandi* nullum est. Sed *amor beniuolentiae* vt factum potest legi officii obnoxius esse. Verum saepenumero accidit vt beniuolentia erga homines ab omni propriae vtilitatis studio aliena etiam (quamquam valde improprie) *amor* dicatur; quin, vbi haud de felicitate alterius, sed de vniuersis finibus nostris penitus ac libere finibus alius naturae cuiuspiam (ipsius homine superioris) agitur, de amore loquimur, qui idem nobis in officio videatur. At omne officium cernitur in *coactione*; etiamsi coactio foret ab nobis ipsis profecta secundum legem aliquam. Quod autem facimus coacti, illud non ab amore profectum esse dici potest.

Aliis hominibus pro facultatibus nostris *benefacere* in officio est; siue amore eos prosequare, siue minus, et hoc officium nihil quidpiam perdit ponderis, etiamsi animaduerteres, nostrum genus non esse ad amandum constitutum, ita vt, si illud propius nosses, haud ita amore dignum inueniretur. Sed *odium hominum* semper *turpe* est, etiamsi; ab hostilitate vacuum, solum in separatione ab omni hominum congregatione versaretur. Namque beniuolentia semper in officio manet, vel erga ipsum hominum odiosissimum, quem sane quidem non possumus amare, sed ei tamen beneficia tribuere.

At vitium in homine odisse neque in officio est neque officio contrarium, sed merus tactus auersionis, qua illum fugimus, sine vlla voluntatis et huiusce tactus contagione. *Benefacere* in officio est. Quod

qui saepius facit, videtque se beneficium bene collocasse, tandem facile eo peruenit, vt, cui benefecerit, eum vere amet. Quodsi igitur dicitur: alterum hominem *amato* tamquam te ipsum, id non ita dicitur, vt proxime (primo) amare debeas, et per hunc amorem (posthac) benefacias, sed hanc vim habet: *colloca beneficia* in alterum hominem, et haec beneficentia amorem hominum (vt habitum propensionis ad benefaciendum in genere) in te efficiet!

Itaque *amor complacentiae* solum directus foret. Sed huius (vt voluptatis cum cogitatione exsistentiae cuiusdam rei proxime coniunctae) officio teneri, hoc est, vt ad voluptatem ex aliqua re percipiendam cogare, pugnat.

D.

De reuerentia.

Reuerentia pariter quidpiam mere subiectiuum est, tactusque peculiaris cuiusdam generis, neque in iudicio de re quadam cernitur, quam efficere, aut promouere, in officio videntur. Ea enim, vt officium considerata, non nisi per *reuerentiam*, qua erga illam perfusi sumus, cogitari posset. Huius ergo officio teneri, idem foret atque ad officium officio obstringi.— Itaque cum dicitur: homini in *officio* est se ipsum *reuereri*, id parum recte dicitur, potiusque dicendum foret; lex in eo cogit illum vt necessario *reuerentia* suam ipsius naturam complectatur, isque tactus (qui peculiaris cuiusdam generis est) ratio est certorum quorumdam officiorum, id est, actionum certarum, quae cum officio erga se ipsum possunt consistere; non vero, *illi in officio esse*, vt se ipsum reuereatur: siquidem reuerentiam erga legem in se ipso habeat, necesse est, quo vel omnino possit officium cogitare.

XIII.

Principia vniuerſalia metaphyſices morum in tractanda ethica pura.

Ac *primo* quidem: vni officio etiam non niſi vna ratio obligationis inueniri poteſt, et, cum duo pluraue argumenta ea de re adferuntur, tum manifeſta illud nota eſt, vel adhuc nullum argumentum verum haberi, vel etiam plura et diuerſa officia eſſe, quae pro vno habita ſint.

Etenim cuncta argumenta moralia, vt philoſophica, non poſſunt niſi per cognitionem rationalem *ex conceptibus*, non vero, vti matheſis ea adfert, per conſtructionem conceptuum duci; quippe quae plura vnius eiusdemque pronuntiati argumenta concedunt; ſiquidem in *viſione* ex anticipatione plures determinationes qualitatis rei cuiusdam eſſe poſſunt, quae cunctae ad eamdem rationem reducunt. — Si, vt hoc vtar, in gratiam officii veracitatis argumentum, primo ex *detrimento*, quod aliis hominibus mendacium adfert, tum vero etiam ex *vilitate* mendacis, laeſaque erga ſe ipſum reuerentia duci debeat, primo illo officium beniuolentiae, non vero veracitatis, proinde non ea, cuius probatio poſtulabatur, verum officium aliud adprobatum videtur. — Atque in pluribus quidem argumentis pro vna eademque ſententia adlatis multitudine rationum putant defectum ponderis cuiusque ſingularis iri compenſatum; id quidem artificium eſt a philoſopho maxime alienum, propterea quod inſidias prodit et improbitatem — ſiquidem variis rationibus haud idoneis *iuxta ſe inuicem* collocatis defectus alterius haud ſuppletur ad animi firmitatem, quin ne ad probabilitatem quidem. Vt ratio, neceſſe eſt, et conſequens in *vna ſerie*, vsque ad rationem ſufficientem *progrediantur*, nec niſi hoc modo vim poſſunt probandi habere. — Et nihilominus iſtud ſolet in artificiis eſſe artis perſuadendi.

Deinde discrimen virtutis a vitio numquam in *gradibus* certarum quarumdam normarum seruandarum quaeri potest, sed solum in *habilitate* illarum specifica (adfectione ad legem) anquirendum est; verbo, laudatum principium illud (Aristotelis), virtutem in *medio* duorum vitiorum collocandi, falsum est. *) Exemplo ponamus rem familiarem bene administratam, vt *mediam* duobus vitiis, prodigalitati et auaritiae interiectam: ea, vt virtus, non potest deminutione successiua superioris amborum vitiorum (parsimonia), nec multiplicatione expensarum posteriori vitio dediti, oriunda depingi: propterea quod sibi inuicem quasi ex directionibus oppositis in re familiari bene administrata obuiam fierent; sed vna illarum quaeque normam suam peculiarem sequitur, quae cum altera necessario pugnat.

Pariter ob eamdem caussam nullum vitium generatim potest *maiori* certorum consiliorum exsecutione quam consentaneum sit (exempli gratia, prodigalitas est *excessus* in consumendis opibus) aut minori effectione illorum, quam deceat (velut auaritia est *defectus* in opibus distrahendis) definiri. Quippe quo cum *gradus* neutiquam definiatur, ex hoc autem, vtrum vitae ratio officio consentanea sit nec ne, vniuersa pendent; non potest definitioni inseruire.

*) Formulis consuetis, oratione ethice-classicis: medio tutissimus ibis; omne nimium vertitur in vitium; est modus in rebus sunt certi denique fines; medium tenuere beati; insani sapiens nomen habeat etc. sapientia continetur rapida, nullis omnino principiis definitis nixa: ecquis enim istud medium inter duo extrema mihi iudicabit? *Auaritia* (vitium) a parsimonia (virtute) haud in eo abhorret, quod haec *nimium* intendatur, verum longe *aliud principium* (normam) sequitur, nimirum vt finis rei familiaris gerendae, non in *perfruendis* facultatibns suis, sed fruitione missa, solum in *possessione* illarum ponatur: quemadmodum vitium *prodigalitatis* non in fruitione nimia facultatum, verum in norma praua quaerendum est, quae vsum rei, non habitationem eius conseruandae, vnum finem constituit.

Tertio officia ethica non ex facultate homini attributa legi satisfaciendi, aestimanda sunt; sed vice versa, facultas moralis secundum legem categorice imperantem aestimanda est; ergo non ex cognitione empirica, quam de hominibus habemus, vti sunt, sed rationali, vti ideae humanitatis conuenienter esse debent. Atque hae tres normae ethices scientifice tractandae vetustioribus apophthegmatibus oppositae sunt:

1. non nisi vna virtus nec nisi vnum vitium est,
2. Virtus cernitur in tuenda via media inter duas sententias oppositas.
3. Virtus (instar prudentiae) discenda ab experientia est.

De virtute in genere.

Virtus robur voluntatis morale denotat. Sed istud nondum conceptum exhaurit; siquidem eiusmodi robur etiam naturae *sanctae* posset competere, in qua nullum incitamentum impediens legi voluntatis suae reagit; quae proinde omnia legi conuenienter alacri animo facit. Ergo virtus cernitur in robore morali voluntatis *hominis* in faciendo *officio*; quod in coactione consistit morali per propriam rationem suam legislatoriam, quatenus haec se ipsam potestatem constituit legis *exsecutiuam*. — Neque ea ipsa, aut illius possessio in officio est (alioquin enim officiosam esse ad officium obligationem oporteret), verum ea imperat praeceptum suum et comitatur per coactionem moralem (ex legibus libertatis intestinae possibilem), quo vero, quia illi non debet posse resisti, robore opus est, cuius gradum non nisi ex magnitudine impedimentorum, quae homo per propensiones suas sibi ipse struit, possumus aestimare. Vitia, vt progenies cogitationum legi contrariarum, monstra sunt, nunc ei superanda: quocirca hoc robur morale quoque, vt

fortitudo moralis, maximam et vnice veram gloriam hominis bellicam absoluit; propria item, himirum practica *sapientia* vocatur: quoniam scopum exsistentiae hominum in terris conuertit in suum. — In eius possessione sola homo liber est, et sanus, et diues, et rex et id genus alia, neque casu potest, nec fato iacturam facere; quoniam se ipsum possidet, nec honestus virtutem suam amittere potest.

Omnes praedicationes, quae ideale spectant humanitatis in perfectione illius morali exempli contrarii eius, quod homines nunc sunt, fueruntue, aut sine dubio aliquando futuri sunt, nihil possunt quidquam realitatis practicae amittere, et *anthropologia*, quae a meris notitiis empiricis proficiscitur, *anthroponomiae*, quae ab ratione absolute legislatoria proponitur, nihil detrahere potest, et, quamquam virtus (ratione hominum, non legis) passim potest etiam meritoria dici praemioque digna esse, tamen per se ipsa, quemadmodum proprius sibi propositus finis est, etiam vt praemium sui ipsius contemplanda est.

Virtus, vniuersa sua perfectione considerata, sic cogitatur, non quomodo homo virtutem teneat, sed quasi virtus hominem possideat; quoniam superiori casu speciem haberet, quasi penes illum optio fuisset (quo tum etiam alius cuiusdam virtutis indigeret, vt virtutem prae quauis merce alia oblata eligeret). — Plures sibi virtutes animo concipere (vti euitari non potest) nihil aliud est, quam res morales varias cogitatione sibi informare, ad quas voluntas ex vno virtutis principio perducitur; pariter cum vitio opposito comparatum videtur. Verbum, quo ambo persona induuntur, machina est aesthetica, sed quae tamen sensum moralem commonstret. — Idcirco aesthetica morum non in parte quidem, sed tamen in exhibitione subiectiua metaphysices illius versatur: vbi tactus, vim cogentem legis moralis comitantes, efficacitatem illius reddunt sensibilem (veluti nauseam, hor-

rorem et similia excitant, quae auersionem moralem ad sensus reuocant), vt incitamentum *solum* sensitivum anteuertatur.

XIV.

De principio doctrinae officiorum virtutis ab doctrina officiorum iuris separandae.

Atque haec separatio, qua etiam diuisio *philosophiae moralis* primaria generatim nititur, in eo positu est: quod conceptu *libertatis*, ambabus illis communi, descriptio in officia *libertatis externae*, et *internae* necessaria efficitur; in quibus posteriora solum ethica sunt. — Vnde haec et quidem vt conditio vniuersi *officii virtutis* (quemadmodum in superioribus doctrina de animi conscientia vt conditio omnis omnino officii) et discursus praeliminaris praemittenda est.

Scholion.

De doctrina officiorum honestatis ex principio libertatis internae.

Habitus est facilitas agendi et perfectio subiectiva *arbitrii*. — Sed haud quaeuis eiusmodi *facilitas* habitus *libertatis* est; nam, si ea *adsuetudo* sit, hoc est, aequabilitas illius per actionem frequentius repetitam in *necessitatem* conuersa, non est habitus ex libertate proficiscens, nec proinde moralis. Igitur virtus non potest per habitum in actionibus legalibus liberis *definiri*; sed sane quidem, si adderetur, „cogitatione legis in agendo sese determinandi," et tum hic habitus qualitas est non arbitrii, sed *voluntatis*, quae in facultate adpetendi simul vniuerse legislatoria versatur, eaque sola referri ad virtutem potest.

Ad libertatem internam vero duabus rebus opus est: et animo *sui compote*, et *imperio* in semet ipsum,

vt et adfectus *comprimantur*, et animi perpeſſiones *regantur*. — *Indoles* in hisce duobus ſtatibus *erecta* eſt, ſed in oppoſitis *obiecta* ſeu ſerua.

XV.

Ad virtutem primo opus eſt imperio in ſemet ipſum.

Adfectus et *perpeſſiones animi* natura differunt; illi ad *tactum* pertinent, quatenus hoc deliberatione antecedente fit, vt hae ipſae eſſe nequeant aut difficultatibus premantur. Inde adfectus dicitur *animus praeceps*, quem vt *contineas*, ratio per conceptum virtutis ſuadet; verum haec imbecillitas in intelligentia vtenda, coniuncta cum robore motus animi, tantum *inhoneſtas*, quaſique puerile quiddam atque infirmum, quod cum voluntate optima commode poteſt conſiſtere, hoc vnumque commodi habet, quod haec tempeſtas breui deſinit. Propenſio ad adfectum (veluti ad *iram*) inde haud facile cum vitio coniungitur, quam animi perpeſſio. Contra *perpeſſio animi* cernitur in *cupiditate* animali in propenſionem conſtantem conuerſa (velut *odium* cum ira comparatum). Tranquillitas, qua illi indulgemus, locum dat deliberationi animoque concedit, vt principia conſtituamus, atque ita, ſi propenſio in rem incidit legi contrariam, eam foueamus, quo altas radices agat; prauumque eo (vt de induſtria in normam noſtram recipiamus), quod prauum, vt ſic dicam, *qualificatum*, hoc eſt, verum *vitium* videtur.

Virtus igitur, quatenus in libertate interna fundata eſt, cohibet in ſe hominibus etiam praeceptum adfirmatiuum, ſcilicet vt omnes facultates ſuas inclinationesque poteſtati ſuae (rationis) ſubiiciat, proinde imperio in ſemet ipſum, quod praeter coactum accedit, ne imperium patiare tactuum tuorum ac propenſionum, (officio ἀπαθίας); quoniam, niſi ra-

tio frenum ceperit gubernationis, illi hominem imperio ſuo ſubiiciunt.

XVI.

Ad virtutem ἀπαθία, (vt robur conſiderata) neceſſaria ſuppomitur.

Haec vox, quaſi tactus vacuitatem, proinde indifferentiam ſubiectiuam, ratione rerum arbitrio ſubiectarum, denotet, coepit male audire; ſumtaque pro imbecillitate eſt. Cui quidem calumniae ſic eruci poteſt, vt ea adfectuum vacuitas, quae ab indifferentia diſtinguenda eſt, *ἀπαθία moralis* dicatur: cum tactus ex impreſſionibus ſenſitiuis vim ſuam in ratione morali eo tantum perdant, cum reuerentia erga legem vniuerſis illis potentior euadit. — Non niſi robur putatitium eſt hominis febricitantis, quod communionem ipſius *boni* patitur vsque ad adfectum creſcere, vel potius degenerare. Adfectus huiusce generis ἐνθουσιασμὸς vocatur, eoque etiam interpretanda temperantia eſt, quae ipſis virtutibus colendis ſolet commendari (inſani ſapiens nomen habeat, aequus iniqui — *vltra quam ſatis eſt* virtutem ſi petat ipſam. *Horat.*) Alias enim abſurdum foret putari, te poſſe adeo *nimium ſapiens*, *nimiumque honeſtus* eſſe. Adfectus ſemper pertinet ad ſenſualitatem; qua re cumque excitetur. Verum virtutis robur cernitur in *animo tranquillo*, cum propoſito deliberato ac ſtabili legem illius obſeruandi. Atque in hoc ſtatus conſiſtit *ſalubritatis* in vita morali; contra adfectus adeo ſi cogitatione *boni* excitetur, in viſo verſatur ad punctum temporis ſplendente, quod languorem relinquit. Sed tamen is poteſt phantaſtice honeſtus vocari, qui nulla reſpectu moralitatis ἀδιάφορα concedit, omnesque paſſus et gradus ſuos conſpergit officiis, neque nihil intereſſe iudicat, vtrum carne an piſcibus, cerealia an vino, ſi vtrumque mihi conducat, alar; quae quidem minutiarum confectatio, ſi in doctrinam virtu-

tis reciperetur, imperium illius conuerteret in tyrannidem.

Scholion.

Virtus ſemper in *progrediendo* occupata tamen etiam ſemper *a calce* inſtituit. — Illud inde conſequitur, quia, *obiectiue* ſpectata, in ideali verſatur ad eamque non poteſt accedi, nihilominus vero, vt ſemper ei te proprius admoueas, in officio eſt. Hoc nititur, *ſubiectiue*, in natura hominis, inclinationibus adfecta, quarum contagione virtus, cum normis ſuis ſemel pro ſemper ſtatutis, numquam quieſcere poteſt neque conſiſtere, ſed, ſi haud in adſcendendo occupata ſit, neceſſario mutat; quoniam normae morales non, velut technicae in conſuetudine poſſunt conſtitui (id enim ad qualitatem phyſicam determinationis voluntatis ſuae referendum eſt), verum ſi quoque exercitium eius in conſuetudinem abiret, ſubiectam eo *libertatem* in ſtatuendis normis amitteret, qui tamen in criteriis actionis eſt propter officium ſusceptae.

XVII.

Praenotiones ad deſcriptionem doctrinae officiorum virtutis.

Hoc deſcriptionis principium *primo*, quoad *formam*, omnes, oportet, conditiones complectatur, quibus fit, vt pars doctrinae morum vniuerſalis a doctrina iuris, idque ſecundum formam ſpecificam discernatur, quod eo efficitur, vt 1) officia virtutis ea ſint, quibus nullus legiſlationis externae locus eſt; 2) vt, cum tamen omni officio lex quaedam fundamento eſſe debeat, haec in ethica lex officii, non actionibus, ſed actionum normis lata, eſſe queat; 3) vt (quod rurſus ex hoc ſequitur) officium ethicum vt *latum*, non vt anguſtum, ſit officium cogitandum.

Deinde, quoad *materiam*, ea non ſolum vt doctrina officiorum generatim, verum etiam vt *finium doctrina* debet proponi, ita, vt homo tum ſe ipſum, tum quoque quemque hominem alium, ſibi vt finem ſuum cogitare obligatus ſit (quam officia amoris ſui ipſius, et amoris aliorum hominum dici ſolent), quae verba hoc loco ſignificatione impropria accipiuntur; quoniam directe nullum amandi officium eſſe poteſt, ſed ſane actionum, quibus homo ſe aliosque finem conſtituit.

Tertio, quoad diſtinctionem materialis a formali (legalitatis a forma finali) in principio officii, notandum eſt: non vnamquamque *obligationem ethicam* officium ethicum ſeu virtutis eſſe; ſiue: reuerentia erga legem in genere nondum finem vt officium conſtituit: hic enim ſolus in officiis virtutis eſt. — Inde non nisi *vna* obligatio ethica eſt, ſed *multa* ſunt virtutis officia, ſiquidem multae quidem res ſunt, quae nobis in finibus ſunt, quos vt nobis propoſitos habeamus, in officio videtur, ſed vna tantum mens honeſta, vt ratio determinans ſubiectiua officii faciendi, quae etiam ad officia iuris pertinet, quae vero idcirco non poſſunt officiorum virtutis nomen habere. Quocirca omnis ethices *deſcriptio* ſolum officia virtutis ſpectabit. Scientia modi, quo etiam nulla ratione habita legislationis externae poſſibilis poſſis obſtrictus teneri, ipſa ethica eſt, ſecundum principium formale conſiderata.

Scholion.

At quid in cauſſa eſt, quaeres, cur deſcriptionem ethices in *doctrinam elementarem* et *methodologiam* introducas, cum ea tamen in doctrina iuris poſſes ſuperſedere? In cauſſa eſt: quia illa in officiis *latis*, haec in *anguſtis* occupata eſt: quapropter haec, quae per naturam ſuam praeciſe definiens eſſe debet, tam minus quam matheſis pura praecepti cuiusdam generalis (methodi), quomodo in iudicando

verſandum ſit, indiget, ſed ipſo facto eam veram reddit. — Contra ethica propter latitudinem, quam officiis imperfectis concedit, neceſſario ducit ad quaeſtiones, quae facultatem iudicandi prouocant; vt decernat, quomodo norma in caſibus ſingularibus adhibenda ſit, et ita quidem, vt haec rurſum normam (ſubordinatam) ſuppeditet (vbi itidem de principio huiusce ad cauſſas obuias transferendae quaeri poteſt), et ſic in *caſuiſticen* quamdam incidit, quam doctrina iuris plane ignorat.

Ergo *caſuiſtice* nec in *ſcientia* nec in parte eius verſatur; quippe quae foret dogmatica nec tam doctrina, quomodo quidpiam *inueniri* debeat, verum excitatio, quo modo verum debeat *anquiri*; proinde *fruſtulatim*, non ſyſtematice (vti ſuperior illa eſſe debuit) *in eam intexta*, tantum, veluti ſcholia, ſyſtemati adiecta.

Contra, non tam facultatem iudicandi, quam potius rationem, et quidem cum in *theoria* officiorum tum in *praxi exercere*, ſingulatim pertinet ad ethicam, vt *methodologia* rationis practicae moralis. Ac *primo* quidem conceptus officii ex tirone *interrogantur*, quos iam nouit, quae ratio poteſt methodus *erotematica* dici; idque propterea, quod illi iam diximus, ſolum ex eius memoria, quae propria eſt methodus *catechetica*, vel quoniam ſupponimus, iam ratione eius per naturam ineſſe, et tantum opus eſſe, vt inde euoluantur, quae methodus *dialogica* ſeu Socratica adpellatur.

Catecheticae vt exercitationi theoreticae reſpondet practica *Aſcetica*, quae in ea parte methodologiae verſatur, in qua non ſolum virtutis conceptus, verum etiam quomodo et *facultas virtutis* et voluntas exerceri queat atque excoli, dicetur.

Ex his principiis igitur ſyſtema duabus partibus, ſcilicet et *doctrina elementari*, et *methodologia* proponemus. Suis quaeque pars capitibus abſoluetur, in parte priori pro varietate *ſubiectorum*, erga quae obligatus homo tenetur, in poſteriori pro varietate *finium*, quos vt ſibi propoſitos habeat illi ratio iniungit, eorumque receptiuitate, variis.

XVIII.

Iam deſcriptio, quam ratio practica ad conſtituendum conceptuum ſuorum ſyſtema in *ethica* delineat, (architectonica), ex duobus principiis, vel ſingularibus vel coniunctis fieri poteſt: vno, quod adfectionem obligatorum ad obligantes ſubiectiuam, quoad *materiam*; altero, quod adfectionem legum ethicarum ad officia obiectiuam generatim quoad *formam* in ſyſtemate proponit. — *Superior* deſcriptio eſt *naturarum*, quarum reſpectu obligatio ethica cogitari poteſt; *altera conceptuum* rationis ethico-practicae purae; qui illius officia pertinent, quibus proinde ad ethicam non niſi quatenus in *ſcientia* verſari debet, ergo ad compoſitionem methodicam enuntiationum omnium, quae ex ſuperiori inueniuntur, opus eſt.

PRIOR ETHICES DESCRIPTIO
pro varietate ſubiectorum et legum.

Quae continet:

Officia.

- hominis erga hominem.
  - erga ſe ipſum.
  - erga naturas alias.
- hominis erga naturas non humanas.
  - naturas homine inferiores.
  - naturas homine ſuperiores.

POSTERIOR ETHICES DESCRIPTIO
ex principiis ſyſtematis rationis practicae purae.

Ethica.

- doctrina elementaris.
  - dogmatica.
  - caſuiſtica.
- methodologia.
  - catechetica.
  - aſcetica.

Haec igitur deſcriptio poſterior, propterea quod formam ſcientiae attingit, ſuperiorem, neceſſe eſt, vt delineatio totius antecedat.

DOCTRINAE ELEMENTARIS ETHICAE

PARS PRIOR.

DE OFFICIIS ERGA SE IPSUM IN GENERE.

INSTITUTIO.

§. 1.

Conceptus officii erga se ipsum (prima specie) *repugnantiam continet.*

Ipso *obligante* cum *obligato* eodem sensu sumto, officium erga se ipsum conceptus est secum pugnans. Etenim in conceptu officii conceptus inest coactionis passiuae (*obligor*). In eo autem, quod in officio erga me ipsum, memet cogito tamquam *obligantem*; proinde in coactione actiua; (ego, idem illud subiectum, sum obligans) et sententia, officium erga me ipsum enuntians (*debeo* memet ipse obligare) obligationem ad se obligandum (obligationem passiuam, quae tamen simul, eodem sensu relationis, actiua foret) proinde repugnantiam contineret. — Quae pugna eo quoque ostendi potest, vt planum facias, ab auctore obligationis semper posse obligationis subiectum a termino obligationis absolui; proinde (si ambo vnum idemque subiectum sunt) obligantem officia, quae sibi ipse iniungit, nullo modo adstringi: id quod continet repugnantiam.

§. 2.

Sunt tamen officia hominis erga se ipsum.

Fac enim, nulla esse eiusmodi officia, nulla tum omnino officia, nullaque externa, forent. — Namque

memet non queo erga alios obligatum agnoſcere, niſi quatenus ſimul memet ipſum obligo; quoniam lex, vi cuius memet obligatum cenſeo, vbique ab ratione practica propria mea qua cogor proficiſcitur, propterea quod ſimul cogens ſum ratione mei ipſius. *)

§. 3.

Solutio huius antinomiae putatitiae.

Homo ſeſe, in conſcientia officii erga ſe ipſum, vt ſubiectum illius duplici ratione conſiderat: primo vt *naturam animalem*, hoc eſt, vt hominem (ad vnum ex animalium generibus pertinens): tum vero etiam vt *naturam rationalem* (non ſolum naturam rationalem, quia ratio ſecundum facultatem theoreticam fortaſſe etiam in naturam corpoream viuentem cadere poſſet), quam nullus ſenſus adſequitur, et quae non niſi in rationibus moralibus practicis, vbi proprietas *libertatis* incomprehenſa vi rationis in voluntate interne legislatoria ſeſe manifeſtat, cognoſci poteſt.

Iam homo, vt *natura phyſica rationalis* (homo phaenomenon) per rationem ſuam, vt *cauſſam*, ad actiones poteſt in mundo phaenomeno determinari, in eoque conceptus obligationis nondum cadit ſub deliberationem. Idem vero ſecundum *perſonalitatem*, hoc eſt, vt natura libertate interna praedita (homo noumenon), cernitur in natura obligationis particeps et quidem erga ſe ipſum (humanitatem in perſona ſua) ſpectatam, ita vt homo (duplici ſignificatione conſideratus) officium erga ſe ipſum agnoſcere poſſit, neque tamen in eo mecum in pugnam incidat (quo-

*) Sic dicimus, ſi, vt hoc vtar, de tuenda fama vel conſervatione mei ipſius agitur: „hoc mihimet ipſi debeo.“ Quia ſi officia ſint minoris pretii, quae ſcilicet non neceſſarium, ſed meritorium ſeruandi officii mei attingunt, ſic dico: velut „mihimet ipſi debeo, vt dexteritatem meam conſuetudini hominum et ſic porro augeam atque amplificem (vt memet excolam).

niam conceptus de homine non vno eodemque ſenſu cogitatur).

§. 4.

De principio deſcriptionis officiorum erga ſe ipſum.

Deſcriptio tantummodo reſpectu rei officio ſubiectae, non ratione ſubiecti ſeſe obligantis, fieri poteſt. Subiectum tum obligatum tum obligans ſemper *tantum homo* eſt, et quamquam, reſpectu theoretico nobis licet in homine animam et corpus diſtinguere, tamen haud licet has partes vt diuerſas ſubſtantias hominem obligantes cogitare, vt copiam habeamus officia deſcribendi in officia erga *corpus* et erga animam. Nos, neque per experientiam, nec per argumentationes rationis, ſatis ſumus edocti, vtrum in hominis anima (vt ſubſtantia a corpore diuerſa, illum inhabitans) inſit; an non potius vita proprietas ſit materiae, et, etiamſi peculiaris anima ſit, tamen nullum hominis erga *corpus* (vt ſubiectum obligans), quamuis humanum, poſſet cogitari.

1) Quamobrem non niſi deſcriptio officiorum erga ſe ipſum *obiectiua* in *formale* illorum et *materiale* locum habebit: quorum vna contrahentia ac *limitantia* (officia negatiua), altera *dilatantia* ſunt et amplificantia (officia erga ſe ipſum poſitiua): illa *vetant* hominem reſpectu *finis* naturae ſuae propoſiti, ne contra illum agat, proinde ſolum *conſeruationem ſui* moralem ſpectant, haec *iubent*, vt rem quamdam arbitrio ſubiectam ſibi pro fine conſtituat, pertineatque ad *perfectionem* ſui ipſius: vtraque ad virtutem vel vt officia omiſſionis (ſuſtine et abſtine) pertinent, vel vt officia commiſſionis (viribus conceſſis vtere), ſed ambo vt officia virtutis. Superius officium ad ſtatum *ſalubritatis* moralis (ad eſſe) hominis pertinet, vt rei tum ſenſui externo tum interno ſubiectae ad naturam in perfectione tua *tuendam* (vt *receptiuitatem*): alterum

ad *opulentiam* moralem (ad melius esse), quae in possessione *facultatis* ad omnes fines idoneae ac sufficientis, quatenus haec adquiri potest, cernitur, et ad *culturam* (vt perfectionem actiuam) pertinet. Prius officii erga se ipsum principium in dicisio inest hoc: naturae conuenienter viue, hoc est, *conserua* te in perfectione naturae tuae; alterum in hac sententia: *redde te perfectiorem*, quam sola natura te creauit (perfice te vt finem; perfice te vt instrumentum).

2) Descriptio officiorum hominis erga se ipsum *subiectiua*, hoc est, ea, secundum quam subiectum officii (homo) se ipsum, aut vt naturam *animalem* (physicam) et simul moralem, aut solum vt *moralem* considerat.

Ibi ergo incitamenta naturae quoad *rationem* hominis *animalem*, a) in eo versantur, quo natura conseruationem sui ipsius spectat, b) conseruationem generis, c) conseruationem facultatis ad vitam solum animalem iucunde perfruendam. — Vitia, officio hominis erga se ipsum hic repugnantia, sunt: *caedes sui ipsius* (αὐτοχειρία) vsus qui contra naturam fit, *adpetitus coniunctionis* cum altero *sexu*, *fruitioque alimentorum immodica*, facultatem ad vsum virium conuenientem debilitans.

Atque officium quidem hominis erga se ipsum, *solum* vt naturam moralem (nulla habita ratione naturae animalis) quoad *formale* cernitur in conuenientia normarum voluntatis cum *dignitate* humanitatis in persona illius in vetito, ne laude ac *praestantia* naturae moralis, scilicet secundum principia agendi, hoc est, libertate interna se ipse priuet, eoque lusui subiiciat sese solarum propensionum, proinde in rem conuertat. — Vitia huic officio contraria sunt: *mendacium*, *auaritia* et *falsa modestia* (studium placendi ab-

Digitized by Google

iectum et ſeruile). Eiusmodi homines principia adoptant, cum perſona ſua, vt naturarum moralium, id eſt, cum libertate interna, dignitate illa hominis ingenita (iam quoad formam) pugnantia, quod ita dictum eſt; principium ſtatuunt hoc ſibi, vt nullum principium, atque ita nullam perſonam habeant, hoc eſt, ſeſe abiiciant contemtuique ſeſe exponant. — Virtus vniuerſis hisce vitiis e regione poſita *ſtudium honoris* (honeſtas interna, iuſtum ſui aeſtimium) poſſet vocari, quae a *cupiditate honoris* (ambitione) quae etiam maxime humilis atque abiecta eſſe poteſt, quantum caelum a terra, abhorret, de qua infra dicemus.

Digitized by Google

ETHICES

PARS PRIOR.

DOCTRINA ELEMENTARIS ETHICA.

LIBER PRIMUS.

DE

OFFICIIS ERGA SE IPSUM PERFECTIS.

CAPUT PRIMUM.

Officium hominis erga ſe ipſum, vt naturam animalem.

§. 5.

Officium hominis erga ſe ipſum, quamquam haud praecipuum, tamen *primum*, qua naturae animalis, cernitur in tuendo ſeſe conſeruandoque in natura ſua animali.

Cui quidem contraria eſt *mors phyſica* voluntaria, quae pariter tum totalis poteſt tum partialis cogitari. Ergo mors phyſica quoque (*αὐτοχειρία*) totalis (caedes ſui ipſius) aut partialis, *membrorum priuatio* (mutilatio) eſſe, quae rurſus in *materialem*, cum nosmet ipſos certos quibusdam *partibus integrantibus*, vt organis, *priuamus*, hoc eſt, nos mutilamus, et in *formalem* deſcribi poteſt, cum nosmet (aut in omne aut ad quoddam tempus) facultate virium noſtrarum *phyſica* (eoque indirecte quoque morali) *priuamus*.

Cum in hoc capite tantummodo de officiis negatiuis, proinde de omiſſionibus modo ſermo ſit, articuli

officiorum oportebit, contra ea *vitia* inſtituantur, quae officio erga ſe ipſum oppoſita ſunt.

CAPITIS PRIMI

Articulus primus.

De caede ſui ipſius.

§. 6.

Caedes ſui ipſius voluntaria tum tantum *homicidium* doloſum dici poteſt, cum poteſt probari, eam omnino in crimine verſari, quod vel in propria perſona noſtra vel etiam hac caede ſui ipſius in aliis committitur; (veluti ſi femina grauida ſibimet ipſa manum infert).

a) Caedes ſui ipſius crimen eſt. Quod quidem etiam vt transgreſſio officii erga alios homines (coniugum, parentum erga liberos, ſubditi erga magiſtratum, vel ciues ſuos, tandem etiam erga deum poteſt ſpectari, cuius munus in mundo nobis adſignatum homo, iniuſſu eius a quo illud eſt nobis datum, defugere videtur; — ſed hoc loco tantum ſermo eſt de laeſione officii erga ſe ipſum, an ſcilicet contemplationibus illis miſſis ac remotis, homo tamen ad tuendam vitam, ſolum propterea quod perſona ſit, obſtrictus videatur, in eoque officium erga ſe ipſum (idque ſeuerum) debeat agnoſcere.

Hominem ſemet ipſum poſſe offendere, abſurdum eſſe videtur (ſiquidem volenti non fit iniuria). Idcirco Stoicus ad excellentiam perſonalitatis ſuae (ſapientis) referebat, arbitratu ſuo e vita (tamquam e cubiculo fumo infeſtato) nullis nec praeſentibus malis nec metuendis coactus, tranquillo animo migrare; quoniam in ea ad nihil amplius poſſit prodeſſe. — At hic idem animus, hoc animi robur, mortem non metuere et aliquid noſſe, quod homo etiam pluris fa-

cere, quam vitam, poteſt, illi eo maiori argumento grauiorique eſſe debuiſſet, ne naturam tanta poteſtate grauiſſimis elateribus animalibus ſuperiori, euerteret, ne proinde vita ſe priuaret.

Homo, quam diu de officiis ſermo eſt, proinde donec viuat, ſeſe non poteſt a perſonalitate abdicare, pugnatque, poteſtatem habere ab omni ſe obligatione liberare, hoc eſt, ita libere agere, ac ſi ad actionem nulla omnino poteſtate opus ſit. Subiectum moralitatis in propria perſona ſua euertere, idem eſt, ac moralitatem ipſam quoad exſiſtentiam, quantum in ſe eſt, ex mundo delere, quae tamen in finibus eſt per ſe ipſa; proinde de ſe vt mero inſtrumento ad finem ſibi placentem ſtatuere, nihil aliud eſt, quam hominem in ſua perſona (hominem noumenon) dedignari, cui tamen homo (phaenomenon) conſeruandus erat concreditus.

Parte ſe integrante vt organo priuare (mutilare) veluti dentem alteri donare aut vendere, vt in mentum alterius transplantetur, aut exſecandum ſeſe praebere, vt queas ſymphoniacus vitam commodius tolerare, et id genus alia, pertinent ad caedem ſui ipſius partialem; non vero organon demortuum, vel in moriendi periculo conſtitutum, eoque vitae pernicioſum amputare: vel quod quidem in partibus corporis eſt, non vero in organis, veluti crines, ſibi praeſcindendum curare, non poteſt ad crimina in ſua ipſius perſona referri; quamquam hic cuius poſterior non omni culpa vacat, ſi ob quaeſtum externum conſtituatur.

Quaeſtiones dubiae.

An caedes ſui eſt, ſe (velut Curtius) in mortem certam praecipitare, ad patriam conſeruandam? — vel an martyrium voluntarium, pro ſalute generis humani generatim ſeſe deuouere, etiam quemadmodum illud factum in fortiter factis ponendum eſt.

An licet damnationi iniuſtae ad mortem ſuperioris praeuenire caede ſui ipſius? — vel ſi hic (vti Nero in Seneca) faciendum concederet?

An ſummo regi nuper mortuo tribui crimini poteſt, quod venenum celeriter vim exſerens ſecum portaret, ſine dubio propterea, ne, ſi in bello, quem ipſe geſſit, cuperetur, ad accipiendas conditiones redemtionis cogeretur, ciuitati ſuae pernicioſas; hoc enim illi conſilium tribui poteſt, ita vt non opus ſit, illum in ſuſpicionem ſuperbiae vocari?

Quidam ex morſu canis rabidi iam ſentiens ὑδροφοβίαν explicata mente, ſe numquam expertum eſſe, vllum hominem ex ea ſanatum eſſe, ſe ipſum interemit, ne, quod relicto ſcripto declarauerat, rabie canina (cuius iam impetum perſentiſceret) correptus, alios homines pariter perderet; quaeritur an in eo recte fecerit?

Qui variolas ſibi implantari ſtatuit, is periculum vitae facit incertus: quamquam ad *vitam ſuam tuendam* ſic decernit, atque eatenus in caſu verſatur longe grauioris legi officii, quam nauigator, qui tamen ſaltem non tempeſtatem excitat, cui ſeſe committit, cum contra ille morbum, qui ſeſe in periculum mortis adducit, ſibi ipſe contrahat. An igitur transplantatio variolarum licita eſt?

Articulus ſecundus.

De maculatione ſui ipſius libidinoſa.

§. 7.

Quemadmodum amor vitae ab natura ad conſeruandam *perſonam* datus eſt, ſic amor ſexus alterius ab ea ad conſeruandum *genus* ingenitus videtur: hoc eſt, quisque ex vtroque *finis naturae* eſt, in quo eam coniunctionem cauſſae cum effecto intelligimus, in

qua illa, etiam nulla illi ad eam rem intelligentia attributa, hoc tamen ſecundum analogiam eiusmodi, proinde quaſi de induſtria homines procreans cogitatur. Iam quaeritur, vtrum vſus huiusce facultatis, reſpectu ipſius perſonae eam exſerentis, legi ſubſit officii limitanti, an haec, etiamſi illum finem haud ſpectauerit, vſum partium genitalium poteſtatem habeat ſoli libidini animali concedendi, neque tamen in eo contra officium erga ſe ipſum agat? — In doctrina iuris probatur, hominem in gratiam huius libidinis *altero* quodam homine non poſſe, niſi ex pacto peculiari iuridico circumſcribente, abuti; vbi tum duo homines mutuo ſe inuicem obligant. Sed hoc loco quaeritur: an ratione huius fruitionis officium hominis erga ſe ipſum exſtet, cuius transgreſſio in humanitate in ſua ipſius perſona *dehoneſtanda* (non ſolum dedignanda) vertatur. Adpetitus illius libido corporea (etiam ſimpliciter libido) adpellatur. Vitium, quod ea procreatur, dicitur impuritas, ſed virtus ratione harum adpetitionum animalium caſtitas vocatur, quae hoc loco vt officium hominis erga ſe ipſum debet proponi. *Contra naturam* dicitur libido, cum homo ad eam, non re oblata vera atque actuali, ſed per phantaſiam, ergo contra finem, eam ſibi ipſe creans, ſollicitatur. Ea enim tum cupiditatem gignit contra naturae finem, et quidem longe grauiorem ipſo fine amoris vitae, quoniam hic tantum ſpectat conſeruationem indiuidui, ille vero pertinet ad ſpeciem vniuerſam.

Talem vſum partium genitalium naturae contrarium (ergo abuſum in laeſione officii contra ſe ipſum et quidem cum moralitate ſummo gradu pugnante verſari, cuiuis, vna cum cogitatione eius, ſtatim incurrit in oculos, mouetque auerſionem ab hac cogitatione adeo, vt vel ipſa adpellatio eiusmodi vitii nomine eius proprio facta a moribus aliena habeatur, id quod in vitio caedis ſui ipſius non accidit; quam, cum omni eius deformitate (in ſpecie facti) hominibus ob oculos collo-

Digitized by Google

care minime dubitamus; quasi homo omnino pudore sese perfusum sentiat, quod talis suae ipsius personae tractatio vel infra belluas se dedignans queat in se cadere; ita, vt ipsa communio corporum vtriusque sexus concessa (per se vtique solum animalis) in matrimonio in consuetudine morato multum prudentiae postuletur, ad eam rationem velo tegendam, si sermo in eam inciderit.

Sed argumentum de illo partium genitalium naturae contrario, ipsoque solum temerario vsu vt laesione (et superioris quidem summa) officii erga se ipsum haudita facile ducitur. — Sane quidem *ratio probandi* inest in eo, quod homo ea re sese (abiecte) a personalitate sua abdicat, propterea quod sese solum vtitur instrumento adpetitionum animalium explendarum. Verum summus laesae humanitatis in persona sua propria gradus per eiusmodi vitium quoad rationem naturae contrariam, cum secundum formam (animi sententiam) ipsum caedis sui ipsius crimen superare videatur, eo nondum explicatur: nisi forte contumax sui ipsius abiectio in hac posteriori, vt onere vitae, certe non in molli incitamentis animalibus traditione versetur, sed animum postulet, vbi etiamnum reuerentia erga humanitatem in sua ipsius persona locum habet, illa, quae totam sese propensioni animali concedit, hominem in rem conuertat fruitioni quidem obnoxiam, sed in ea tamen simul naturae contrariam, hoc est, in rem *abominabilem*, atque ita omni reverentia erga se ipsum priuet.

Quaestiones dubiae.

Finis naturae in miscendis corporibus sexuum est propagatio subolis, hoc est, conseruatio generis; proinde haud licet contra illum finem agi. An vero, etiam *nulla huius ratione habita*, licet (vel si in matrimonio fiat) illum vsum sibi adrogare?

Digitized by Google

An, velut tempore grauiditatis, in ſterilitate vxoris (per ſenectutem morbumue) aut cum haec non ad eam rem ſeſe ſentit ſollicitari, non fini naturae, eoque etiam officio erga ſe ipſum, ex vna parte vel altera, pariter atque in libidine naturae contraria, repugnat, vt partibus genitalibus vtare; aut num hic exſtat lex permiſſiua rationis moraliter practicae, quae, ſi rationes determinantes in contentionem veniant, quidpiam per ſe quidem illicitum tamen ad cauendam transgreſſionem maiorem (quaſi per conniuentiam) permittat? — Vnde limitatio obligationis latae ad *purismum* (qui in cura verſatur putida officii faciendi, quoad latitudinem eius) fieri, propenſionibusque animalibus, cum discrimine linquendae legis rationis, longitudo concedi poteſt?

Propenſio erga ſexum alterum etiam amor (ſignificatione verbi angùſtiſſima) vocatur, et reapſe ſumma ſenſuum voluptas eſt, quae capi ex aliqua re poſſit; non ſolum voluptas *ſenſitiua*, vti in rebus, quae ſoli de illis reflexioni placent (vbi receptiuitas illius guſtus dicitur), ſed voluptas ex altera perſona *perfruenda*, quae proinde ad *facultatem adpetendi*, et quidem ad ſummum illius gradum, animi perpeſſionem pertinet. Ea vero neque ad amorem complacentiae poteſt nec beniuolentiae referri (vtroque enim a fruitione corporea potius detinemur); verum voluptas eſt ſui generis, ardorique amoris proprie nihil eſt cum amore morali commune, quamquam cum hoc, ratione practica cum legibus ſuis coercentibus accedente, arctiori vinculo coniungi poteſt.

Articulus tertius.

De ſuffocatione mentis ſuae ipſius in eſculentis potulentisque intemperanter vtendis.

§. 8.

Hoc loco vitium in hoc intemperantiae genere non ex detrimento doloribusque corporis (eiusmodi

morbis), quos eo ſibi homo contrahit, diiudicatur; tum enim principium foret ſalubritatis et iucunditatis (proinde felicitatis), quo illi deberet occurri, quod vero numquam officium, ſed tantum regulam prudentiae conſtituere poteſt, certe iſtud nullum foret principium officii directi.

Intemperantia animalis in alimento perfruendo cernitur in abuſu potulentorum, quo facultas vſus eorum intellectualis praepeditur vel exhauritur. Quem quidem locum et *ebriofitatis* vitium et voracitatis attingit. In ſtatu ebrietatis homo tantum velut animal, non vt homo, tractandus videtur; cibos potusque ingurgitando fit, vt actionibus, quae alacritatem poſtulant ac deliberationem in vtendis viribus ad certum tempus impar videatur. — Sponte occurrit in oculos, contra officium erga te ipſum peccari, ſi in eiusmodi te ſtatum praecipites. Super illa harum vel infra naturam animalem, abiectionum frequenter potulentis fermentatis, ſed aliis quoque rebus ſenſum auferentibus, velut opio et aliis regni vegetabilis productis, efficitur, eo facile capit, quod iis ad tempus felicitas vacuitasque curarum ſomniata, atque etiam robur putatitium gignitur, ſed triſtitia atque imbecillitas, et, quod peſſimum eſt, neceſſitas huiusce remedii ſenſum pellentis repetendae, adeoque eius augendi, introducitur. Ac voracitas eatenus etiam infra illam oblectationem ſenſus animalem eſt, quod ea ſenſus ſolum vt qualitas paſſiua, et ne phantaſia quidem, quae tamen adhuc in luſu cogitationum *actiuo* cernitur, vti in ſuperiori illa fruitione accidit, occupatur; proinde ea quoque propius ad fruitionem belluinam accedit.

Quaeſtiones dubiae.

Num poteris, etſi non vt laudator, tamen ſaltem vt defenſor, vini vnum, ebrietati vicinum, concedere, quia tamen conuiuas ad loquacitatem animat, cum

eaque animum apertum coniungit? — Aut an ei adeo meritum tribui poteſt, illud promouendi, quod Seneca laudat de Catone: virtus eius incaluit mero? — Vſus opii vinique aduſti, vt inſtrumentorum fruitionis, proprius ad animi abiecti rationem accedunt, ſiquidem, praeter ſalubritatem ſomniatam, mutos reddit homines, reticentes atque incommunicabiles, inde quoque non niſi vt remedia medica licita ſunt. — Ecquis autem *modum* illi definire poteſt, qui in eo eſt, vt in ſtatum transeat, vbi ad *metiendum* oculi haud amplius valent? Itaque Mohammetanorum ratio, quae vino vti omnino vetat, peſſime in eo proſpexit, quod pro vino opium concederet.

Conuiuio, vt inuitationi ſolemni ad intemperantiam in vtroque fruitionis genere, tamen, praeter fruitionem mere phyſicam, etiam aliquid, quod finem moralem ſpectat, ineſt, nimirum vt multi homines diuque ad ſe mutuo communicandum vna ſint: nihilominus vero, cum eadem multitudo (ſi, quemadmodum Cheſterfeldius ait, numerum muſarum ſuperat) paruam modo ſui communicationem (cum iis, qui ſedent proximi) concedat, proinde inſtitutum illi fini repugnet, ea ſemper ad rationem ab moralitate alienam, nimirum ad intemperantiam, transgreſſionem officii erga nos ipſos commouemur; etiam nulla ratione habita incommodorum phyſicorum ex ingurgitandis cibis et potionibus, quae a medico fortaſſe tolli poſſunt. Quam late patet poteſtas moralis his inuitamentis ad intemperantiam obſequendi?

CAPVT SECVNDVM.

Officium hominis erga se ipsum, solum vt naturam moralem.

Ea vitiis mendacii, auaritiae et falsae modestiae (animo abiecto et seruili) opposita est.

I.

De mendacio.

§. 9.

Grauissima officii hominis erga se ipsum, solum vt naturae moralis spectati (humanitatis in persona illius) laesio contraria est veracitati, *mendacium* (cum aliud lingua promtum, aliud pectore inclusum gerimus). Vnam quamque falsitatem studiosam in cogitationibus suis declarandis hoc durum nomen (quod in doctrina iuris ea tantum idcirco gerit, quia ius alio-

rum laedit) in ethica, quae ex vacuitate detrimenti nullam potestatem facultatemque deriuat, non posse ab se amouere, per se planum videtur. Namque infamia (cum subiectus es contemtui morali), quae mendacium comitatur, comes etiam, velut vmbra corpus, sequitur mendacem. Mendacium vel externum esse potest vel internum. — Illo aliorum in oculis homo sese despiciendum praebet, hoc, quod grauius est, in suam ipsius contemtionem incurrit, dignitatemque humanitatis in propria persona sua violat: in quo quidem detrimentum, quod aliis hominibus inde enasci potest, haud peculiarem vitii naturam attingit (tum enim illud solum in laesione officii erga alios consisteret), nec proinde hoc loco eius ratio habetur, quin ne damni quidem, quod sibi ipsi adfert; tum enim solum, vt peccatum contra prudentiam, cum norma pragmatica, non vero cum morali pugnaret, neque omnino pro violatione officii accipi posset. — Men-

dacium cernitur in dignitate hominis abiicienda, quasique euertenda. Homo, qui ipse non credit, quod alii (etiamsi persona ficta foret) dicit; pretio est viliori etiam, quam si solum in rebus esset; namque vt ex rei qualitate percipi vtilitas possit, alius ea quodammodo vti potest, siquidem aliquid merum ea et actuale est datumque; communicatio cogitatorum cum aliquo, quae verbis fit, quibus contrarium continetur eorum (de industria) quae loquens in iis cogitat; finis est formae finali naturali facultatis cogitatorum communicandorum e regione oppositus, proinde resignatio personalitatis, visumque hominis solum illudens, non homo ipse. — *Veracitas* in declarandis cogitatis etiam *fides*, et, cum haec simul promissa sunt, *probitas*, omnino vera *sinceritas* adpellatur.

Nec vero opus est, vt mendacium (significatione vocabuli ethica) vt falsitas studiosa in genere, aliis *perniciosum* sit, quo reprobetur; tum enim illud in violando aliorum iure versaretur. Potest etiam leuitas animi vel adeo liberalitas, caussa eius esse, quin ipse finis reapse bonus eo spectari, tamen modus, quo illi indulgetur, per solam formam in crimine hominis est contra suam ipsius personam atque in prauitate, qua necessario sibi se ipse despiciendum homo reddit.

Actualitas multorum mendaciorum *internorum*, quorum se homines participes faciunt, facile probari potest, sed difficilius videtur, possibilitatem eorum explanari; siquidem altera persona quaedam ad id requiritur, quam animus est decipere, se ipsum autem de industria decipere pugnare videtur.

Homo vt natura moralis (homo noumenon) se ipso, vt natura physica (homine phaenomeno) non potest tamquam solo instrumento vti, quod ad finem internum (communicationem cogitatorum) non esset adstrictum, sed conditione conuenientiae cum declaratione illius superioris tenetur, erga se ipsum ad *veracitatem* obligatus. — Exempli gratia si fidem de iu-

Digitized by Google

dice hominum futuro mentitur, quamquam reuera nullam in se sentit, verum, dum sibi persuadet, posse tamen obesse, sed sane prodesse, vitalem in mente animorum scrutatori confiteatur, vt ad summum simulando eius gratiam sibi comparet. Aut, si de eo quidem non dubitat, sed tamen legis illius obseruantiam sibi internam mentitur, cum tamen nullum elaterem alium, quam metus poenarum, in se persentiscat.

Improbitas cernitur solum in defectu *religiositatis*, hoc est, puritatis confessionis coram iudice suo *interno*, qui vt persona quaedam altera cogitatur, hac summa seueritate sua considerata, vbi votum (ex amore sui ipsius) pro facto accipitur, quia finem per se bonum propositum habet, mendaciumque internum, quamquam officio hominis erga se ipsum contrarium, hic nomen induit imbecillitatis, quemadmodum voto amatoris in amica non nisi virtutes conspiciendi efficitur, vt naeui manifesti oculos eius fugiant. — Interim haec impuritas in declarationibus, quam erga se ipsum patrat, tamen digna est, quae seueriſſime reprehendatur: siquidem ex tali loco putrido (falsitate, quae in natura humana infixa videtur radicibus esse) ex pravitate falsitatis etiam ratione aliorum hominum serpit, principio veracitatis summo semel violato. —

Scholion.

Notabile est, in sacro codice primum crimen, quo prauitas in mundum irrepsit, non inde a *fratricidio* (Caini) sed a primo *mendacio* deriuari (quoniam contra illud sese natura mouet) auctoremque prauitatis vniuersae, mendacem ab initio patremque mendaciorum, adpellari; quamquam ratio propensionis huiusce hominum ad *simulationem* (*esprit fourbé*) quae tamen antegressa sit, necesse est, nullam amplius causſam iudicare potest; quandoquidem actus libertatis non potest (instar effecti physici) ex lege naturae con-

textus effecti et cauſſae illius, quae cuncta in viſis ſunt, deduci et explicari.

Quaeſtiones dubiae.

An falſitas per ſolam morum facilitatem (velut *ſeruus obſequioſiſſimus* in extrema epiſtola) poteſt pro mendacio haberi? Nemo ea re decipitur. — Auctor quidam lectorem interrogat: quid tibi de opere meo videtur? Poſſet quidem illuſione reſpondi, ita vt de interrogatione tali captioſa rideres: at cuinam ſales ſemper in promtu erunt? Minima reſponſionis cunctatio iamiam auctorem punget; an igitur licet, illius ad palatum loqui?

Atque in negotiis, vbi de re praeſente agitur, ſi falſum dixero, omniane mihi, quae inde conſecutura ſint, praeſtanda videbuntur? Veluti herus iuſſit, vt, certo quodam homine de ſe percontante, famulus ſe domi eſſe neget. Qui, dum iſtud facit, eo in cauſſa eſt, quod ille elapſus magnum crimen committit, quod alioquin a militibus ad eum deprehendendum miſſis impeditum foret. In quem hic culpa cadit (ex principiis ethicis)? Sane quoque in hunc famulum, qui hic officium erga ſe ipſum mendacio violauit; cuius nunc conſequentia ipſam per animi conſcientiam tribuuntur.

II.

De auaritia.

§. 10.

Hoc verbo non *auaritiam quaeſtuoſam* intelligo (amplificationem quaeſtus inſtrumentorum laute viuendi, vltra carceres neceſſitatis verae); quippe quae etiam vt ſola laeſio officii (benignitatis) erga *alios* ſpectari poteſt: neque *auaritiam parcam*, quae, ſi turpis eſt, *ſordida* adpellatur, ſed tamen ſolum poteſt in of-

ficiis humanitatis erga alios negligendis versari; verum contractionem *fruitionis propriae* instrumentorum bene viuendi infra modum verae necessitatis propriae, hanc ego hoc loco auaritiae rationem intelligo, officio *erga se ipsum* contrariam.

In quo vitio reprehendendo exemplum ostendi potest falsitatis omnium definitionum et virtutis et vitii per solum *gradum* et magnitudinem simulque inertia principii *Aristotelici* doceri; virtutem in via media inter duo vitia consistere.

Nimirum si inter prodigalitatem et auaritiam mediam ponerem rem familiarem bene administratam seu *frugalitatem*, haec vero medium deberet esse *gradus*: vitium in rationem (contrarie) oppositam, non aliter transiret, quam per *virtutem*, atque ita haec nihil aliud foret, quam vitium deminutum, vel potius euanescens sequereturque in casu praesenti; vt verum virtutis officium in abstinentia ab omni laute viuendi instrumento posita videretur.

Non *modus* sequendarum normarum moralium sed *principium* illarum obiectiuum, vt diuersum agnoscendum est et proponendum, si vitium debeat a virtute discerni. — Norma auaritiae *quaestuosae* (vt prodigi) haec est; vt omnia laute viuendi instrumenta *respectu fruitionis* et comparentur et seruentur. — Norma auaritiae *parcae* e contrario cum in quaerendis tum tuendis instrumentis omnibus laute viuendi, sed *sine fruitionis respectu* (hoc est, non vt haec, sed modo possessio spectetur).

Ergo criterium proprium huius posterioris vitii principium est possessionis instrumentorum ad varios fines, hoc tamen seruato, se nullo vti pro se velle, atque ita fruitione vitae dulci carere: id quod officio contra se ipsum respectu finis e diametro oppositum est. *)

*) Sententia: in nulla re ne quid nimis vel parum, inane voce sonat; nam idem per idem enuntiat. Quid

Ergo prodigalitas et auaritia parca non magnitudine quaſique gradu inuicem differunt, ſed ſpecie per normas oppoſitas.

Quaeſtiones dubiae.

Cum hoc loco tantum de officiis erga ſe ipſum ſermo ſit et auaritia (inſatiabilis cupido quaeſtus) ad profundendum, pariter atque auaritia ſordida, fundamento habeant *ſolipſiſmum*, vtraque vero et prodigalitas et auaritia parca idcirco ſolum reprobandae videantur, quia ad egeſtatem redeunt, in altero ad inopina-

nimium facere? Rſp. Plus quam prodest. Quid eſt: parum facere? Rſp. Haud minus facere, quam prodeſt. Quid eſt: *debeo* (aliquid facere vel omittere)? Rſp. Non *prodeſt* (contra officium eſt) *plus* minusue facere, quam prodeſt. Si haec ſapientia eſt, ad quam inueſtigandam nobis ad veteres (Ariſtotelem), tamquam eos, qui ſonti propiores eſſent, reuertendum ſit: virtus conſiſtit in medio; medium tenuere beati; eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines, quos vltra citraque nequit conſiſtere rectum, — malam optionem fecimus, quod ad oracula illorum confugimus. — Inter veracitatem et mendacium (vt contradictorie oppoſita) nullum medium eſt: ſed ſane inter animum apertum et tectum (vt contrarie oppoſita), cum in eo, qui ſententiam ſuam declarat, *omnia*, quae dicit, vera ſunt, is vero non *veritatem omnem* dicit. Sed iſtud non poteſt; ſiquidem amborum virtutis officiorum latitudo eſt adplicationis et vſus, et, quid faciendum ſit; non poteſt niſi a facultate iudicandi ex regulis prudentiae (pragmaticis) non vero moralibus, hoc eſt, non vt officium *ſtrictum*, verum tantum vt latum, disceptari. Vnde is, qui principia virtutis ſequitur, in iis obſeruandis quidem in exceſſu vel defectu poteſt contra prudentiam peccare, non vero in eo, quod his *principiis* ſtricte adhaeret, *vitium* committere, verſusque Horatii: inſani ſapiens nomen habeat aequus iniqui, *vltra quam ſatis eſt* virtutem ſi petat ipſam — ad verbum ſumtus, falſiſſimus videtur. Sapiens hic ſine dubio tantummodo *virum prudentem* denotat, qui non ſomniando cogitat perfectionem virtutis, quae, vt ideale adpropinquationem quidem ad hunc finem, non vero abſolutionem poſtulat, quippe quae poſtulatio vires humanas ſuperat, inſaniamque principio infert. Namque *nimium virtuti ſtudere*, hoc eſt, officio ſuo nimium adhaerere, idem foret circiter, quam orbem nimium rotundum, lineamue rectam nimiam rectam deſcribere.

Digitized by Google

tam, in altero ad voluntariam (vt velit tenuiter viuere), quaeritur: an vna pariter atque altera, omnino vitia, nec potius vtraque mera imprudentia dici debeant, proinde non prorſus extra terminos officii erga ſe ipſum poſitae videantur? Sed auaritia parca non modo parſimonia eſt perperam intellecta, ſed ſubmiſſio ſeruilis ſui ipſius ſub fortunas, ita vt earum poteſtatem haud habeat, id quod in violationem cadit officii erga ſe ipſum. Ea *liberalitati morali* animae ſententiae in genere (non liberalitati ſumtuoſae, quae non niſi adplicatio illius ad certum quemdam caſum ſingularem eſt), hoc eſt, principio vacuitatis ab omni re alia, praeterquam ab lege, oppoſita eſt, et defraudatio, quam homo erga ſe ipſum committit. At quaenam illa lex eſt, cuius legislator internus ipſe neſcit, vbi adhibendum ſit? Vtrum palato meo quidquam detrahere debeo, an modo ſumtui externo? in ſenectute, an iam in iuuentute? an parſimonia omnino in virtutibus videtur?

III.

De animo ratione abiecta et ſeruili.

§. 11.

Homo in ſyſtemate naturae (homo phaenomenon, animal rationale) natura eſt tenuis valoris, pretiumque cum animalibus reliquis, vt fundi productis, habet vulgare. Vel illud ipſum, quod his intelligentia praeſtat ſibique ipſe fines poteſt proponere, ei tamen tantummodo pretium vſus *externum* impertit, nimirum vnius hominis prae altero, hoc eſt, *pretium*, vt mercis, in commercio cum beſtiis, vt rebus, vbi tamen etiam nunc pretium habet tenuius, quam inſtrumentum permutationis commune, pecunia, cuius proinde pretium eminens adpellatur.

Sed homo ſpectatus vt *perſona*, hoc eſt, vt ſubiectum rationis moraliter practicae ſupra omne pre-

tium elatus eſt; namque vt homo noumenon non ſolum vt inſtrumentum ad fines aliorum, atque etiam ad ſuos proprios fines, verum vt finis per ſe ipſe aeſtimandus eſt, hoc eſt, *dignitate* (pretio abſoluto interno) vtitur, qua omnes naturas mundi ratione praeditas alias ad ſui *reuerentiam* cogit, cum quouis alio huiusce generis ſe comparare poteſt, et ſeſe aeſtimare aequalem.

Humanitas in perſona eius eſt id, quod reuerentiae ſubiectum eſt, quam a quouis homine alio poteſt poſtulare; qua vero quoque non poteſt ſeſe priuare. Et poteſt igitur et debet ad paruam pariter ac magnam menſuram ſeſe aeſtimare, prout ſe vt naturam ſenſitiuam (quoad naturam animalem) vel vt naturam intelligibilem (ſecundum initia ſua moralia) contemplatur. Cum vero ſe non ſolum vt perſonam generatim, verum etiam vt hominem, hoc eſt, vt perſonam officiis obligatam, ſibi a ſua ipſius ratione iniunctis, conſiderare debeat, nulla tenuitas vt *hominis animalis* conſcientiae dignitatis ſuae vt *hominis rationalis* quidquam detrahere poteſt, neque aeſtimationem ſui ipſius moralem reſpectu dignitatis ſuae debet abnegare, hoc eſt, finem ſuum, qui per ſe ipſe in officio eſt, non animo abiecto ac *ſeruili*, quaſi gratiam captans, quaerere debet, non dignitatem ſuam abnegare, verum ſemper cum conſcientia excellentiae initiorum ſuorum moralium (id quod conceptu virtutis iam inuoluitur) atque haec *ſui ipſius aeſtimatio* in officio eſt hominis erga ſe ipſum.

Conſcientia ſenſusque tenuitatis pretii ſui moralis *comparati cum lege* eſt *modeſtia* (humilitas moralis). Perſuaſio de magnitudine huiusce pretii ſui, ſed tantummodo per defectum comparationis cum lege dici *adrogantia moralis* poteſt. — Abdicatio ab omni poſtulatione vllius cuiuspiam pretii moralis ſui ipſius, per opinationem, ſe eo ipſo pretium ſibi commodatum adquirere, *humilitas ſpuria* videtur.

Humilitas comparata cum hominibus aliis (quia omnino cum vlla quadam natura finita, etiamſi vnus eſſet ex Seraphim) nullo prorſus in officio eſt; potiusque ſtudium in hac relatione alios ſeſe aequandi, eosve antecellendi, cum perſuaſione, te tibi eo etiam pretium internum comparare, eſt *ambitio*, quae officio erga alios recta contraria eſt. Sed deminutio pretii moralis proprii ſolum vt inſtrumentum, ad aucupandam gratiam alterius (quisquis ſit) excogitata (ſimulatio adſentatioque) eſt modeſtia falſa, atque vt dedignatio perſonalitatis officio erga ſe ipſum contraria.

Ex ſincera diligentique comparatione noſtra cum lege morali (eiusque ſanctitate et ſeueritate) neceſſario modeſtia (humilitas) vera ſequitur. Verum inde, quod eiusmodi legislationis internae participes ſumus, quod homo (phyſicus) hominem (moralem) in ſua ipſius perſona reuereri coactum ſe ſentiat, ſimul *eleuationem* ſummamque ſui ipſius aeſtimationem, vt tactum valoris ſui interni, ſecundum quem nullo pretio venalis eſt, dignitatemque internam poſſidet, quae illi reuerentiam erga ſe ipſum inſtillat.

§. 12.

Plus minusue hoc officium, reſpectu dignitatis humanitatis in nobis, proinde quoque erga nosmet ipſos, his exemplis poteſt depingi.

Ne ſeruos eſſe vos hominum patiamini; — ne patiamini ius veſtrum ab aliis inultum pedibus calcari — nulla nomina contrahite, quin ea praeſtetis. — Nolite beneficia accipere, quibus poſſitis ſuperſedere, neque paraſiti ſitis, vel adſentatores, atque etiam (qui ſane non niſi gradu ab illis differunt) mendici. Idcirco eſtote frugales, ne ad incitas redigamini. — Querelae et lamentationes, vel ſola exclamatio in corporis dolore iam perſona veſtra indignae ſunt, maxime, cum vobismet conſcii eſtis, vos eum vobis ipſos contraxiſſe: hinc nobilitatio (amolitio contumeliae) mortis male-

fici per conſtantiam qua moritur. — Proſtratio ad terram, ad ipſum cultum rerum caeleſtium eo ſibi ad ſenſum reuocandum, dignitati humanae contraria eſt, quemadmodum inuocatio illarum in ſignis praeſentibus; vos enim tum *ideali* ſubiicitis, quod vobis ratio veſtra proponit, ſed *idolo*, quod a vobis ipſis profectum eſt.

Quaeſtiones dubiae.

An non in homine ſenſus ſublimitatis deſtinationis, hoc eſt, *elationis animi* vt ſui ipſius aeſtimatio, cum *adrogantiae humilitate* morali e diametro oppoſitae, propius coniuncta eſt, quam vt vtile foret ad illam excitari; vel ſi cum aliis hominibus, non ſolum cum lege comparaueris? aut nonne hoc genus abnegationis ſui ipſius potius ſententiam aliorum vsque ad deſpicientiam perſonae noſtrae augeret, atque ita contra officium (reuerentiae) foret erga nos ipſos? Inclinatio corporis coram homine ſeruilis quouis tempore homine eſſe videtur indigna.

Declaratio reuerentiae praecipua in verbis modisque, vel erga eum in ſtatu ciuili, qui haud imperat, inclinationes corporis, locutiones aulicae, discrimen ordinum diligenti cura deſignantes — a ciuilitate morum (etiam ſeſe aequales habentibus neceſſaria) prorſus diuerſae, — nonne argumento ſunt propenſionis ad humilitatem ſeruilem in hominibus longe lateque diffuſae? (Hae nugae in ſeria ducunt). Is vero, qui vermem ſeſe efficit, poſtea non queri poteſt, ſe pedibus calcari.

Capitis poſterioris

SECTIO PRIOR.

De officio hominis erga ſe ipſum, vt iuditem de ſe ipſo ingenitum.

§. 13.

Quisque conceptus officii coactionem ex lege obiectiuam (vt imperatiuo morali libertatem noſtram

coercente) continet, pertinetque ad intelligentiam practicam, quae regulam praecipit: ſed *imputatio* facti interna, vt caſus legi obnoxii (immeriti aut demeriti) pertinet ad *iudicium*, quod, vt principium imputandae actionis, vtrum ea vt factum (actio legi ſubiecta) patrata ſit nec ne, valide iudicat; quo tum concluſio *rationis* (ſententia) ſequitur, hoc eſt, coniunctio effecti iuridici cum actione (condemnatio vel abſolutio): quae omnia fiunt coram *iudicio*, vt perſona morali legi efficacitatem impertiente, quod *forum* adpellatur. — Conſcientia *fori interni* in homine („coram quo eius cogitationes ſe inuicem accuſant vel excuſant") eſt *animi conſcientia*.

Quisque homo animi conſcientia vtitur, ſentitque ſeſe iudice interno obſeruatum, minisque perterrefactum atque omnino obſeruantia (reuerentia cum metu coniuncta) detentum, eaque poteſtas in eo leges cuſtodiens non eſt quidpiam ab ſe ipſo (voluntarie) *profectum*, ſed naturae eius inditum eſt. Haec illum ſequitur velut vmbra, cum fugam meditatur. Libidinibus quidem ac negotiis ſeſe obfirmare poteſt aut conſopire, non vero euitare, quin ſubinde ad ſeſe revocetur, aut expergiſcat, vbi ſtatim orationem eius terribilem percipit. In ſumma abiectione ſua eo ad ſummum peruenire poteſt, vt eam haud amplius curet, ſed tamen, quo minus eam *audiant*, impedire non poteſt.

Iam haec initia originaria, intellectualia et (quia in cogitatione officii verſantur moralia, quae *animi conſcientiam* dicimus), hoc in ſe ſingulare habent, vt, quamquam hoc illorum negotium hominis negotium eſt cum ſe ipſo, hic tamen ratione ſua ſeſe ſentiat coactum, illud tamquam iuſſu *alius cuiusdam perſonae* gerere. Nam negotium hic actio *cauſſae* eſt coram iudicio. Sed per animi ſui conſcientiam *accuſatum* cum iudice tamquam *vnam eamdemque perſonam* cogitari, modus cogitandi de foro abſurdus videtur; tum enim

Digitized by

accuſator ſemper cauſſa caderet. — Ergo animi conſcientiae hominis in omnibus officiis *alium* quempiam (quam hominem generatim) hoc eſt, quam ſe ipſum iudicem actionum ſuarum cogitare cogetur, niſi ſecum ipſa debeat pugnare. Hic alius perſona vera fuerit, aut ſolum idealis, quam ſibi ipſa ratio creat. *)

Eiusmodi perſonam idealem (indicem conſcientiae animi poteſtate indutum) ſcrutatorem animorum eſſe, neceſſe eſt; namque forum in *inteſtino* hominis conſtitutum eſt — ſed ſimul etiam *vniuerſos obligantem*, hoc eſt, eam perſonam, vel vt eam cogitandam, cuius reſpectu omnia omnino officia etiam vt praecepta illius conſideranda ſint; quoniam conſcientia animi iudex internus eſt actionum omnium liberarum. — — Cum igitur eiusmodi naturam moralem neceſſe ſit, omni poteſtate (in caelo terraque) gaudere, quandoquidem alias non poſſet (quod tamen ad iudicis munus neceſſario pertinet) legibus ſuis efficientiam iis conſentaneam impertire, talis vero natura moralis omnium

*) Duplex perſonalitas, in qua homo, in conſcientia ſeſe accuſans et iudicans, ſe ipſum cogitare debet; hoc duplex ipſe ego, partim coram carceribus fori, quod tamen illi ipſi creditum eſt, cogi tremebundam conſiſtere, partim vero munere iudicis per auctoritatem ingenitam ipſam defungi, opus habet illuſtratione, ne ratio cum ſe ipſa in pugnam incidat. — Ego, accuſator, ſed idem etiam accuſatus numero idem *homo* ſum, ſed, vt ſubiectum legislationis moralis, a libertatis conceptu proficiſcentis, vbi homo legi obnoxius eſt ſubiectusque, quem ſibi ipſe fert (homo noumenon), vt alias eſt, quam homo phaenomenon ratione ornatus (ſpecie diuerſus) ſed modo reſpectu practico, conſiderandus — nulla enim doctrina relationis cauſſalis eſt intelligibilium ad ſenſibilia — et haec diuerſitas ex ſpecie facultatum eſt hominis (ſuperiorum et inferiorum), quibus inſignitur ſuperior eſt accuſator, quem contra accuſato patronus cauſſae conceſſus eſt. Actis compoſitis iudex internus, vt perſona *poteſtatem tenens*, ſententiam de felicitate vel miſeria, vt conſequentiis facti moralibus pronuntiat; in qua quidem ratione huius potentiam (vt gubernatoris mundi) ratione noſtra haud longius poſſumus proſequi, ſed tantum abſolutum illud *iubeo vetoue* venerari.

rerum poteſtatem teneus *deus* dicatur: conſcientia animi, vt principium ſubiectiuum rationis de actionibus ſuis coram deo reddendae, cogitanda erit: quin conceptus poſterior (etſi tantum obſcure) in conſcientia illa ſui ipſius morali ſemper continebitur.

Sed haec non ita dicuntur, quaſi homo, per ideam, ad quam ab animi conſcientia neceſſario ducitur, iure gaudere, ſed multo minus per illam *obligatum* eſſe ad eiusmodi naturam ſupremam extra ſe *reapſe ſumendam*; neque enim ea illi *obiectiue* per rationem theoreticam, ſed ſolum *ſubiectiue* ratione practica ſe ipſam obligante ad illi conuenienter agendum, datur atque proponitur; et homo ope huius, ſed *ad analogiam* legislatoris omnium naturarum cosmicarum rationalium, ſolum inſtituitur religioſitatem (quae etiam religio dicitur) ſibi cogitatione informare vt rationem coram natura ſancta a nobis ipſis diuerſa, ſed tamen intime nobis praeſente (ratione moraliter legislatoria) eiusque voluntatem regulis iuſtitiae ſubiicere. Conceptus religionis in genere hic homini tantum principium eſt officiorum ſuorum omnium vt praeceptorum diuinorum diiudicandorum.

1) In cauſſa conſcientiam tangente homo conſcientiam *praemonentem* cogitat antequam conſilium ceperit; in quo ſumma *dubitatio* (ſcrupuloſitas), ſi de conceptu officii (ratione morali aliqua) agitur, in cauſſis, de quibus conſcientia ſola iudicat (in caſibus conſcientiae) non putidae minutiarum ſectationi (micrologiae) nec transgreſſionem veram pro peccatillo accipit, et (ex principio: minima non curat praetor) conſiliario conſcientia arbitratu pronuntianti committere poteſt. Vnde cuipiam conſcientiam *latam* tribuere idem eſt, atque eum *conſcientia* omni *vacare*.

2) Facto decreto conſtitutoque in conſcientia primo *accuſator* prodit, ſed ſimul cum eo *patronus cauſſae*; in quo quidem lis haud amice (per compoſi-

tionem amicabilem) componi, ſed ex rigore iuris dirimi debet; tum ſequitur

3) Sententia conſcientiae valida de homine vel *abſoluendo* vel *condemnando*, quae finem facit; in quo notandum eſt, illam numquam *praemium*, vt lucrum eius, quod antea non illius erat, decernere poſſe, ſed tantum *laetitiam* continere, quod periculo euaſerit, ne poenae obnoxius videretur, ideoque beatitatem, in ſolamine conſcientiae, non *poſitiuam* (gaudium), ſed tantum *negatiuam* (tranquillationem, anxietate antegreſſa) eſſe, quae virtuti, vt pugnae contra contagiones principii mali in homine, poſſit attribui.

SECTIO POSTERIOR.

De praecepto officiorum omnium erga ſe ipſum primo.

§. 14.

Hoc ſic ſe habet: *noſce* (perſcrutare, percontare) *te ipſum*, non ſecundum perfectionem phyſicam (vtilitatem vel inertiam ad varios tibi placentes vel etiam praeceptos fines), ſed ſecundum moralem, reſpectu officii tui — animum — rectus ſit prauusne, fons actionum tuarum purusne ſit an impurus, et quod, vel vt originarie ad hominis *ſubſtantiam* pertinens, vel, vt deriuatum (adquiſitum contractumue) illi ipſi imputari debeat, ad *ſtatum*que moralem pertineat.

Cognitio ſui ipſius moralis, quod profunda animi difficilius percontanda penetrare cupit, omnis ſapientiae humanae initium eſt. Haec enim, quae in conuenientia voluntatis naturae cuiusdam cum ſcopo verſatur, in homine inprimis indiget remotione impedimentorum internorum (voluntatis prauae in eo altis radicibus infixae), et tum explicatione initiorum

originariorum numquam perdendorum voluntatis in eo bonae, (non nisi descensus sui ipsius cognitionis ad inferos viam munit ad translationem in deos).

§. 15.

Haec cognitio sui ipsius moralis primo despicientiam sui ipsius vt hominis (vniuersi generis sui) *fanaticam* omnino eiiciet; siquidem ea secum ipsa pugnat. — Sane non nisi praestantissimis recti in nobis initiis, quibus homo dignus reuerentia redditur, fieri potest, vt hominem, qui contra illa agit, (se ipsum, non vero humanitatem in se) contemnendum iudicet. — Tum vero ea quoque aestimationi sui ipsius ex *amore sui* profectae resistit, qua fit, vt sola desideria, vt maxime grauissima et ardentissima, cum tamen factis vacua sint maneantque, pro argumentis recti animi habeantur (*preces* quoque tantum in desiderio versantur coram animorum scrutatore intus declarato). Aequitas animi in nobismet ipsis diiudicandis, comparatis cum lege et sinceritate in confidendo valore morali interna vel vilitate in officiis sunt erga se ipsum, quae ex primo illo cognitionis sui ipsius interno proxime consequuntur.

SECTIO EPISODICA.

De amphibolia conceptuum reflexionis moralium: in eo, quod officium hominis erga se ipsum est, pro officio erga alios habendo.

§. 16.

Si secundum solam rationem iudicemus, videbimus, hominis nullum praeterea officium esse, quam solum erga hominem (se ipsum vel alium); siquidem officium erga vllum subiectum quodpiam cernitur in coactione morali per huiusce voluntatem. Subiectum cogens (obligans) proinde primo esse *persona* debet,

deinde haec perſona, neceſſe eſt, vt tamquam res experientiae ſubiecta data ſit; quoniam homo finem voluntati eorum propoſitum agendo ſpectare debet, quod non poteſt niſi in adfectione duarum naturarum exſtantium ad ſe inuicem fieri (neque enim merum ens rationis fieri non *cauſſa* poteſt vllius cuiuspiam euenti ſecundum fines). Atqui, per vniuerſam experientiam noſtram, nullam naturam aliam nouimus, quae particeps obligationis (actiuae vel paſſiue) foret, quam ſolum hominem. Ergo nullum alias hominis officium erga vllam quamdam naturam habere poteſt, quam ſolum erga hominem, et, ſi tamen tale ſibi officium eſſe putauerit, vitio iſtud fiet *amphiboliae conceptuum reflexionis* officiumque eius erga alias naturas putatitium ſolum in officio cernitur erga ſe ipſum; ad quem quidem errorem eo abripitur, quod officium ſuum *reſpectu* aliarum naturarum cum officio *erga* hasce naturas permutat.

Sed hoc officium putatitium ad res *perſona vacuas*, aut, perſonales quidem ſed prorſus *adſpectui inacceſſas* (ſenſibus externis haud proponendas) referri poteſt. — Illae ſuperiores (*extrahumanae*) ſola naturae materia, vel pars naturae ad propagationem organis ornata, ſed ſenſu vacua, aut ſenſu arbitrioque praedita (metalla, plantae, animalia) eſſe poſſunt: hae poſteriores (*ſuprahumanae*) vt naturae ſpirituoſae (genii, deus) queunt cogitari. — An inter naturas vtriusque generis et homines relatio officii, et quaenam locum habeat? nunc quidem quaeritur.

§. 17.

Reſpectu *pulcri* in natura rerum quamquam vita vacui ſpiritus deſtructionis officio hominis erga ſe ipſum aduerſatur; quoniam illum ſenſum in homine debilitat aut exſtinguit, qui per ſe ſolum quidem non iam moralis eſt, ſed tamen illum ſenſualitatis tenorem, quo moralitas admodum iuuatur, certe praeparat, ni

mirum vt quidpiam, etiam nulla vtilitatis ratione habita ametur (velut cryſtallifationes pulcrae, mira pulcritudo regni vegetabilis).

Reſpectu partis rerum creataram viuae, quamquam ratione deſtitutae, officium abstinentiae a beſtiis violenter itemque crudeliter tractandis officio hominis erga ſe ipſum longe vehementius contrarium eſt, ſiquidem eo ſenſus ex cruciatibus illarum in homine obtunditur, eoque initia phyſica moralitatis, in relatione ad alios homines ſaluberrima debilitatur et pedetentim exſtinguitur; quamquam penes hominem eſt, eas celeriter (ſine cruciatu) occidere, easque ad laborem, ſi modo non vltra vires cogantur, adigere; cum e contrario experimenta phyſica doloroſa, in ſolam gratiam contemplationis abominanda videantur.— Ipſe gratus animus pro miniſterio diu praeſtito vetuli equi canisue (quaſi in domeſticis ſint) *indirecte* in hominis officio eſt, nimirum reſpectu harum beſtiarum, ſed *directe* ſpectatum ſemper non niſi officium eſt hominis *erga* ſe ipſum.

§. 18.

Ratione eorum, quae prorſus terminos ſuperant experientiae noſtrae, ſed tamen quoad poſſibilitatem in ideis noſtris inueniuntur, velut ideae de deo pariter etiam nobis officium eſt, quod *officium religionis* vocatur, quippe „cognitionis officiorum noſtrorum omnium inſtar praeceptorum diuinorum.“ Id quod autem non in conſcientia officii *erga deum* verſatur. Etenim, cum haec idea tota ex propria ratione noſtra proficiſcatur, a nobisque ipſis, ſiue reſpectu theoretico, ad formam finalem in vniuerſitate rerum explicandam, ſiue etiam, vt nobis elateri ſit actionum noſtrarum, *conſtituatur*, in eo non naturam datam habemus, *erga* quam nobis obligatio incumberet: tum enim eius exiſtentia primo deberet per experientiam probata (patefacta) eſſe; verum in officio eſt hominis erga ſe

ipſum, vt hanc ideam rationi neceſſario obuiam ad legem moralem in nobis, vbi ſumma fecunditate morali eſt, transferat. Hoc igitur ſenſu *(practico)* ſic ſe habere illud poteſt: religio in officio hominis eſt erga ſe ipſum.

OFFICIORUM ERGA SE IPSUM

LIBER POSTERIOR.

DE

OFFICIIS HOMINIS ERGA SE IPSUM (RESPECTU FINIS EI PROPOSITI) PERFECTIS.

SECTIO PRIOR.

De officio erga ſe ipſum in perfectione phyſica euoluendo atque augendo, hoc eſt, reſpectu pragmatico.

§. 19.

Cultura virium phyſicarum (et ſpiritus et animi et corporis), vt inſtrumentum variorum finium poſſibilium, in officio hominis eſt erga ſe ipſum. — Homo ſibi ipſi (vt naturae rationique) hoc debet, vt initia naturae facultatesque quibus ratio aliquando vti poſſit, non patiatur otioſa eſſe, quaſique rubigine abſumi, ſed, etiamſi cum modo naturali facultatis ſuae pro neceſſitatibus phyſicis eſſe contentus queat, tamen hoc ipſum illi ratio principiis indicare debet, quia, vt natura particeps finium (res ſibi proponendi) eſt, vſum virium ſuarum non ſolum inſtinctui naturae, ſed libertati, qua illum modum definit, ferre acceptum debet. Itaque non eſt reſpectus *commodi*, quod cultura facultatis ſuae (ad fines varios) largiri poteſt; hoc enim for-

taſſe (ex principiis Ruſſauicis) ruditati neceſſitatis naturae ſalutariter eueniret; verum praeceptum eſt rationis moraliter practicae *officium*que hominis erga ſe ipſum, vt facultates ſuas (in iisque vnam magis quam alteram pro diuerſitate finium ſuorum) colat, reſpectuque pragmatico homo ſit fini exſiſtentiae ſuae conſentaneus.

Vires ſpiritus illae ſunt, quae non poſſunt niſi per rationem exſeri. Quae quidem facultatem creandi habent, quatenus eorum vſus haud ex experientia hauritur, ſed ex anticipatione ex principiis deriuatur. Cuiusmodi ſunt matheſis, logica et metaphyſica naturae, quae duae poſteriores etiam ad philoſophiam, nimirum theoreticam referuntur, quae tum quidem non, vti verbum ſonat, doctrinam ſapientiae, ſed tantum ſcientiam denotat, ſed tamen ſuperiori ad finem eius conducere poteſt.

Vires animae illae ſunt, quae praeſto ſunt intelligentiae regulaeque, qua ad impetrandos fines, qui ſibi placent, vtitur, atque eatenus ad filum experientiae ducuntur. Cuiusmodi memoria eſt, phantaſia, et quae ſunt generis eiusdem, in quibus eruditio, guſtusque (exornatioque et interna et externa) et id genus alia conſtitui poſſunt, quae ad fines varios inſtrumenta miniſtrant.

Tandem cultura *virium corporis* (gymnaſtica propria) cura eſt eorum, quibus *materia* hominis continetur, ſine qua fines hominis haud impetrarentur; proinde ſtudioſa animatio animalis in homine perpetua in officio hominis eſt erga ſe ipſum.

§. 20.

Quam harum perfectionum phyſicarum *potiſſimum*, atque in qua proportione, cum ſe inuicem comparatarum, vt ſibi pro fine conſtituat in officio hominis erga ſe ipſum ſit, deliberationi illorum propriae reſpectu certi cuiusdam vitae generis eligendi, virium-

que eius ad illud neceſſariarum explorationi relinquitur (velut vtrum opificium quoddam ſequatur, an mercaturam, an doctrinam). Nam, ne de neceſſitate dicam ſe ipſum ſeruandi tuendique, quae per ſe nullum poteſt officium conſtituere, in officio eſt hominis erga ſe ipſum membrum mundi vt vtile ſit, quoniam hoc et ad valorem humanitatis in ſua ipſius perſona pertinet, quam ideo non debet dedignari.

Officium autem hominis erga ſe ipſum ratione perfectionis *phyſica* tantummodo officium *latum* eſt atque imperfectum: ſiquidem legem normis quidem actionum continet, ſed ratione ipſarum actionum, quoad genus earum gradumque nihil quidquam definit, verum libero arbitrio longitudinem concedit.

SECTIO POSTERIOR.

De officio erga ſe ipſum in perfectione moràli augenda, hoc eſt, reſpectu ſolum morali.

§. 21.

Quod *primo*, ſubiectiue, in *puritate* moràli cernitur: cum ſcilicet, etiam nullis adiunctis finibus ab ſenſualitate depromtis, lex per ſe ſola in elateribus eſt, actionesque non ſolum officio conuenienter, verum etiam *ex officio* fiunt. — Quo in loco praeceptum hoc eſt: „eſtote ſancti.“ Deinde, obiectiue, reſpectu finis moralis vniuerſi, qui perfectionem, hoc eſt, vniuerſum officium abſolutionemque attinet finis moralis reſpectu ſui ipſius, ſic praecipitur: „eſtote perfecti,“ ad quem ſcopum vero adſpirare in homine non eſt niſi ab *vna* perfectione ad alteram ſemper progredi, „ſi qua virtus eſt, ſi qua laus, illi ſtudete.“

§. 22.

Atque hoc officium erga ſe ipſum quoad qualitatem *ſtrictum* eſt et perfectum, quamquam quoad mag-

nitudinem et *gradum* latum atque imperfectum, idque propter *fragilitatem* humanae naturae,

Ea quippe perfectio, ad quam *conari*, non vero quam *adsequi* (hac in vita) in officio est, cuius proinde obseruatio non potest nisi in progressu continuo consistere, respectu rei subiectae (ideae, quam exsequendam nobis proponere debemus), in officio stricte quidem ac perfecto cernitur, sed *ratione* subiecti in officio erga se ipsum lato atque imperfecto.

Voragines animi humani profunditate immensa sunt. .. Ecquis satis sese nosci, elatere ad faciendum officio sensu percepto, vtrum is totus ex cogitatione legis proficiscatur, annon multa incitamenta animalia alia in communionem agendi veniant, quae commodum (vel detrimenti depulsionem) spectent, aliaque occasione fortasse etiam vitio inseruire possint. — Ac ratione perfectionis vt finis moralis, in idea quidem (obiectiue) non nisi *vna* virtus (vt robur morale normarum), re autem vera copia illarum naturae dissimilis, in quibus fieri nequiret, vtne vlla quaedam ratio inhonesta (quamquam propter illas nomen vitii haud solet gerere) inueniretur, si eam velis anquirere. Summa virtutum autem, quarum plenum numerum mancumue cognitio sui ipsius nobis non concedit satis inspicere, nullum officium aliud potest, quam imperfectum illud, vt perfectus sis, constituere.

* * *

Ergo omnia officia erga se ipsum respectu finis humanitati propositi in propria persona nostra tantummodo officia sunt imperfecta.

DOCTRINAE ETHICAE ELEMENTARIS

PARS POSTERIOR.

DE OFFICIIS VIRTUTIS ERGA ALIOS.

CAPUT PRIMUM.

DE OFFICIIS ERGA ALIOS, SOLVM VT HOMINES.

SECTIO PRIOR.

De officio amoris erga homines alios.

Descriptio.

§. 23.

Suprema partitio haec esse potest: in officia erga alios, quatenus iis faciendis eos simul obligas, et in ea, quorum obseruationem obligatio aliorum non sequitur. — Praestatio illa superior (respectu aliorum) *meritoria* est; alterius generis officium *debitum* est. — *Amor* et *reuerentia* in motibus animi sunt, qui praestationem horum officiorum comitantur. Separatim (quisque pro se solo) possunt considerari et sic etiam consistere. (*Amor* alterius etiamsi hic parum *reuerentiae* meruerit; item reuerentia necessaria erga vnum quemque hominem, quamuis vix amore dignus iudicaretur). Sunt ea vero reapse secundum legem semper inuicem in officio coniuncta; sed ita, vt modo vnum officium, modo alterum prinpium in subiecto constituat; ad quod alterum accedendo iunctum videtur. — Si erga pauperem ad beneficentiam obligatos nos iudicabimus; sed, quoniam hacce gratia quoque efficitur, vt salus

illius ex magnanimitate mea pendeat, quae tamen alterum deprimit, in officio eſt, vt ei, cui beneficium tribuo ratione, quae hanc beneficentiam vel tamquam merum debitum, vel exiguum amoris munus depingat, parcam, eique reuerentiam ſui ipſius tuear.

§. 24.

Cum de legibus officii (non de legibus phyſicis) ſermo eſt, et quidem in relatione hominum ad ſe invicem externa, tum nosmet in mundo ſpectamus morali (intelligibili), in quo ſecundum analogiam phyſici, coniunctio naturarum ratione vtentium (in terra) *attractione* et *repulſione* efficiatur. Vi principii *mutui amoris* homines iubentur ad ſe inuicem perpetuo *adpropinquare*, ſed ope principii *reuerentiae* ſibi inuicem debitae, ab ſe inuicem *abhorrere*, et, ſi vna magnarum illarum virium moralium nutaret; „tum nihilum (immoralitas) rictu aperto vniuerſum naturarum (moralium) regnum, velut guttam aquae abſorberet“ (ſi hoc loco verbis *Halleri*, ſed alio reſpectu, vti liceat).

§. 25.

Sed *amor* hoc loco non tamquam *tactus* (aeſthetice), hoc eſt, vt voluptas ex perfectione aliorum hominum, neque vt amor *complacentiae* intelligitur (ſiquidem vt tactibus moueare, nulla per alios obligatione poteris obſtringi), verum vt norma *beniuolentiae* (practice) cogitari debet, quam beneficentia ſequatur,

Idem de *reuerentia* aliis praeſtanda dicendum videtur: nimirum non ſolum *tactum* ex *valore* noſtro proprio cum alterius valore comparato (qualem natus erga parentes, diſcipulus erga magiſtrum, omnino-que inferior erga ſuperiorem per meram conſuetudinem ſentit), ſed tantum *normam* aeſtimationis noſtri ipſius, per dignitatem humanitatis in perſona alte-

rius circumſcribendae, proinde reuerentiam ſenſu practico (obſeruantiam aliis praeſtandam) intelligi.

Iam vero officium reuerentiae erga alios liberae, quoniam proprie tantum negatiua eſt, (ne te ſuper alios efferas) atque ita officio iuris, ne de ſuo cuique quidquam detrahas, ſimile, quamquam vt ſolum virtutis officium relate ad officium amoris pro *ſtricto*, hoc vero poſterius pro *lato* officio habetur.

Amoris erga alios officium proinde quoque ſic enuntiari poteſt: illum verſari in officio aliorum *fines* (quatenus hi non contra moralitatem ſint) in meos conuertendi; officium reuerentiae alterius in norma ineſt, vt nullum alium hominem ſolum vti inſtrumentum ad fines meos dedigner (vtne poſtulem, vt alter ſe ipſe abiiciat, quo fini meo inſeruiatur).

Eo, vt illud ſuperius officium erga quempiam faciam, ſimul alium obſtringo; bene de illo mereor. Sed hoc poſteriori faciendo ſolum memet ipſum obſtringo, carceribus memet contineo, ne alteri quidpiam valoris, quem in ſe ipſo ponendi poteſtatem habet, detraham.

De officio amoris ſpeciatim.

§. 26.

Amor hominum (*Φιλανθρωπία*), quoniam hic vt practicus, proinde haud vt amor complacentiae in hominibus cogitatur, in beneuolentia actiua ponendus eſt, ideoque normam attingit actionum. — Is, qui ex ſalute hominum, quatenus eos ſolum vt tales conſiderat, voluptatem capit, cum cuique alii bene eſt, *amicus hominum* (*Φιλάνθρωπος*) generatim adpellatur. Is, cui bene eſt, cum aliis male eſt, *oſor hominum* (*μισάνθρωπος* ſenſu practico) vocatur. Is, cuius nihil intereſt, quomodo aliis euenerit, ſi modo ſibi bene

euoniat, is *ſane ſui ſtudioſus* (ſolipſiſta) eſt. — Is autem, qui homines fugit, eo quod nullam ex illis percipere *complacentiam* poteſt, quamquam omnibus *bene cupit*, poſſet *homines verens* (μισάνθρωπος, aeſthetieus) eiusque auerſio ab hominibus ἀνθρωπωφοβία nuncupari.

§. 27.

Norma beniuolentiae (Φιλανθρωπία practica) omnibus hominibus in officio eſt erga ſe inuicem; ſiue digni iudicentur amore, ſiue minus, ſecundum legem ethicam perfectionis: amato alterum hominem tamquam te ipſum. — Omnis enim relatio ad homines moraliter practica cernitur in adfectione illorum in repraeſentatione rationis purae, hoc eſt, actionum liberarum ſecundum normas, ad legiſlationem vniuerſalem habiles atque idoneas, quae proinde nequeunt ex nimio ſui ſtudio (ſolipſismo) proficiſci. Cuiusque alius beniuolentiam erga me cupio; itaque etiam debeo cuique alii bene velle. Cum vero omnes *alii* praeter me haud *omnes* ſint, nec proinde norma vniuerſalitatem legis in ſe haberet, quae tamen ad obligationem neceſſaria eſt; lex officii de beniuolentia memet vt rem ei ſubiectam in praecepto rationis practicae ſimul comprehendet: non, quaſi eo obſtringerer, ad memet ipſum amandum (quippe quod iam neceſſario fit, cuiusque proinde nulla obligatio eſt), ſed ratio legislatoria, in idea ſua generatim vniuerſam ſpeciem (proinde memet etiam) comprehendit, non vero homo, vt legislatoria memet in officio beniuolentiae mutuae ex principio aequalitatis omnes alios iuxta me ſimul comprehendit, et *concedit* tibi, vt tibimet ipſi bene cupias, hac conditione, vt tu quoque cuiuis alii bene cupias; ſiquidem hoc ſolum modo norma tua (beneficentiae) ad legiſlationem vniuerſalem habilis eſt atque idonea, in qua quippe omnis lex officii conſtituta eſt.

§. 28.

Iam beniuolentia in amore hominum vniuerſali quoad *ambitum* quidem maxima eſt, ſecundum magnitudinem autem quaſique *gradum* minima, et cum memet dico in communionem venire ſalutis huiusce hominis tantummodo per hominum amorem vniuerſalem, inuitamentum, quod ibi capio, minimum eſt, quod fieri poſſit. Reſpectu eius tantummodo non praebeo memet medium.

Sed tamen altero alter mihi propior eſt, et ego in bene volendo mihimet ipſi proximus ſum. Quomodo igitur iſtud conuenit cum formula: amato *alterum* (hominem) tamquam te ipſum? Quodſi vnus mihi propior ſit (in officio beniuolentiae) altero, ego proinde ad beniuolentiam maiorem erga vnum quam erga alterum obſtrictus ſim, mihique memet fatear (quoad officium ipſum) quouis alio propiorem, non poſſum, vti videtur, niſi mihimet ipſi repugnem, dicere, ego quemuis hominem amare debeo tamquam me ipſum; neque enim amoris ſui ipſius modus vllum graduum discrimen concederet. — Sed mox intelligitur: hoc loco non ſolum beniuolentiam *deſiderii*, quae proprie in ſola oblectatione ex alius cuiusque ſalute verſatur, vt ipſe nihil quidpiam opus habeam ad eam conferre (pro ſe quisque; deus pro nobis omnibus), verum beniuolentiam practicam actuoſam, in ſalute alterius ſibi pro *fine* proponendo (beneficentiam), indicari. Optando enim omnibus queo *aequaliter* bene cupere, ſed agendo gradus, pro diuerſitate dilectorum (quorum alter altero mihi propior eſt), vniverſalitate normae illaeſa, tamen admodum differre poteſt.

Digitized by Google

DIVISIO OFFICIORUM AMORIS.

Haec ſunt: A) officia *beneficentiae*, B) *grati animi*, C) *communionis*.

A.

De officio beneficentiae.

§. 29.

Sibimet ipſi bene facere, quantum neceſſe ſit, vt modo voluptatem e vita capias (corpus, ſed non vsque ad mollitiem curare) ad officia pertinet erga ſe ipſum; quorum contrarium eſt: fruitione oblectationum vitae ad vitam hilariter degendam neceſſaria per *auaritiam* (ad morem ſeruorum) vel per *diſciplinam* propenſionum naturalium putidam, inſane ſe priuare, quod vtrumque officio hominis erga ſe ipſum repugnat.

Sed quomodo, praeter *beniuolentiam* voti ac deſiderii reſpectu aliorum hominum (in qua nihil quidquam ſumtuum facimus), etiam, vt haec practica ſit, hoc eſt, *beneficentiam* ratione indigentium a quouis homine, cui facultates ad eam ſuppetunt, inſtar officii poſtulare poſſumus? — Beniuolentia cernitur in oblectatione ex felicitate (ſalute) aliorum; ſed beneficentia verſatur in norma, eam ſibi pro fine proponendi, eiusque officium conſiſtit in coactione ſubiecti per rationem ad hanc normam pro lege vniuerſali accipiendam.

Haud ſponte in oculos incurrit: eiusmodi legem generatim in ratione ineſſe; potiusque norma: „pro ſe quisque, deus (fatuus) pro nobis omnibus," naturae conuenientiſſima videtur.

§. 30.

Benefacere, hoc eſt, alios homines in anguſtiis, quantum in te eſt, ſine ſpe lucri, ad felicitatem iuuare, cuique homini in officio eſt.

Nam quisque homo, qui in anguſtiis verſatur, cupit ab aliis ſeſe hominibus iuuari. Sin vero normam ſuam, aliis haud item in anguſtiis opem ferendi, diuulgaret, hoc eſt, eam in legem permiſſiuam converteret vniuerſalem: illi, ſi ipſe in anguſtiis verſetur, quisque pariter opem ſuam negaret, vel certe eius negandae poteſtatem haberet. Ergo norma, a nimio ſui ipſius ſtudio profecta, ſi pro lege vniuerſali accipiatur, ſecum ipſa pugnat, id eſt, officio contraria eſt, proinde officium hominum vniuerſa, communi vtilitati inſeruiens beneficentiae erga egentes, et quidem propterea, quod vt homines iuxta nos, hoc eſt, egentes, in domicilio ad adiutorium mutuum conciliatae naturae rationales ſpectandae videntur.

§. 31.

Beneficentia illi, qui *diues* eſt (*inſtrumentis* ad felicitatem aliorum abundat, id eſt, plus, quam ipſi opus eſt, poſſidet) a benefactore ne in officio quidem meritorio habenda eſt; quamquam ea ſimul alium obſtringit. Voluptas, quam ea re ſibi ipſe creat, qua nullam iacturam facit, eſt quaedam ratio motibus animi moralibus luxuriandi. — Omnis item illi ſpecies, quaſi ea alterum ſibi cogitaret obſtringere, diligenter fugienda eſt; quoniam alias beneficium foret, idcirco quia declararet, illi ſe obligationem velle imponere (quae hunc in ipſis oculis ſuis deminuit). Potius ſe, vt beneficio ab altero accepto ipſum obligatum, vel cohoneſtatum, proinde officium ſolum vt debitum, oportebit, declaret, niſi (quod melius eſt) beneficia ſua collocat in ſecreta. — Maior haec virtus eſt, cum facultates benefaciendi contractae anguſtius ſunt, et benefactoris animus ſatis fortis eſt ad mala, quibus

alios liberat, tacite in se suscipienda, vbi tum reapse moraliter *diues* iudicandus videtur.

Quaestiones dubiae.

Quousque sumtus facultatum in benefaciendo faciendus est? An vsque eo, vt postremo ipse aliorum beneficentia indigeas? Quantum eius beneficii pretium est, quod manu frigida (in mortis articulo per testamentum) collocatur? — An is, qui potestatem superiorem per legem prouincialem exercet, cui *libertatem* adimit felicitatis ex suo ingenio eligendae (subdito praedii hereditario), an, inquam, hic tamquam euergetam, considerare potest, si ex *suis* propriis de felicitate cogitationibus illi instar patris prospicit? An non potius iniustitia hominem libertate priuandi iuris officio generatim adeo repugnat, vt qui hac lege sese spe fretus beneficentiae domini sponte tradiderit, humanitatem pessime abiiceret, et summa domini cura erga hunc nulla omnino beneficentia videretur? An forte meritum huiusce tantum esse potest, vt eo ius hominum praeponderetur? — Nemini ex *meis* de felicitate cogitationibus benefacere possum (nisi impuberibus ac turbatis), verum ex *illius* sententis, cui beneficium tribuere cogito, cum donum ei obtrudo.

Facultas benefaciendi, ex bonis fortunae apta, maximam partem fructus est fauoris, quo varii homines per iniustitiam regiminis, in aequalitatem fortunae introducentis, qua aliorum beneficentia necessaria efficitur. An hoc rerum statu auxilium, quod diues fert egeno, omnino dignum est nomine beneficentiae, de qua homines tam lubenter quasi de merito gloriantur et iactant?

Digitized by Google

B.

De officio grati animi.

Gratus animus cernitur in *colenda* persona quadam ob beneficium in nos collocatum. Sensus cum isto iudicio coniunctus est sensus reuerentiae erga (nos obligantem) beneficum, cum hic e contrario erga eum, cui beneficium tribuit, tantum vt in adfectione amoris spectetur. — Ipsa sola *beniuolentia* ex animi sententia profecta, alterius, sine effectis physicis, digna est nomine officii virtutis; quae tum discrimen constituit, inter animum gratum *actiuum* et solum ex *adfectu animi* profectum.

§. 32.

Animus gratus in officio est, hoc est, non solum in *normis prudentiae*, obligatione mea ob beneficentiam mihi tributam declaranda, ad alium, vt plura in me beneficia eroget, adducendum (gratiarum actio est ad plus dandum inuitatio); in eo enim hoc vtor solum tamquam instrumento ad fines alios mihi propositos; verum is cernitur in coactione proxima per legem moralem, hoc est, in officio est.

Sed gratus animus etiam singulatim vt officium *sanctum*, id est, tale, spectandus est, cuius violatione elater moralis ad benefaciendum in principio ipso exstingui posset (vt exemplum pernicioſum). Namque sancta ea res moralis est, cuius respectu obligatio nullo actu potest ei conuenienter deleri (in quo obligatus etiam nunc manet obligationi subiectus). Quaeuis alia in officio *vulgari* est. Sed nulla remuneratione accepti officii scribi syngrapha potest; siquidem is, qui accepit, laudem meriti, quae ad eum pertinet, qui dedit, scilicet quod primus in benefaciendo fuerit, huic numquam potest eripere. — Verum, etiam sine actu eiusmodi (beneficentiae) ipsa sola beniuolentia ex

animi ſententia profecta iam ſatis cauſſa eſt obligationis ad animum gratum. — Eiusmodi gratus animus *beneficii memor* dicitur.

§. 33.

Ac animi quidem grati ratio tam *late* patet, vt non ſolum ea ad aequales, verum etiam ad maiores, ipſosque eos, quos certo non poſſumus nominare, pertineat. Id quod etiam in cauſſa eſt, cur indecorum habeatur, veteres, qui poſſunt vt noſtri praeceptores ſpectari, non, quoad eius fieri poſſit, contra omnes impetus criminationesque et contemtionem defendere; in quo vero ſtultus error eſt eorum, qui iis propter vetuſtatem principatum adfingunt dotum ingenii voluntatemque bonam prae recentioribus, quaſi mundus perfectione originaria ſecundum leges naturae perpetuo decreſceret, et recentiſſima quaeque e contrario deſpiciunt.

Quod vero *intenſionem* attinet, hoc eſt, rationem obligationis ad hanc virtutem, ea pro vtilitate, quam obligatus ex beneficio percepit, et libertate, qua illud ei tributum eſt, taxanda videtur. Gradus minimus eſt, *paria* officia benefactori, qui ea (adhuc viuus) accipere poteſt, ſin minus, aliis praeſtare: beneficium acceptum haud inſtar oneris ſpectare, quo lubenter cuperes ſuperſedere (is quidem qui ſic beneficio adfectus gradum fautore ſuo inferior ſtat, cuius eo ambitio offenditur): ſed ipſam illius anſam inſtar beneficii accipere, hoc eſt, vt occaſionem oblatam, hanc virtutem *Φιλανθρωπίας*, quae, cum *vehementia* mentis beniuolae coniuncta, beniuolentiae *ſubtilitas* eſt (attentio ad gradum illius minimum in cogitatione officii) copulanda eſt atque ita *Φιλανθρωπία* excolenda.

C.

In communionem venire et laetitiae aliorum et aegritudinis omnino in officio eſt.

Participatio et *laetitiae alterius* et *doloris* (ſympathia moralis) cernitur quidem in tactu animali voluptatis taediiue (idcirco aeſthetice vocandae) ex ſtatu tum voluptatis aliorum tum doloris, cuius facultatem iam natura homini indidit. Vt ea vero inſtar inſtrumenti ad promouendam beniuolentiam efficacem rationique congruam vtare, etiam in officio ſingulari eſt, quamuis tantum hypothetico, quod nomine venit *humanitatis*; ſiquidem ibi homo non ſolum vt natura ratioque, verum etiam vt animal ratione praeditum ſub contemplationem cadit. Haec igitur in *facultate voluntateque ſenſa* ſecum inuicem *communicandi* (humanitate practica) vel ſolum in facultate ſenſum voluptatis dolorisue *in ſe recipiente* (humanitate aeſthetica), quam natura ipſa impertit, poni poteſt. Illa *libera* eſt, atque idcirco *communio* ſentiendi liberalis adpellatur: altera *non libera* eſt, et *communio* ſentiendi illiberalis ſiue ſeruilis (velut caloris morborumque graſſantium contagio) dici poteſt; ſiquidem in hominibus iuxta ſe inuicem conniuentibus natura ſerpit. Tantummodo ſuperioris illius obligatio eſt.

Sublimis cogitandi ratio *ſapientis* erat, qualem Stoicus mente ſibi informabat, cum eum ſic faciebat loquentem: amicum deſidero, non qui mihi egeno, aegrotoue et captiuo opem ferat, verum vt illi opitulari queam hominemque ſeruare; et tamen idem ſapiens, cum amicus ſeruari non poteſt, ſecum ipſe ſic loquitur: quid hoc ad me? nimirum communionem doloris reprobauit.

Ac profecto, cum, alio quodam adflicto, dolore eius, cui tamen mederi nequeo, memet etiam (phan-

tasiae ope) tangi patior, duo se male habent; quamquam malum proprie (in rerum natura) tantum pertinet ad vnum. Sed fieri non potest, vt in officio sit, mala in mundo augere, nec proinde ex *societate doloris* benefacere; vti quoque istud beneficentiae genus iniurium foret, propterea quod beniuolentiam declarat, quae spectat indignum et *misericordia* dicitur, in hominibus, quibus sane de dignitate felicitatis perfruendae sua haud gloriandum est, neque erga se inuicem minime deberet inueniri.

§. 35.

Quamquam autem in communionem venire doloris aliorum (atque ita quoque laetitiae) per se non in officio est, tamen participatio sortis illorum in officio est, sympathiam naturalem (aestheticam) in nobis excolere, eaque, tamquam instrumento ad participandum ex principiis moralibus tactuue illi conueniente vti. — Sic in officio est, loca, vbi egeni sunt, quibus summae necessitates desunt, haud fugere, sed ea potius anquirere, non a cubiculis aegrotantium, vel a carceribus debitorum et sic porro recedere, vt sympathiam, qua nequeas supersedere, effugias; siquidem ea in incitamentis est nobis ab natura inditis, ad ea facienda, quae cogitatio officii per se sola neutiquam effectura foret.

Quaestiones dubiae.

Annon omnino melius de salute mundi actum foret, si vniuersa moralitas hominum tantum ad officia iuris, sed summa religione, reuocaretur, beniuolentia vera ad adiaphora referretur? Haud facile perspici potest, quae inde ad hominum felicitatem redundatura forent. Sed tum tamen, permagnum mundi ornamentum, nimirum *φιλανθρωπία* desideraretur,

qua proinde per ſe, etiam non ſupputatis (felicitatis) commodis, opus eſt, ad mundum vt pulcrum quoddam totum morale in vniuerſa perfectione exhibendum.

Animus gratus proprie non in amore cernitur benefactori ab obligato retribuendo, verum in *reuerentia* erga illum. Etenim amori erga alios et poteſt et debet aequalitas officiorum fundamenti ſubſterni; ſed in animo grato obligatus gradu eſt inferior collocatus benefactore. Annon hoc ſaepenumero in cauſſis fuerit animi ingrati, quippe faſtus, quo alterum te videas ſuperiorem; ſcilicet indignatio, quo nequeas te illi (reſpectu relationum officii) facere aequalem?

DE VITIIS MISANTHROPIAE PHILANTHROPIAE CONTRARIE OPPOSITIS.

§. 36.

Haec vitia deteſtanda et *liuoris* et *animi ingrati* et *laetitiae ex detrimento aliorum ratione* conſiſtunt. — Sed odium in his non apertum eſt nec violentum, ſed teſtum et obuelatum, ſed quod ad obliuionem officiorum erga alterum etiam animum abiectum addit, atque ita officium erga ſe ipſum laedit.

a) *Liuor*, vt propenſio ad ſalutem aliorum cum dolore animaduertendam, quamuis ea nihil illi quidpiam detrahatur; qui, cum ad factum (ad ſalutem illius minuendam) venit, *liuor habilis*, alias vero tantum *inuidentia* dicitur, tamen non niſi in animi ſententia indirecte praua verſatur, nimirum in indignatione de noſtra ipſorum ſalute per ſalutem aliorum obſcurata conſpicienda, quoniam eius menſuram non ex valore illius interno, ſed modo ex comparatione cum ſalute aliorum aeſtimare poſſumus, neque aeſtimationem eam

ad ſenſus reuocare. — Inde etiam fere de concordia et felicitate matrimonii, aut familia *inuidenda* loquimur, quaſi quibusdam temporibus liceret alicui inuidere. Ergo commotiones liuoris in natura hominis inſunt, nec niſi erumpendo ille in vitium turpiſſimum perpeſſionis animi triſtis, ſe ipſum excruciantis, euerſionem fortunae aliorum, certe quoad deſiderium, ſpectantis, proinde officio hominis erga ſe ipſum pariter atque erga alios contrarius eſt.

b) *Animus ingratus* erga benefactorem, qui, ſi eo vsque progreditur, vt benefactorem odio perſequare, *ratio ingrati animi habilis*, alias autem ſolum *animus beneficiorum immemor* adpellatur, communi omnium iudicio vitium eſt maxime abominandum, nihilominus homo tantum de eo in rumorem abiit, vt a vero haud abhorrere putetur, beneficiis te collatis poſſe fortaſſe tibi inimicum parare. — Cauſſa, vnde fieri poteſt, vt eiusmodi vitium exſiſtat, ineſt in officio erga ſe ipſum perperam intellecto, non beneficentia aliorum, quia nobis obligationem erga illos imponit, non indulgere nec eam prouocare, verum potius vitae moleſtias ipſos ferre, quam alios iis onerare, proinde iis apud illos nomina (obligationem) contrahere, quoniam veremur, ne ea re in gradum clientis inferiorem erga patronum deiiciamur; id quod aeſtimationi ſui ipſius verae (vt de dignitate in perſona tua ipſius ſuperbias) aduerſatur. Ex quo animus gratus erga eos, qui nobis in benefaciendo praeuenire *neceſſario* cogebantur, erga maiores in memoria eorum vſurpanda, vel erga parentes, liberaliter, ſed erga aequales tantum parce, quia, vt haec relatio inaequalitatis euaneſcat, vel adeo ingratus declaratur. — Quod vero tum vitium eſt humanitatem turbans, non ſolum propter *damnum*, quod omnino neceſſe eſt, eiusmodi exemplo hominibus adferri, quod ab vlteriori beneficentia deterrentur (hi enim cum animi ſententia vere morali in omni tali mercede contemnenda eo maiorem valo-

rem moralem internum ponere poſſunt); verum quia amor hominum ibi quaſi in caput praecipitatur, defectusque amoris in poteſtatem, amantem odio habendi, deprauatur.

c) Nec vero *laetitia ex aliorum detrimento*, quae ratio ipſa inuerſa participationis eſt, humanae naturae aliena videtur; quamquam, ſi eo vsque proceſſerit, vt malum prauumue ipſa promoueat, vt *laetitia ex damno aliorum habilis* odium hominum ſub adſpectum ſubiicit atque facie truculenta prodit. Vt ſalutem tuam ipſamque probitatem vehementius perſentiſcas, cum aduerſitates lapſusque aliorum in offendiculum, quaſi folia gemmis, noſtrae ipſius ſaluti ſubiiciuntur, vt huius eo clarior ſplendor reddatur, ſane ex legibus phantaſiae, ſcilicet contrarii, in natura rerum conſtitutum videtur. Verum vt de *enormitatibus* huiusmodi vniuerſam humani generis ſalutem euertentibus proxime laetemur, proinde eiusmodi euenta etiam optemus, occulto hominum odio, amori aliorum ipſo contrario, qui nobis in officio eſt, efficitur. — *Inſolentia* alio rum in ſalute perpetua et *adrogantia* in vita bene agenda (ſed proprie tantum, quod forte fortuna ad vitia publica nondum abrepti ſumus) quam ſibi vtramque homo ſui ſtudioſus laudi tribuit, hanc laetitiam hoſtilem pariunt, officio ex principio participationis (Chremetis ſinceri apud Terentium) „homo ſum; humani nihil a me alienum puto“ ipſam contrariam.

Huius laetitiae ex damnis aliorum dulciſſima, et praeterea cum ſpecie ſummi iuris, atque etiam obligationis ſummae (vt cupiditatis iuris) damnum aliorum, etiam ſine proprio commodo inde percipiendo, ſibi pro fine proponere, eſt *vlciſcendi cupiditas*.

Vnum quodque factum ius hominis laedens dignum eſt quod puniatur; quo crimen in facinoroſo

vindicetur, (non ſolum damnum illatum reſarciatur). Atqui poena non in actu cernitur auctoritatis priuatae offenſi, ſed fori ab eo diuerſi, qui legibus *ſuperioris* de vniuerſis illi ſubiectis vim impertit atque efficacitatem, et, cum homines (vti in ethica neceſſe eſt) in ſtatu iuridico, ſed ſecundum *ſolas leges rationis* (non vero ciuiles) conſideramus, tum nemini poteſtas eſt poenas decernendi offenſamque ab hominibus acceptam vlciſcendi, quam is, qui etiam ſummus eſt legislator inpremus, atque hic ſolus (nimirum deus) dicere poteſt: „vindicta mea eſt; ego vindicabo.“ Ergo in officio virtutis eſt, vt non ſolum ipſe, ſolum per vltionem hoſtilitatem aliorum ne odio retribuas, ſed ne ipſum quidem mundi iudicem ad vlciſcendum prouoces; partim quia homo iam ſatis culpae propriae ſuſtinet, quo veniae ipſe maxime indigeat, partim et quidem potiſſimum, quoniam nulla poena a nemine, qualis ille cumque ſit, odio decerni licet. — Inde *placabilitas* in officio hominum eſt; cum qua tamen *mitis iniuriarum patientia* non eſt miſcenda, vt renuntiatio adiumentorum rigoroſorum, quo offenſioni aliorum continuitae caueatur; id quod abiectio iurium noſtrorum foret ſub pedes aliorum, laeſioque officii hominis erga ſe ipſum.

Scholion.

Omnia vitia, quibus ipſa natura humana odio digna efficeretur, ſi (vt habilem) in ſignificatione principiorum ſumſeris, *inhumana* ſunt, obiectiue ſpectata, ſed tamen *humana*, ſubiectiue conſiderata, hoc eſt, pro eo, atque experientia genus noſtrum nobis oſtendit. Licet igitur quaedam illorum per vehementiam abominationis *diabolica* duxeris, quemadmodum eorum contrarium dici *virtus angelica* poſſet: tamen vterque conceptus non niſi in ideis verſatur maximi, vt menſura ad comparandum moralitatis gradum cogi-

tati, dum homini locum in *ſuperis* adſignamus aut in *inferis*, quamuis illum haud naturam mediam, quae nec vnum iſtorum locorum neque alterum occupet, faciamus. An *Hallerus* in ſuo „ambigua res media ex angelis et brutis," rem melius tetigerit, in medio relinquamus. Sed dimidiatio in rebus comparandis diſſimilibus ad nullum conceptum definitum ducimur, atque ad hunc nos nihil quidquam poteſt in ordine naturarum ſecundum earum discrimen claſſium nobis ignotum perducere. Superior comparatio (virtutis angelicae et vitii diabolici) iuſto nimia eſt. Altera, etſi homines, proh dolor! etiam in vitia *belluina* incidunt, tamen haud copiam facit illis initia eorum ad *ſpeciem illorum neceſſaria* tribuendi, perinde atque ratio contorta quarumdam arborum in ſyluanulla cauſſa eſt, cur eas ad peculiarem quamdam plantarum ſpeciem referas.

SECTIO POSTERIOR.

De officiis virtutis erga alios homines propter reuerentiam illis debitam.

§. 37.

Moderatio in poſtulando in genere, hoc eſt, voluntaria amoris ſui ipſius circumſcriptio per amorem proprium aliorum, dicitur *modeſtia*. Defectus *huius moderationis* (immodeſtia) reſpectu dignitatis, vt ab aliis *ameris*, cernitur in *philautia*. Sed immodeſtia in poſtulando, vt alii te *reuereantur*, *adrogantia* adpellatur. *Reuerentia*, qua erga alium adfectus ſum, vel quam alius poteſt a me poſtulare, proinde cernitur in agnoſcenda in aliis hominibus *dignitate*, hoc eſt, valore, cuius nullum pretium eſt, pro quo res aeſtimio ſubiecta poſſit permutari. — Iudicium de re vt tali, cuius nullus valor ſit, eſt *deſpicientia*.

§. 38.

Quisque homo iure poteſt obſeruantiam ab alio homine poſtulare, et *mutuo* ad eam quoque aliis tribuendam tenetur obſtrictus.

Humanitas ipſa eſt quaedam dignitas; neque enim ab vllo homine homo (nec ab aliis nec adeo ab ſe ipſo) ſolum vt inſtrumentum poteſt, ſed ſemper ſimul vt finis debet vſurpari, in eoque ipſo dignitas eius (perſonalitas) conſiſtit, qua vniuerſis naturis cosmicis aliis, quae non homines ſunt, et tamen vſurpari poſſunt, proinde rebus omnibus ſuperior eſt. Quemadmodum igitur ſe ipſum nullo prorſus pretio alienare poteſt (id quod cum officio aeſtimii ſui ipſius pugnaret), ſic quoque contra aeſtimium ſui ipſius aliorum, vt hominum, pariter neceſſarium agere poteſt, hoc eſt, obſtrictus eſt ad dignitatem humanitatis in quouis alio homine practice agnoſcendam, proinde illi incumbit officium, quod obſeruantiam attingit cuique alio homini neceſſario tribuendam.

§. 39.

Alios *contemnere*, hoc eſt, obſeruantiam homini generatim debitam iis recuſare, vtique contra officium eſt; quippe qui homines ſunt. Vt eos cum aliis comparatos intus *deſpicatui habeas*, nonnumquam quidem euitari haud poteſt, ſed declaratio deſpicatus externa tamen offenſio eſt. — Quod *periculoſum* eſt, id non eſt obnoxium deſpicatui, nec proinde homo vitioſus; et, cum ex ratione impetu illius ſuperiori iure dicere poſſum illum contemno, tum iſtud ita dicitur, ac ſi nihil quidquam pericliter, etiam ſi nullam omnino contra illum defenſionem parem, quoniam ſe ipſe in prauitate ſua oſtendit. Nihilo tamen ſecius ipſo vitioſo vt homini non omnem poſſum obſeruantiam recuſare, quae illi ſaltem vt homini eripi non poteſt;

Digitized by Google

licet facinore illa se indignum reddiderit. Sic esse poenae possunt probrosae, ipsamque humanitatem dehonestantes (veluti truncatio in quatuor partes, laniatio per canes, praecisio narium auriumque) quae non solum honesto (qui, quod cuique faciendum est, aliorum obseruantiam postulat) acerbiores sunt iactura bonorum et vitae, verum etiam spectatori ruborem extorquent, eo quod ad genus se pertinere videt, quod sic tractari liceat.

Scholion.

Atque in eo nititur officium obseruantiae erga hominem vel in vsu logico rationis suae: ne peccata illorum nomine absurditatis, sententiae absonae et sic porro reprehendamus, sed potius supponamus, in iis tamen quidpiam inesse veri oportere, idque expiscamur; sed praeterea quoque speciem fallacem (rationem subiectiuam momentorum iudicandi determinantium, quae per errorem pro obiectiua habita est) aperiamus, atque ita, dum errandi possibilitatem docemus, illi adhuc obseruantiam erga eius intelligentiam seruemus. Namque si aduersario in certo quodam iudicio verbis illi omnem mentem abnegaueris, quibus tandem argumentis illum de errore poteris convincere? — Pariter cum opprobrio vitii comparatum est, quod numquam debet ad despicientiam plenam abnegationemque omnis valoris moralis vitiosi hominis peruenire; siquidem, ex hac hypothesi, etiam numquam corrigi posset; quod non potest cum idea hominis, qui, vt talis (vt natura moralis), numquam potest vniuersa boni initia perdere, conciliari.

§. 40.

Obseruantia erga legem, quae subiectiue vt tactus moralis notatur, eadem est cum conscientia sui

officii. Ob eam ipſam cauſſam etiam declaratio obſervantiae coram homine vt natura morali (officium ſuum maximi aeſtimante) ipſa in officio eſt, quae aliis erga illum incumbit, et ius, a quo ſeſe non poteſt abdicare. — Hoc ius dicitur *amor honoris*, cuius viſum in actione externa, *honeſtas externa*, et peccatum contra eam *offendiculum* ſeu ſcandalum adpellatur: exemplum neglectus illius, quod alios ad imitandum raperet; quod *offerre* maxime quidem contra officium eſt, quod vero ſolum in paradoxo ac mirabili, per ſe alioquin bono, accipere, opinio eſt (cum inuſitatum etiam illicitum putatur) et error virtuti periculoſus et noxius. — Quandoquidem obſeruantia erga homines alios debita exemplo praeeuntes, non poteſt in imitationem caecam (cum mos ad dignitatem legis euehitur) degenerare; quippe quae tyrannis moris, popularis contra officium foret hominis erga ſe ipſum.

§. 41.

Omiſſio ſolorum officiorum amoris dicitur *peccatum*. Sed omiſſio officii, ex *obſeruantia* erga quemque hominem in genere debita proficiſcentis, *vitium* eſt. Neglecto enim officio illo ſuperiori nemo homo offenditur; ſed hoc altero omittendo homini de iuſto iure ſuo detrahitur. — Transgreſſio ſuperior *contrarie virtutis oppoſitum* eſt. Quod vero non ſolum nullum additamentum morale eſt, verum adeo valorem eius, quod alioquin ſubiecto prodeſſet, tollit, in *vitio* verſatur.

Atque ob hanc ipſam cauſſam etiam officia erga homines alios per obſeruantiam illis debitam non nisi negatiue enuntiantur, hoc eſt, iſtud officium virtutis tantummodo indirecte (interdicto contrario) enuntietur.

DE VITIIS OFFICIUM OBSERVANTIAE ERGA ALIOS HOMINES LAEDENTIBUS.

Haec vitia ſunt: A. *Superbia*, B. *obtrectatio*, et C. *illaſio*.

A.

Superbia.

§. 42.

Superbia eſt genus *ambitionis*, quo ab aliis hominibus, vt ſe ipſos nobiscum collatos deſpicatui habeant, poſtulamus ideoque in vitio verſatur cum obſeruantia, quam quisque homo iure ſuo poſtulare poteſt, pugnante.

Ea differt ab *animo elato*, vt *ambitione*, hoc eſt, cura de dignitate humanitatis ſua reſpectu aliorum nihil quodquam concedendi (quae propterea verbo *ingenuae* ſolet notari); namque ſuperbia ab aliis obſeruantiam poſtulat, quam illis tum recuſat. — Verum hic ipſe animus elatus in vitium incidit atque offenſam, ſi etiam ab aliis poſtulet, vt de grauitate ſua occupentur.

Superbiam, quae quaſi in ſtudio ambitioſi de conquirendis pediſſequis verſatur, et quos contemtim tractandi ſeſe poteſtatem habere putat, *iniuſtam* eſſe, et cum obſeruantia hominibus generatim debita pugnare, eam *ſtultam* eſſe, hoc eſt, vanam in vtendis inſtrumentis ad quidpiam, quod certo quodam reſpectu neutiquam eum valorem habet, quo vt finis ſit, efficitur, quin adeo *inſanam*, ſcilicet in vtendis eiusmodi inſtrumentis, quibus, neceſſe eſt, ipſum finis illius contrarium enaſci, (namque ſuperbo quisque eo magis obſeruantiam ſuam recuſat, quo vehementius eam expetit) — haec omnia per ſe manifeſta ſunt. Minus tamen animaduerſum fuerit, ſuperbum ſemper reapſe animo

Digitized by Google

abiecto et *humili* esse. Neque enim ab aliis postularet, vt se ipsos cum sese collatos despicatui haberent, nisi in se persentisceret, se, rebus secundis mutatis, non durum iudicaturum fore, etiam abiicere ab omnique aliorum obseruantia se abdicare.

B.

Obtrectatio.

§. 43.

Obtrectatio, in qua non *calumniam* (contumeliam), famam *falsam*, in ius vocandum, sed solum propensionem proximam, nullum finem singularem spectantem intelligo, quidpiam obseruantiae erga alios perniciosum diuulgandi, obseruantiae aliis hominibus debitae generatim contraria est; quia quodque scandalum oblatum hanc obseruantiam, in qua tamen incitamentum ad bonum morale nititur, debilitat, et, quantum fieri potest, fidem eorum minuit.

Studiosa eorum *propalatio*, quae honori alterius detrahunt, quae etiam haud pertinent ad iurisdictionem publicam, etiamsi vera sint, cernitur in obseruantia erga humanitatem in genere minuenda, vt denique ad ipsum genus nostrum naeuus humanitatis spargatur, et misanthropia seu contemtio obtineat, aut tactus moralis frequentiori illius adspectu obtundatur, ad eamque adsuefias. Ergo in officio virtutis est, pro voluptate maligna ex aperiendis aliorum peccatis, quo nobis aliorum de nobis bonis, saltem non peioribus, quam omnes homines reliqui, iudicium seruemus, velum humanitatis, non solum temperandis sententiis nostris de aliorum peccatis, verum etiam reticendis obducere; siquidem exemplis obseruantiae, ab aliis nobis propositis, etiam conatus excitari potest eam pariter merendi. — Atque idcirco insania mores aliorum explorandi (*ἀλλοτριοεπισκοπία*) etiam per se ipsa iam curiositas noscendorum hominum iniuria videtur, cui quisque iure tamquam violationi obseruantiae sibi debitae sese opponere potest.

C.

Illuſio.

§. 44.

Inſania petulans reprehendendi propenſioque alios riſui exponendi, *inſania irridendi*, vt peccatis aliorum proxime oblecteris, malitia eſt, atque a *ioco*, familiaritatis inter amicos, ea modo per ſpeciem vt peccata, re autem vera vt laudes animi, nonnumquam etiam quaſi in deſuetudinem abierint, ridendi, (quod tum nulla *irriſio* eſt), prorſus diuerſa videtur. Vera peccata autem, vel, quaſi vera ſint, ficta, quibus propoſitum eſt, hominem obſeruantia merita priuari, riſui exponere, propenſioque ad iſtud, inſania irridendi *acerba* (ſpiritus cauſticus) aliquid laetitiae in ſeſe habet diabolicae, atque ob eam ipſam cauſſam violatio eſt durior officii obſeruantiae erga homines alios.

Ab hac tamen differt iocoſa, quamquam illudens inſultationum aduerſarii iniuriarum cum contemtione retorſio, qua irriſor (omninoue aduerſarius de aliorum damno laetus ſed infirmus) pariter irridetur, et iuſta obſeruantiae, quam ab illo poſtulare poteſt, defenſio. Sin vero res haud ingenio faceto ſubiecta ſit, ſed ita comparata, vt ratio ex ea neceſſario oblectamentum morale capiat, tum, etiamſi maxime aduerſarius cauillatus fuerit, ſed ſe ipſum quoque ridendum in eo praebuerit, et dignitati rei et obſeruantiae erga humanitatem conuenientius eſt, inſultationi vel nullam omnino defenſionem opponere, vel cum dignitate grauitateque.

Scholion.

Animaduertes, titulo antecedente non tam virtutes commendari, quam potius vitia illis contraria reprehendi; id quod vero iam in conceptu obſeruantiae ineſt, vti ad eam erga alios homines praeſtandam obſtricti ſumus, quae tantummodo eſt in officio *negatiuo*.—

Digitized by Google

Neque enim obſtrictus teneor ad alios (ſolum vt homines conſideratos) *colendos*, hoc eſt, ad obſeruantiam illis *poſitiuam* tribuendam. Omnis reuerentia, ad quam natura obligatus ſum, eſt reuerentia legis in genere, et ad hanc non vero alios homines generatim reuerendum, aut in eo quidpiam illos praeſtare, officium hominis erga alios vniuerſale eſt et abſolutum, quod, vt obſeruantia illis originarie debita, a quouis poſtulari poteſt.

Reuerentia aliis praeſtanda pro varietate qualitatis hominum, vel relationum fortuitarum, nimirum annorum, ſexus, originis, roboris vel imbecillitatis, vel adeo ordinis ac dignitatis, partim in inſtitutis arbitrariis poſitarum, varia, in elementis ethices *metaphyſicis* non debet ſuſe proponi nec ſecundum claſſes deſcribi, cum hic tantum de puris illius rationis principiis agatur.

CAPUT POSTERIUS.

DE OFFICIIS HOMINUM ERGA HOMINES ETHICIS RESPECTU STATUS ILLORUM.

§. 45.

Haec officia virtutis in ethica pura non quidem anſam dare poſſunt peculiari cuiusdam capitis in eius ſyſtemate; quippe quae non continent principia hominum qua talium erga ſe inuicem obligandorum, nec proinde proprie poſſunt *partem* conſtituere elementorum ethices *metaphyſicorum*, verum tantummodo in regulis verſantur principii virtutis (ſecundum formale) ad caſus in experientia obuios (quoad materiale) *transferendi*, pro diuerſitate ſubiectorum conſtitutis, qua de cauſſa ea quoque, quemadmodum omnes diuiſiones empiricae, nullam certam plenamque ſecundum claſſes

deſcriptionem concedunt. Interim, quemadmodum a metaphyſica naturae transitus ad phyſicam, ex peculiaribus regulis, poſtulatur: ſic etiam a metaphyſica morum iure idem poſtulatur: nimirum vt, principiis rationis puris ad caſus experientiae transferendis, illa quaſi *ſchematibus* ſubiiciantur ad vſumque moraliter practicum parata proponantur. — Quae igitur ratio erga homines, velut in puritate ſtatus morali eorum, vel prauitate; quae in ſtatu exculto et perpolito, aut rudi atque inculto; quae doctis indoctisue, illisque in vtenda ſcientia ſua vt humanis (perpolitis) aut in ſuo genere moroſis (paedagogis) pragmaticisque, aut magis animam guſtumque ſpectantibus; quae, pro varietate ordinum, annorum, ſexus, valetudinis, opulentiae, vel paupertatis, et ſic porro, competant: ea non ſunt tam varia *obligationis* ethicae *genera* (namque non niſi *vna* eſt, nimirum virtutis in genere) ſed modo genera *vſus* (poriſmata); quae proinde non, velut ſectiones ethicae membraque ſyſtematis *deſcribendi* (quod ex anticipatione ex conceptu rationis proficiſci oportet) proponi poſſunt ſed tantum adnecti. — Sed hic vſus ipſe ad plenam illius exhibitionem pertinet.

CONCLUSIO DOCTRINAE ELEMENTARIS.

DE CONIUNCTIONE ARCTISSIMA AMORIS CUM REVERENTIA IN AMICITIA.

§. 46.

Amicitia (ſi conſideretur perfecta omnibusque numeris abſoluta) cernitur in coniunctione duorum hominum

per parem amorem mutuum ac reuerentiam. — Facile intelligitur, eam in ideali quodam versari veniendi in communionem salutis vnius cuiusque horum per voluntatem bonam moralem coniunctorum, et, etiamsi haud vniuersam vitae felicitatem efficiat, ideali illo in vtriusque mentem recipiendo dignitatem continere felicitatis perfruendae, proinde amicitiam in hominibus in officio illorum esse. — Sed amicitiam solam ideam (sed tamen practice necessariam) esse, ad vsum quidem eam transferendam inaccessam, sed tamen eo coneris (tamquam ad quiddam maximum mentis ergа se inuicem bonae) in officio esse, haud fere vulgari, sed honorifico, ab ratione praecepto, facile perspectu est. Etenim qui fieri potest, vt homo, respectu alterius, *aequalitatem* vnius ex partibus eiusdem officii ad eam rem necessariis (velut beniuolentiae mutuae) cum eadem mente in altero aperiat, multo magis autem, quae ratio sit, sensus ex vno officio ad sensum alterius (exempli gratia beniuolentiae ad sensum obseruantiae) in eadem persona, et annon, vna in *amore* ardentior, eo ipso quidpiam de *reuerentia* alterius perdat, ita vt vtriusque et amor et reuerentia subiectiue difficulter possint ad proportionem aequilibrii reuocari; quod tamen ad amicitiam opus videtur? — Ille enim vt attractio potest, haec vt repulsio considerari, et si principium superioris adpropinquationem iubet, alterius postulat, vt ab se inuicem rite abhorreant, quae circumscriptio familiaritatis, enuntiata per regulam: ne etiam homines amicissimos se inuicem *familiariter* vtantur, normam continet; quae non solum superiori ergа inferiorem, verum etiam vice versa praecipit. Namque superior inopinato ambitionem suam sentit offendi, reuerentiamque inferioris fere ad temporis punctum suspensam cupit, non vero sublatam, quae vero, cum semel laesa est, intus aeternum amissa est; etiamsi significatio eius externa rursum instauretur.

Amicitiam puram siue perfectam, quae (Orestem inter et Pyladem, Theseum et Pyrithoum) locum ha-

bere poſſit, ſcriptores fabularum Romanenſium crepare ſolent; ſed Ariſtoteles, o amici, ait, nullus amicus inuenitur! Quaedam monenda videntur, quibus attentio poſſit ad difficultates illius conuerti.

Quodſi moraliter rem conſideres, ſane in officio erit, vt amicus amico peccata aperiat; eo enim ſaluti eius conſulitur, id quod proinde in officio amoris eſt. Verum alter ipſe in eo defectum reuerentiae animadvertit, quam ex illo exſpectaſſet, et quidem, ſeſe iam iacturam reuerentiae feciſſe, aut, cum ab altero ſemper obſeruetur ac clanculum iudicetur, perpetuo metui debet, ne illius iacturam faciat; vti hoc ipſum, *quod* obſeruari debeat et reprehendi, ſibi iam per ſe offenſa videbitur.

Amicus in re incerta, quam deſideratus eſt (ſcilicet ſi amicus ſit actuoſus, ſuis tibi ſumtibus opitulans)! Sed tamen magnum onus eſt, ad aliorum ſeſe fortunam adſtrictum alienaque neceſſitate oneratum ſentire. — Ergo amicitia non poteſt in coniunctione verſari mutuum commodum ſpectante, ſed haec, neceſſe eſt, vt moralis pura ſit, nec adiutorium, quod cuique ex ambobus ab altero in re incerta exſpectare certo licet, non vt finis et ratio ad eam determinans, — quippe reuerentiam alterius perderet — intelligi debet, ſed tantum vt ſignificatio externa beniuolentiae internae ex animi ſententia profectae, neque tamen tentamini, quippe quod ſemper anceps eſt, ſubiicienda; propterea quod quisque fortiter alterum hoc onere leuandum, illudque in ſe recipiendum, quin prorſus illum celandum cupit, ſed tamen praeterea ſemper ſperare poteſt, fore, vt certo poſſit in rebus aduerſis alterius opem exſpectare. Quodſi autem alter ab altero *beneficium* accipit, tum ſane fortaſſe poteſt aequalitatem amoris, non vero reuerentiae exſpectare: nam manifeſto ſe gradu conſpicit inferiorem conſtitutum vt ſcilicet obligatus ſit, nec vero mutuo obligari poſſit. — Amicitia, praeter dulcedinem ſenſus poſſeſſionis mutuae vsque eo progredientis vt vnus quaſi ex

duobus fiat, ſimul tamen quaedam *teneritas*, adeo, vt, ſi eam in tactibus poſueris, nec huic communioni deditionique communi principia ſubieceris regulasue, quibus, ne in familiaritatem nimiam abeat, caueatur, amorque mutuus poſtulanda reuerentia circumſcribatur, ne momentum quidem temporis tuta eſt, quin *interrumpatur*; quod in hominibus incultis ſolet accidere, quamuis quidem idcirco haud fere ſemper *diſcindantur* (plebs enim fuſtibus ſe mutuo caedere ſolet et deinceps in gratiam redire); ſe inuicem mittere nequeant; nec tamen etiam inuicem concordia iungi, quia rixatio ipſa iis neceſſaria eſt, ad dulcedinem concordiae in reconciliando ſentiendam. — Nec vero vllo modo amor in amicitia poteſt *adfectu animi* continueri; quippe qui in eligendo caecus eſt et in continuando euaporat quaſi et ſenſim euaneſcit.

§. 47.

Amicitia moralis (vt diſtinguatur ab aeſthetica) cernitur in fiducia plena duorum hominum in ſecretis ſententiis ſenſisque animi mutuo aperiendis, quatenus cum reuerentia erga ſe inuicem mutua poteſt conſiſtere.

Homo natura eſt ſocietati deſtinata (quamquam tamen etiam a coetu aliena), in ſtatuque ſociali excolendo maxime in ſeſe neceſſitatem perſentiſcit, aliis ſe *aperiendi* (vel nulla re in eo ſpectata); ſed e contrario quoque per metum abuſus, qui fieri ab aliis poſſit, cogitatorum aperiendorum, coarctatus et monitus cogitur, magnam partem iudiciorum ſuorum (praeſertim de hominibus aliis) in ſe ipſo *concludere*. Lubenter cuperet cum vllo quodam ſermonem inſtituere, quid de hominibus, quibus vtitur, quid de regimine, religione et quae ſunt generis eiusdem, ſibi videatur; nec vero licet conari: partim alter, qui cautus ſententiam ſuam reticet, vti eo illius detrimento poſſet, partim, reſpectu propriorum peccatorum aperiendorum, alter ſua celaret, atque ita de reuerentia eius perderet, ſi aperto animo illi ea enarraret.

Quodſi igitur in aliquem incidit prudentem, in quo ratione periculi illius nihil illi quidquam verendum ſit, ſed cui plena ſe fiducia queat aperire, cuius praeterea ſumma ſententiarum conſenſio eſt, ſenſa animi aperire poteſt; non prorſus *ſolus* eſt cum cogitatis ſuis, velut in carcere, fruiturque libertate, qua caret in multitudine, vbi ſe in ſe ipſo includere cogitur. Sua cuique homini ſecreta ſunt, quae haud licet aliis temere aperiri; partim ob humilem mentem aliorum in iis ad eius perniciem abutendis, partim propter inertiam imprudentiamque in iis, quae diuulgari poſſunt, quae non, et diiudicandis et discernendis, quae virtutes in vno homine raro ſimul inueniuntur (rara auis in terris, et nigro ſimillima cygno); praeſertim cum amicitia arctiſſima poſtulet, vt hic prudens amicus et familiaris ſimul obſtrictus ſit, ad idem ſecretum ſibi creditum cum alio quodam itidem pro certo habito, iniuſſu illius ſuperioris haud communicandum.

Haec (amicitia ſolum moralis) non in ideali cernitur, ſed (cygnus niger) reapſe paſſim perfecta exſtat; illa vero, finibus aliorum hominum, quamuis per amorem, ſeſe onerans (pragmatica) nec puritate eſſe poteſt, nec illa, quam poſtulauimus, perfectione, ad normam adcurate determinantem neceſſaria, atque in ideali verſatur voti, vllorum in conceptu rationis terminorum neſcio, ſed tamen in experientia vsque admodum carceribus coercendo.

Sed *amicus hominum* in genere (hoc eſt, generis vniuerſi) is eſt, qui in communionem venit aeſtheticam ſalutis hominum omnium, quam numquam ſine dolore grauiſſimo turbabit. Verum tamen vocabulum *amici* hominum anguſtioris ſignificationis eſt, quam ſolum hominum amantis (*φιλανθρώπου*). Namque in illo etiam cogitatio curaque *aequalitatis* hominum, proinde idea de nobis eo ipſo obligandis, dum alios benefaciendo obligamus, continetur; quaſi vt fratres ſub patre vniuerſis proſpiciente, qui felicitatem cupit omnium. — Nam adfectio patroni, vt benefactoris,

ad clientem, vt ad gradi ſenſum animi obſtrictum, cernitur quidem in ratione amoris mutui, non vero amicitiae: ſiquidem reuerentia amborum erga ſe inuicem mutua non eſt aequalis. Officium, inſtar amici hominibus bene cupiendi (condeſcendentia neceſſaria), curaque illius hanc vtilitatem parit, vt medeatur ſuperbiae, qua felices ſolent corripi, qui facultatem habent benefaciendi.

COROLLARIUM.

DE VIRTUTIBUS HOMILETICIS.

§. 48.

Eſt in officio, tum erga te ipſum, tum erga alios quoque, vt perfectionum moralium exerceas commercium (officium commercii, ſociabilitas); nec ſepares te vel *ſolitarium* facias (ſeparatiſtam agas); vt centrum quidem immobile tibi principiorum conſtituas, verum hunc circum te circumſcriptum orbem tamen etiam vt eum ſpectes, quo pars abſoluitur orbis vniuerſa complectentis, ſpiritus cosmopolitici; haud quidem ad ſalutem cosmicam vt finem promouendam, ſed modo ad mutuam, qua indirecte eo ducimur, iucunditatem in eo, concordiam amoremque mutuum ac reuerentiam (humanitatem aeſtheticam, et decorum) excolendam, atque ita Gratias virtuti adiungendas; quod efficere ipſum in officio virtutis eſt.

Haec quidem tantum in *operibus* ſunt *externis*, vel παρεργοις, quae ſpeciem praebent pulcram virtuti ſimilem, quae etiam non fallit, quandoquidem quisque nouit, pro quo ſit accipienda. Verſantur quidem in nummis minutis, quibus tamen ſenſus virtutis iuuatur, ipſo conatu, quo ea ſpecies veritati, quoad eius fieri poſſit, proxime accedat, in *facilitate*, et *adfabilitate*

et *comitate*, et *hoſpitalitate*, et *lenitate* (in contradicendo, ſine rixa), cunctis vt ſolis modis commercii obligationum declaratarum, quibus ſimul alii obligantur, quae proinde tamen ad ſtudium virtutis tendunt; dum certe iis efficitur, vt virtus *ametur*.

In quo vero quaeritur: an vti liceat conſuetudine vitioſorum? Quorum quidem conuentus non poteſt euitari, niſi forte e mundo migremus, neque ipſum de iis iudicium nobis competit. — Vbi autem vitium offendiculo eſt et ſcandalo, hoc eſt, exemplo palam propoſito ſtrictarum legum officii deſpiciendarum, proinde infamiam in ſe habet: ibi, quamquam lex prouincialis illud haud punit, vſus, qui eo vsque locum habuit, abrumpendus eſt, aut, quantum fieri poteſt, fugiendus; ſiquidem eo vlterius continuato virtus omni honore priuatur, et cuique ea venum exponitur, qui ſatis opulentus eſt, ad paraſitum oblectationibus luxuriae corrumpendum.

METHODOLOGIA ETHICA.

PARS PRIOR.

Didactica ethica.

§. 49.

Virtutem oportere adquiri (non ingenitam eſſe), iam notio illius declarat, neque idcirco opus eſt, vt ad notitias anthropologicas ex experientia natas prouocemus. Siquidem facultas moralis hominis haud virtus foret, niſi *robore* propoſiti, in certamine cum inclinationibus contrariis adeo potentibus procreata foret. Ea in producto cernitur ex ratione practica pura, quatenus haec per conſcientiam, te illa eſſe (ex libertate) ſuperiorem vincit.

Eam et poſſe *doceri* et oportere, iam ex eo ſequitur, quod haud ingenita eſt; ergo ethica in *doctrina* verſetur. Quoniam vero per ſolam doctrinam, quomodo te debeas componere, vt notioni virtutis conſentaneus ſis, vis regulam ad vſum transferendi nondum adquiritur, Stoicorum mens in eo tantum erat, virtutem non ſolis cogitationibus officii poſſe monendo hortandoque (παραινετικῶς) *doceri*, ſed periculis interni hoſtis in homine impugnandi vincendique (ἀσκητικῶς) colendam eſſe atque *exercendam*; neque enim omnia ſtatim *poſſumus* quae *volumus*, niſi antea vires noſtras experti fuerimus atque exercuerimus, ad quod vero ſane *conſilium* vno quaſi impetu plene capiendum eſt; quoniam animus alioquin, in transactione cum vitio, ad illud pedetentim relinquendum, per ſe impurus adeoque vitioſus eſſe poteſt, nec proinde vllam virtutem (quippe quae vno principio nititur) gignere poſſet.

§. 50.

Ac methodus quidem doctrinalis (namque vnam quamque doctrinam ſcientificam eſſe *methodicam* oportet; alioquin enim tractatio *tumultuaria* foret) item non poteſt *fragmentaria* eſſe, ſed *ſyſtematica* ſit, neceſſe eſt, ſi ethica haberi *ſcientia* debeat. — Verum tractatio vel *acroamatica* eſſe poteſt, cum omnibus alii, quibus ea proponitur, auditores ſoli ſunt, vel *erotematica*, vbi magiſter ea, quae tirones docere vult, ex iis interrogando expiſcatur; atque haec methodus erotematica iterum vel *dialogica* eſt, cum ex *ratione* illorum ea exquirit, vel *catechetica*, vbi ſolum ex eorum *memoria* percontatur. Etenim ſi quis ex ratione alterius aliquid quaerere velit, id dialogice fieri non poteſt niſi ſic, vt magiſter et tiro ſe inuicem *mutuo* interrogent ac reſpondeant. Magiſter iter cogitationum tironis interrogando ita regit, vt initia certarum quarumdam notionum in eo exemplis propoſitis ſolum euoluat (vt quaſi cogitationum illius obſtetrix ſit); tiro, qui in eo intelligit, cogitare ſe ipſum poſſe, interrogationibus

ſuis mutuis (de obſcuritate, aut dubiis ſententiis conceſſis contrariis) efficit, vt magiſter ſecundum dictum illud: docendo diſcimus, ipſe *diſcat*, quomodo ſe rite interrogare oporteat. Namque in poſtulationibus eſt logicae proponendis, nondum ſatis curatis: vt ea etiam regulas ſuppeditet, quomodo conuenienter *anquiri* debeat, hoc eſt, non ſemper ſolum in gratiam iudiciorum *determinantium*, verum etiam *praeuiarum*, quibus fiat, vt in cogitationes incidamus; quae quidem praeceptio ipſi mathematico eſſe indici poteſt, quaeque etiam ſaepenumero ab eo ad vſum transferetur.

§. 51.

Inſtrumentum *doctrinale* ethices alumno adhuc rudi primum et maxime neceſſarium *catechismus* moralis videtur. Hic catechismum religionis antecedat, neceſſe eſt, nec ſolum inculcari in doctrinam religionis poteſt, ſed ſeparatim, tamquam totum per ſe aliquod tractandus eſt: non enim niſi principiis moralibus puris fieri transitio ab ethica ad religionem poteſt; quoniam alioquin huius confeſſiones impurae forent. — Quamobrem ipſi theologi digniſſimi ac ſummi dubitarunt, in gratiam doctrinae religionis ſtatutariae catechismum conſcribere (ſimulque de illo cauere); cum tamen credi deberet, illud eſſe minimum, quod ex magno eruditionis eorum theſauro iure poſſit exſpectari.

Contra catechismi *moralis* puri, vt doctrinae officiorum virtutis elementaris nulla talis difficultas eſt, quia ex ratione hominum communi poteſt (quoad materiam) explicari et tantum regulis didacticis inſtitutionis primae (ſecundum formam) conuenienter componi debet Sed principium eiusmodi inſtitutionis formale ad hunc finem non concedit methodum Socratice *dialogiſticam*; quia tiro, quomodo interrogare debeat, ne quidem nouit; proinde magiſter ſolus interrogat. Sed reſponſio, quam ex ratione tironis methodice elicit, verbis debet definitis, nec facile mutandis, fieri, proinde *memoriae* illius mandari: quippe quo

Digitized by Google

methodus catechetica cum a *dogmatica* (cum magiſter ſolus loquitur) tum quoque a *dialogica* (cum vtraque pars inuicem interrogat et reſpondet) differt.

§. 52.

Adiumentum *experimentale* (technicum) iuuenes ad virtutem formandi et *bonum* exemplar eſt in magiſtro ipſo (vt ipſe exemplo ſuo praeeat) et *monens* in aliis: ſiquidem imitatio hominis adhuc rudis voluntatem prima flectit ad normas eligendas, quas poſtea ſibi conſtituit. — Adſuefactio vel deſuetudo cernitur in propenſione conſtante ſine omni norma per ſatiationem illius frequentem conſtituenda; in quo quidem mechanismus formae ſenſus, pro principio rationis cogitandi obtinet (quo fit, vt ſucceſſu temporis facilius *dediſcatur*, quam *addiſcatur*). — Quod autem vim attinet *exempli* (ſiue ad bonum ſit ſiue ad prauum) quod propenſioni ſe ad imitandum deterrendumue praebet, eo, quo alii nobis praeeunt, nulla poteſt virtutis norma conſtitui. Etenim haec in ipſa autonomia ſubiectiua rationis practicae cuiusque hominis conſiſtit, proinde quod non aliorum hominum agendi ratio, verum lex nobis eſſe elateri debeat. Vnde educator tironi degenerato haud dicet: exemplum cape ex illo puero probo (recto, ſtudioſo)! namque hoc illo tantum mouebitur, vt hunc odio habeat, quoniam eo obſcuratur. Exemplum bonum (vita exemplaris) non debet exemplari eſſe, ſed modo argumento, fieri poſſe, vt, quae officio conueniant, facias? nec proinde comparatio cum vllo quodam homine alio (ſicut eſt), verum cum idea (humanitatis) vti eſſe debet, ergo cum lege, magiſtro normam educandi numquam fallentem ſuppeditare debet.

Scholion.

Fragmentum catechismi moralis.

Magiſter = L ex ratione tironis = S, interrogando ea elicet, quae illum docere vult, et ſi hic fortaſſe ad quaeſtionem propoſitam non poſſet reſpondere = O, eam illi (rationem eius ducendo) in os iniicit.

1. M. Quid maxime, quin vnice in vita expetis? S = O — = O. — M. vt tibi *omnia* et *ſemper* ex animi ſententia eueniant.

2. M. Quomodo eiusmodi ſtatus adpellatur? S = O. M. Dicitur *felicitas* (ſalus perpetua, vita hilaris, plena tranquillitas animi) nata ex eo, quod cum ſtatu tuo contentus ſis.

3. M. Quodſi autem vniuerſam felicitatem (quae eſſe in mundo poteſt) in poteſtate tua haberes, vtrum eam omnem tibi ſeruares, an eam quoque cum aliis hominibus communicares? — S. Equidem eam communicarem; aliis felicitatem animumque contentum impertirem.

4. M. Id quidem argumento eſt, te *animum* habere ſatis bene ab natura informatum; ſed planum fac, te etiam bona *mente* vti. — An pigro homini puluinaria mollia ſubſterneres, vt dulci inertia nihil agendo vitam conſumat, vel ebrioſo vinum et quae praeterea ad inebriandum faciunt, ſuppeditares, deceptoriue formam ſuauem modosque iucundos impertires, vt alios fallat, aut violento audaciam et fortem pugnum, vt alios vincere poſſet? Haec ſane tot inſtrumenta ſunt, quae ſibi quisque expetit, vt pro ingenio ſuo frui felicitate queat. S. Minime.

5. M. Vides igitur, te, etiamſi omnem felicitatem poſitam in tua manu habere voluntatemque praeterea optimam, illam tamen non poſſe ſine dubitatione cuique, qui adpetit, concedere, ſed pri-

Digitized by Google

mo examinaturum fore, quatenus quisque *felicitate dignus* videatur? — Sed reſpectu tui ipſius an dubitares, tibi omnibus rebus, quas ad felicitatem neceſſarias ducis, primo proſpicere? S. Ita ſane. M. At nonne tum tibi quaeſtio in mentem venit, an tu ipſe quoque felicitate dignus ſis? S. Etiam. M. Id autem in te, quod felicitatem adpetit, *propenſio* eſt; ſed id, quod propenſionem tuam ad legem adſtringit, vt antea hac felicitate dignus ſis, eſt *ratio* tua, et quod per rationem tuam coercere propenſionem poteſt ac vincere, libertate voluntatis tuae efficitur.

6. M. Vt ſcias, quid agendum ſit, quo felicitatis particeps et tamen etiam haud ea indignus fias, regula inſtitutioque vnice ineſt in *ratione* tua; id quod hanc vim habet: non opus eſt, vt hanc regulam actionum tuarum ab experientia, vel ab aliis per inſtitutionem eorum diſcas; tua ipſius ratio et docet te et iubet recte, quid tibi faciendum ſit. Quodſi, vt hoc vtar, in tempus incideris, quo per *mendacium* ſcite excogitatum vel tibi poſſis, vel amicis tuis, magnam adferre vtilitatem, quin ſi praeterea nemini quidquam damni intuleris, quid ad haec ratio tua? S. Non debeo mentiri; vt maxima inde ad me atque familiarem meum vtilitas redundatura videatur. Mendacium *humile* eſt, hominemque felicitate perfruenda reddit *indignum*. — Hic coactio eſt abſoluta ex praecepto (vel interdicto) rationis, cui obediendum eſt: ad quod vniuerſis propenſionibus meis obmuteſcendum videtur. M. Quomodo haec neceſſitas proxime per rationem homini iniuncta, legi illius conuenienter agendi, vocatur? S. Dicitur *officium*. M. Ergo communis illa atque vna conditio dignitatis perfruenda felicitatis cernitur in faciendo officio, quae cum hoc vnum idemque eſt.

7. M. Sed etiamſi eiusmodi voluntatis bonae atque actuoſae, qua nosmet dignos (certe haud indignos) perfruenda felicitate ducimus, nobis conſcii ſumus, an ſpem quoque in eo certam collocare poſſumus, fore, vt hac felicitate aliquando potiamur?

Digitized by Google

S. Neutiquam! in eo ſolo non poteſt; neque enim ſemper penes nos eſt, vt nobis eam comparemus neque curſus naturae ſponte ſe ad meritum componit, verum laeta ſors vitae (ſalus noſtra in genere) pendet ex temporibus, quae permultum abeſt, vt cuncta ſint in hominum poteſtate. Ergo felicitas noſtra ſemper tantum haeret in votis, quae, niſi forte vlla alia potentia acceſſerit, numquam poteſt in ſpem venire.

8. M. An ratio argumenta nouit, talem potentiam, felicitatem pro merito hominum culpaque distribuentem, de vniuerſa rerum natura imperantem, mundumque ſumma ſapientia gubernantem, vt quae vere exſtet, ſumendi, hoc eſt, deum credendi? S. Ita. Siquidem in operibus naturae, quae diiudicare poſſumus, ſapientiam deprehendimus tam amplam atque profundam, quam nobis non poſſumus per artem creatoris mundi immenſam explicare, a quo etiam ſane eſt, quod, quantum ordinem moralem ſpectat, in quo tamen ſummum mundi ornamentum conſiſtit, gubernationem haud minus ſapientem ſperemus: nimirum nobis nos, niſi nos ipſi *felicitate indignos* reddiderimus, quod fit migrando officio noſtro, ſpem poſſe facere, fore vt ea aliquando *potiamur*.

Atque in hac catecheſi, per omnes virtutis vitiique articulos pertractanda, ſumma animi attentio eo vertenda eſt, vt ne praeceptum officii in commodis vel detrimentis ex eo ſeruando ad hominem, qui eo obſtringi debet, quin ne ad alios quidem redundantibus, ſed prorſus pure in principio morali conſtituatur, horum poſteriorum vero tantum in transcurſu, tamquam additamentorum, ſed ad palatum hominum natura infirmorum ſolis vehiculis inſeruientium, mentio fiat. *Turpitudo* vitii, non *noxa* (malefico ipſi perniciosa) vbique eminere debet. Namque niſi dignitas virtutis in actionibus cunctis euehatur ſuperior, ipſe officii conceptus euaneſcit atque in praeſcriptiones ſolum pragmaticas liqueſcit; vbi tum nobilitas hominis in ſua

ipſius conſcientia euaneſcit pretioque venalis eſt et emi poteſt, quod ei fallaces propenſiones licitant.

Quibus quidem ſapienter adcurateque pro variis aetatis ſexusque atque ordinis gradibus, quos homo paullatim conſcendit, ex propria ratione hominis expolitis atque explanatis, reſtat adhuc quidpiam, quo cogi agmen debet, quod animam intus mouet hominemque in loco collocat, vbi ſe ipſe non aliter poteſt niſi initiis originariis ſibi ingenitis maxime admirandis contemplari, cuius inde facta impreſſio numquam exſtinguitur. — Cum ei ſcilicet inſtitutione ad finem perducta officia ordine iterum ſummatim recenſentur, cum in vno quoque illorum illi monſtratur, omnibus malis, omnibus adflictionibus doloribusque vitae, ipſisque minis mortis, quae idcirco, quia officio fideliter obſequitur, in eum cadere poſſunt, ei tamen conſcientiam, ſe iis omnibus eſſe ſuperiorem, non poſſe *eripi*; tum quaeſtio ei haec in promtu videtur: quid eſt illud in te, quod auſit, cum vniuerſis naturae viribus et in te et circum te certamen inire, easque, ſi cum principiis tuis moralibus in contentionem veniunt, vincere? Cum haec quaeſtio, ad quam vt reſpondeat vim facultatemque rationis contemplatiuae ſuperat, et quae nihilominus ſponte occurrit, animo admouetur, tum ipſa ratio incomprehenſa in hac ſui ipſius cognitione animae, neceſſe eſt, eleuationem impertiat, qua ad cuſtodiendum officium eo magis incitatur, quo magis ſollicitetur.

In hac inſtitutione morali catechetica ad informationem moralem permultum conferret, ſi in quavis officiorum analyſi nonnullae quaeſtiones dubiae mouerentur, paruulique congregati mentem ſuam tentarent, quomodo illorum quisque quaeſtionem ambiguam propoſitam ſoluendam eſſe cogitaret. — Non ſolum, quod haec *cultura rationis* eſt, facultati rudium maxime congrua (quia haec in quaeſtionibus, quae, quid in officio ſit, attingunt; multo facilius disceptare

poteſt, quae reſpectu contemplatiuarum) atque ita ratio conuenientiſſima eſt, intelligentiam iuuentutis generatim acuendi; ſed potiſſimum propterea, quod natura hominis ſic fert, vt id *amet*, in quo et in cuius tractatione vsque ad ſcientiam progreſſa ſit (ſibi nunc haud alienam), atque ita tiro eiusmodi exercitationibus ſenſim *oblectamento* moralitatis capitur.

Sed maximi in educando momenti eſt, catechismum moralem non cum catechismo religionis commixtam proponi, multo minus illam poſt hanc tractari; verum ſemper ſuperiorem illam, et ſumma quidem diligentia et amplitudine, euidentiſſime perſpiciendam curari. Alias enim poſtea religio conuertitur in ſimulationem, per metum officia confitendi, communionemque illius, quae non ex animi ſententia fit, metiendi.

SECTIO POSTERIOR.

Aſcetica ethica.

§. 53.

Regulae exercitiorum virtutis duas illas animi diſpoſitiones ſpectant, et *ſtrenui* animi et *hilaris* in officiis faciendis. Ei enim cum impedimentis pugnandum eſt, ad quae ſuperanda colligendae vires ſunt, et multa ſimul vitae gaudia negligenda, quorum iactura animum nonnumquam quidem triſtem reddere et moroſum ac difficilem poteſt; quod vero non cum voluptate facimus, ſed tantum vt opus ſeruile, illud ei, qui in hoc officio ſuo morem gerit, nullum valorem internum habet neque amatur, ſed occaſio illius exercendi, quantum fieri poteſt, euitatur.

Cultura virtutis, id eſt, *aſcetica* moralis, reſpectu principii exercitii virtutis ſtrenui et animoſi, ſymbolum Stoicorum eſt: adſueſce incommodis et defueſce commoditatibus vitae. Eſt ea quidem ratio *diaetetices* homini, qua ſe ipſum moraliter ſanum ſeruet. Sed *ſalubritas* non niſi ſalus negatiua eſt, ipſa non ſentiri poteſt. Oportet autem aliquid accedere, quod fruitionem vitae iucundam largitur, et tamen ſolum morale ſit. Atque hoc animus eſt ſemper hilaris in idea *Epicuri* virtutis ſtudioſi. Ecquis enim maiori iure animo hilari vti poſſet, neque in eo ipſo officium agnoſceret, hilarem ſibi animi diſpoſitionem comparandi habitumque illius adquirendi, quam is, qui, ſibi nullius officii de induſtria migrati conſcius, certus eſt, ſeſe in eiusmodi delictum haud inciſurum fore (hic murus aheneus eſto etc. *Horat.*) — Contra nec aſcetica monaſtica, quae per metum ſuperſtitioſum auerſationemque ſui ipſius ſimulatam, in ſe ipſo excruciando vexandoque corpore occupata eſt, virtutem ſpectat, ſed expiationem fanaticam, in poenis ſibi ipſi irrogandis, et cum moraliter (hoc eſt, ſpectata emendatione,) earum *poenitere* eos deberet, *luendis*; id quod, in poena voluntarie delecta atque in ſe ipſo ſtatuta, (quam ſemper ab alio irrogari oportet), pugnat, neque animum hilarem, comitem virtutis gignere poteſt, potiusque non ſine odio ſecreto erga praeceptum virtutis locum habere. — Quamobrem gymnaſtica ethica tantum in adpetitionibus naturalibus iuſto modo vincendis conſiſtit, vt temporibus moralitati ambiguis, queas illis ſuperior discedere; quae proinde ſtrenuos reddit, in conſcientiaque libertatis recuperatae hilares. De re quadam *poenitentiam agere* (id quod in transgreſſionibus priſtinis in memoriam reuocandis neceſſarium eſt, quin adeo, hanc memoriam haud pati elabi, in officio videtur), et ſibi *poenitentiam* (veluti ieiunium) imponere, non reſpectu diaetetico, ſed pio, duae rationes ſunt, putatae morales, admodum diuerſae, quarum poſterior, quae gaudiis vacua, triſtisque ac difficilis eſt, virtutem ipſam in odium vocat, eiusque adſeclas expellit. Diſciplina, quam

homo in se ipso exercet, proinde non nisi hilaritate, comite illius, reddi meritoria potest atque exemplaris.

CONCLUSIO.

Doctrina religionis vt doctrina officiorum erga deum extra terminos philosophiae moralis purae sita est.

Protagoras Abderites librum hic exorsus est: „de diis, neque vt sint, neque vt non sint, habeo dicere.“ Quapropter ab Athenienſibus vrbe praedioque pulsus est, eiusque libri coram coetu publico combusti. (*Quinctil. inſtit. orat. lib. III. cap.* 1.) — In quo quidem iudices Athenienſium, vt *homines*, quidem erga illum valde *iniusti* fuere: verum vt *ministri publici* et iudices *iuste* se sane et conuenienter gessere; quomodo enim dicere iusiurandum potuissent, nisi publice ac legaliter *a summo magistratu* (*de par le senat*) iussum foret: vt dii sint. *)

*) Seriori quidem tempore summus quidam sapiens moraliter legislatorius iusiurandum tamquam absurdum, idemque propemodum blasphemiae finitimum, omnino prohibuit; sed respectu politico etiamnum putant, hoc instrumento mechanico administrandam iustitiam publicam, nullo modo posse supersedere, lenesque interpretationes excogitarunt, quibus prohibitionem illam euitarent. — Cum absurdum foret, serio, vt deus sit, iuramentum dici (quia hoc iam pollulatum esse, necesse est, vt omnino iurare possis) relinquitur quaestio: annon fieri iusiurandum queat et vim habeat, vbi tantum *posito hoc*, deum esse. (quamuis veluti Pythagoras, nihil quidquam ea de re decreueris) iuretur. — Ac re vera omnia iura iuranda probe itemque considerate dicta nullo sensu alio, videntur esse pronuntiata. — Namque quemdam polliceri sese simpliciter, deum esse, iureiurando confirmaturum; in eo nihil quidpiam ambigui ineſſe videtur, siue credat deum, siue non. Si deus est (deceptor inquiet) rem tetigi, iureiurando illo memet in discrimen voco. Nonne vero nullum in eo discrimen est, *si deus sit*, in mendacio studioso, atque ad illudendum ipsum deum, instituto deprehendi.

Sed hac fide conceſſa, etiam dato hoc, *doctrinam religionis* in partibus integrantibus eſſe *doctrinae officiorum* vniuerſalis, nunc quaeſtio eſt de finibus *ſcientiae*, ad quam illa pertinet, conſtituendis: vtrum ea vt pars ethices (neque enim de iure hominum erga ſe inuicem, ſermo eſſe poteſt) conſideranda ſit, an prorſus extra terminos philoſophiae moralis purae ſub contemplationem vocanda.

Formale religionis omnis, pro complexu omnium officiorum inſtar praeceptorum diuinorum acceptae, ad philoſophiam moralem pertinet, propterea quod eo non niſi relatio rationis ad *ideam* de deo, quam ſibi ipſa obeat, enuntiatur, officiorumque religionis tum nondum ſit officium *erga* deum, vt naturam extra ideam noſtram vere exſtantem, ſiquidem in ea ab exſiſtentia illius adhue nobis temperamus. — Cur omnia hominum officia huic *formali* (adfectioni illius ad voluntatem *diuinam*, ex anticipatione oblatam) conuenienter cogitari debeant, ratio tantum ſubiectiue logica eſt. Nimirum non poſſumus obligationem (coactionem moralem) commode ſub adſpectum nobis ſubiicere, niſi quempiam *alium* eiusque voluntatem (cuius ratio vniuerſe legislatoria tantum orator eſt et interpres), quippe deum, in eo cogitemus. — Sed hoc officium *reſpectu* dei proprie ideae, quam nobis de eiusmodi natura cogitatione informamus, officium eſt hominis erga ſe ipſum, hoc eſt, haud obiectiue obligatio ad certa quaedam miniſteria alii cuipiam praeſtanda, verum modo ſubiectiue ad elaterem moralem in ratione noſtra propria legislatoria confirmandum.

Quod autem *materiale* religionis, ſummam officiorum erga deum, hoc eſt, cultum illi praeſtandum, attinet, ea officia peculiaria, ab ratione vniuerſe legislatoria ſola haud profecta, nec proinde a nobis ex anticipatione, ſed tantum empirice cognoſcenda, ideoque non niſi ad religionem reuelatam pertinentia, inſtar praeceptorum diuinorum, continere poſſet; quae proinde etiam exſiſtentiam huius naturae, non ſolum

ideam de illa, reſpectu practico, haud arbitrarie, ſupponunt, verum vt proxime (vel cum interuentu) in experientia data poſſet proponi. Sed eiusmodi religio, vt maxime conſtituta fuerit, tamen nullam partem *philoſophiae moralis purae* abſolueret.

Itaque religio, vt doctrina officiorum erga deum, vltra vniuerſos terminos poſita eſt ethices philoſophicae purae, idque defendendo auctori huius libri ſeruit, quod ad abſoluendam illam non, quemadmodum olim in vſu fuit, religionem, illo ſenſu cogitatam, in ethicam intulit.

Sermo quidem eſſe poteſt de „religione *intra terminos* ſolius rationis," quae verò non *ex* ratione ſola deriuata eſt, ſed ſimul in doctrinis hiſtoricis et reuelatis conſtituta, et quae tantum *conuenientiam* rationis practicae purae cum iis (vt ne illi ea repugnet) continet. Tum vero ea quoque haud *pura* doctrina religionis eſt, ſed ad hiſtoriam propoſitam *adplicata*, cui in ethica, vt philoſophia practica pura, nullus locus eſt.

Scholion finale.

Omnes adfectiones morales naturarum ratione praeditarum, quae principium in ſe cohibent conuenientiae voluntatis vnius cum voluntate alterius, ad *amorem* poſſunt et *reuerentiam* reuocari, et, quatenus hoc principium practicum eſt, ratio determinandae voluntatis reſpectu amoris ad *finem*, reſpectu reuerentiae autem ad *ius* alterius reuocari poteſt. — Quodſi vna harum naturarum talis ſit, quod nihil niſi iura habeat, nullaque erga alteram officia (deus), proinde altera erga alteram non niſi officia, ſed nulla iura, principium relationis moralis inter illas eſt *transſcendens* (contra ea vero principium relationis moralis hominum erga homines, quorum voluntas mutuo illas inter ſe inuicem circumſcribit, *immanens* eſt).

Finis diuinus reſpectu generis humani (eiusque creationis et moderationis), non aliter cogitari poteſt,

niſi per *amorem*, id eſt, eum in *felicitate* hominum verſari. Sed principium voluntatis dei reſpectu debitae *reuerentiae*, effecta ſuperioris coercens, hoc eſt, iuris diuini, nullum eſſe aliud poteſt, quam principium iuſtitiae. Poſſes etiam (more humano) ſic dicere: deus naturas ratione praeditas creauit, quaſi per neceſſitatem, vt quidpiam praeter ſeſe, quod amare poſſet, haberet vel etiam a quo ipſe ameretur.

Verum non modo aeque tanta, ſed maior quoque (quoniam principium coercens eſt) poſtulatio videtur *iuſtitiae* diuinae, in iudicio propriae rationis noſtrae, et quidem vt *punitiuae*, a nobis. — Namque praemium (remuneratio gratuita) minime ad iuſtitiam pertinet erga naturas, quibus non niſi officia ſunt, ſed nulla iura erga alteram, ſed ſolum ad amorem ac benignitatem; — multo minus in eiusmodi natura poſtulatio *mercedis* locum habere poteſt, et *iuſtitia remuneratiua* (βραβευτικὴ) in relatione dei erga homines pugnat.

Sed tamen in idea iuſtitiae exercendae ab natura, cui non poteſt quidpiam de finibus detrahi, quidpiam ineſt, quod cum relatione hominis ad deum haud facile conciliari poteſt, nimirum conceptus *laeſionis*, quae gubernatori mundi nullis carceribus circumſcripto atque inacceſſo inferri queat; neque enim hoc loco de laeſionibus iuris ſermo eſt, ab hominibus erga ſe intentis, de quibus deus, tamquam iudex puniens, ſententiam pronuntiat, verum de laeſione dei ipſius iurisque illius, cuius conceptus eſt *transſcendens*, hoc eſt, vltra conceptum vniuerſae iuſtitiae punitiuae, cuius vllum quodpiam exemplum proponere poſſumus, (hoc eſt, iuſtitiae in hominibus) prorſus poſitus eſt, et principia transſcendentia continet, quae cum iis, quibus nos in caſibus experientiae vſuri eſſemus, nullo modo poſſunt congruere et conſpirare, proinde rationi practicae noſtrae plane vacui ſunt atque inanes.

Idea iuſtitiae punitiuae diuinae hic perſona induitur; non eſt peculiaris quaedam natura iudicans, quae illam exercet (tum enim pugnae illius cum principiis iuris inuenirentur) verum *iuſtitia*, inſtar ſubſtan-

tiae, (aliàs iuſtitia *externa* dicta), quae, veluti *fatum* poetarum veterum philoſophantium, etiam Ioue ſuperior eſt, ſententiam ex neceſſitate ferre haud flectenda pronuntiat, quam vlterius non poſſumus perſcrutari. — Cuius rei nunc quaedam exempla adferemus.

Poena (ſecundum Horatium) fontem ante ſe ſuperbe incedentem numquam mittit ex oculis, ſed vsque poſt illum claudicat, donec deprehendat. — Sanguis temere profuſus vindictam inuocat. — Crimen non poteſt inultum eſſe; ſi poenam non ad fontem peruenerit, illius poſteri poenas dabunt; aut niſi viuo illo fiat, fiet in vita quadam (poſt mortem *), quod diſerte quoque idcirco ſumitur lubenterque creditur, vt ſatis fiat iis, quae poſtulat iuſtitia aeterna. — Nolo *culpam caedis*, quondam princeps bene ab natura informatus ait, in prouincia mea haerere, eo, quod qui in certamine ſingulari maligni alterum interfecit, pro quo vos interceditis, veniam dem. — *Culpa ex peccato* delenda eſt, etſi vel innocens quidam expiationi ſe traderet (vbi tum ſane cruciatus ab eo excepti proprie haud poſſunt poenae dici, — propterea quod nihil deliquit); ex quibus omnibus planum eſt, non *perſonam* eſſe defungentem iuſtitia, cui haec ſententia damnatoria tribuitur (neque enim ea ſic, aliis illaeſis, pronuntiare poſſet), verum ſolam iuſtitiam vt principium transſcendens, ſubiecto cuipiam ſupraſenſibili adfictum, ius huius naturae definire; quod quidem *formali* huius principii conſentaneum eſt, ſed cum

*) Hypotheſis de vita futura hic ne immiſceri quidem licet, vt poena illa minitans vt plena in exſecutione cogitetur. Namque homo, ſecundum moralitatem, vt res ſenſibus inacceſſa coram iudice inacceſſo ſenſibus, non ex conditionibus temporis diiudicatur; tantummodo de eius exſiſtentia ſermo eſt. Vita eius in terris, ſiue breuis fuerit, ſiue longa, ſeu adeo aeterna, tantum cernitur in eius exſiſtentia in viſo, nec conceptus iuſtitiae determinatione adcuratiori opus habet; quemadmodum etiam fides vitae futurae proprie haud antecedit, vt iuſtitia punitiua in eo vim ſuam exſerat, ſed potius vice verſa ex neceſſitate punitionis ad vitam futuram concluditur.

materiali illius, quippe *fine*, qui ſemper in hominum *felicitate* verſatur, pugnat. — Namque, in tanta fortaſſe maleficorum, culpam vsque augentium, iuſtitia punitiua *finem* creationis non in *amore* auctoris mundi (quomodo tamen cogitatione nobis informare cogimur) poneret, verum in *iure* ſeuere ſtricteque ſeruando (in iure ipſo pro *fine* conſtituendo, qui in *gloria* dei ponitur), quod, cum haec poſterior (iuſtitia) tantum in conditione limitante ſuperioris (benignitatis) verſetur, pugnare cum principiis rationis practicae videtur, ex quibus creatio mundi debuiſſet omitti, quae quidpiam cum fine auctoris, cui non niſi amor eſſe fundamento poteſt, tantopere pugnat, edidiſſet.

Ex quo intelligitur: in ethica, vt philoſophia practica pura legislationis internae, tantummodo relationes morales *hominis* erga *hominem* non poſſe ab nobis comprehendi: quaenam vero adfectio deum inter et hominem ea de re obtineat, vim omnem notionemque noſtram prorſus fugere, quo quidem, quae ſupra docuimus, confirmantur: ſcilicet ethicam non poſſe vltra terminos officiorum mutuorum hominis dilatari.

F I N I S

voluminis quarti.

Digitized by Google

gitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google